INSTITUTIONES

PHILOSOPHIAE MORALIS

AUCTORE

AUGUSTO FERRETTI

E SOCIETATE IESU

IN PONTIFICIA UNIVERSITATE GREGORIANA
PHILOSOPHIAE PROFESSORE

VOLUMEN III.
continens quaestiones
de societate in genere, de naturali hominis
sociabilitate, de societatibus domestica,
civili, religiosa.

ROMAE
TYPOGR. ROMANA
1891.

PHILOSOPHIA MORALIS in duas dispescitur partes, quarum altera **generalis** est, altera **specialis**. Pars autem specialis duas continet quaestiones, videlicet, **de iuribus officiisque individualibus, de iuribus officiisque socialibus**. Priorem quaestionem solvimus in secundo volumine, aliam in hoc volumine tertio pertractamus.

ROGERIUS FREDDI

Praepositus Provinciae Romanae Societatis Iesu

Cum opus, cui titulus est *Institutiones Philosophiae Moralis* Vol. III. a P. Augusto Ferretti nostrae Societatis sacerdote compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas, dedimus.

Romae, 2 Februarii 1891.

(L. S.) ROGERIUS FREDDI.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Archiep. Sid. Vicesgerens.

CAPUT III.

DE IURIBUS OFFICIISQUE SOCIALIBUS

ARTICULUS I.

De humana societate generatim.

§ I. *Quid in genere sit humana societas.*

THESIS XXXVI.

Societas humana est conspiratio plurium hominum ad communem consecutionem boni ab omnibus cogniti et voliti (1).

109. Declaratio. Ad definitionem rei alicuius detegendam Aristoteles (2) duplicem methodum proponit, *divisivam* nempe et *collectivam* seu *inductivam.*

---

(1) Ita Taparelli, *saggio teoret.* ecc., diss. II. cap. 1. n. 307.; « Società umana *qui in terra* (de hac enim loquimur) è — la cospirazione di molti uomini al conseguimento comune di un bene da tutti conosciuto e amato. — Gli elementi analitici dell'essere nostro sociale sono dunque *unità di fine, armonia d'intelligenza, concordia di volontà, coordinazione di mezzi.* »

(2) Analyt. poster. l. II. cap. XII. edit. Didot, quo in capite *de investigandae definitionis ratione* agit. Hoc caput Aristotelis solent Logici explanare in Dialectica, ubi de *definitione* pertractant. Cf. Liberatore, dialect. num. 41.; Tongiorgi, dialect. num. 134. seqq. Hic alter doctrinam Aristotelicam illustrat, sumendo exempla ex re morali: eam enim applicat ad detegendam definitionem *virtutis moralis* in genere et in specie virtutis *iustitiae.*

I. Divisiva in primis methodo utentes essentiam seu naturam societatis in communi sic determinamus (1).

Eam esse plurium hominum, saltem duorum, unionem manifestum est. Societas sane ex uno non fit, sed duos ad minimum requirit. Est enim societatis vox locutio pluralis: « pluralis autem locutio duorum numero est contenta » (2). Exemplum societatis, quae ex duobus emergit, habes in coniugio.

At patet, non quamvis hominum coniunctionem mereri nomen societatis. Quaelibet profecto societas est aliqua hominum unio, non tamen e converso quaelibet hominum unio est societas: eo pacto, quo quaevis lex est aliqua regula, non tamen vicissim quaevis regula est lex. Non habetur, ut dici solet, reciprocatio. Est igitur addenda ulterior alia nota seu differentia. Unio plurium hominum quotuplex distingui potest? Vel est mere extrinseca et physica, vel est intrinseca et moralis. Atqui coniunctio mere extrinseca et physica, cuiusmodi est e. g. unio loci et temporis, non sufficit ad societatem constituendam. Ecquis sane ex eo tantum, quod plures homines eadem in navi aut domo cohabitent (3) vel eodem tempore vivant, dixerit eos efficere societatem? Societas ergo est unio plurium intrinseca et moralis.

At quum unio intrinseca et moralis possit concipi multiplex, quaenam et qualis requiritur, ut societas vere ac pro-

---

(1) Cf. Zallinger, institut. iur. nat. lib. II. ab init.; Schrader, comment. de hominum societ. generatim ab init. Hunc commentarium praemisit auctor thesibus de Ecclesia Christi.

(2) Reg. 40. Bonifac. VIII. iur. can. in VI.

(3) Ut Taparelli, l. cit. num. 303., ait, « solo una grossa e materialissima filosofia potrìa considerare la società come una *locale* aggregazione: mentre molte società vivono sparse in luoghi disparatissimi, e pure formano moralmente un solo essere ».

prie habeatur? Nomine unionis intrinsecae et moralis vel intelligis meram identitatem finis seu simplicem in uno eodemque fine exoptando convenientiam (ut si plures velint divitias, easque sibi comparare curent, non tamen coniunctim sed separatim), vel intelligis identitatem finis simulque conspirationem seu coniunctionem virium ad communem illum finem obtinendum. Atqui sola finis identitas haudquaquam sufficit ad constituendam societatem (1), sed praeter eam requiritur etiam conspiratio virium seu facultatum, ad finis ab omnibus intenti consecutionem.

Humana igitur societas est unio plurium hominum, qui ad unum eumdemque finem obtinendum conspirant omnes, et de eius consecutione omnes in convenienti gradu participant. Haec autem est apta societatis humanae definitio: si qua enim unio est talis, seu praedictas omnes notas in se continet et explet, ea iure meritoque censetur ac dicitur societas.

II. Ad eamdem definitionem devenimus, si inductivam methodum adhibeamus.

De coniugio, de civitate, de Ecclesia Christi, aliisque coetibus affirmatur frequentissime ab omnibus, esse societates. Si notas invenerimus, quae non sunt propriae alicui

(1) « Fate, ait Taparelli, op. et loc. cit. num 304., che cinquanta eruditi si affatichino a trovare l'interpretazione di un papiro: tutti lo conoscono, tutti hanno per fine l'interpretarlo: ma se a questo fine non congiungano le loro volontà, manifestandosi reciprocamente i loro intenti in modo che ne risulti un intento comune, niuno dirà che sia formata tra loro una società. La comunanza non solo d'obbietto, ma anche d'intento è quella propriamente, che compie l'essere sociale, facendo sì che il fine non sia più de' singoli, ma della comunità, talchè niuno possa arrogarselo se non comunicandolo cogli altri, bramando e procacciando per essi ciò che brama e procaccia per sè. »

in particulari ex illis coetibus, sed omnibus sunt indiscriminatim communes, ex iis sane elementis recte definitionem societatis conficiemus.

Iam propria coniugii nota haec est, ut sit unio duorum, unius nempe viri cum una muliere; dum civitas et Ecclesia sunt unio plurimorum hominum ex quovis sexu, conditione atque aetate. Sed coniugium, civitas, Ecclesia in hoc conveniunt, ut sint *plurium hominum coniunctio:* et haec est prima societatis nota.

At rursus hoc est coniugio peculiare, ut finis, ad quem obtinendum mas et femina uniuntur, sit tum honesta prolis generatio et educatio, tum mutuum coniugum solatium et praesidium: civitati vero hoc est proprium, ut bonum, cuius gratia cives in unum coeunt, sit terrena quies ac prosperitas; in Christiana demum Ecclesia hoc est omnino singulare, ut finis, cui obtinendo fideles coniunguntur, sit sancta vita ac per eam coelestis aeternaeque felicitatis beata assecutio. Hoc tamen est commune coniugio, civitati, Ecclesiae, quod socii conspirent seu proprias coniungant vires ad communem consecutionem boni ab omnibus cogniti et voliti, de quo obtento omnes proportionate participent. Haec ergo est alia societatis nota, eaque eiusdem essentia ac definitio satis iam apte determinatur.

110. Scholion. Ex dictis ea, quae subiicimus, facile intelligentur.

I. Patet *inprimis*, quaenam sit *utilitas* societatis seu associationis. — Dantur bona multa, quae homini sunt valde opportuna, eique etiam necessaria, quaeque tamen homo sibi relictus nequit convenienti in gradu obtinere, atque etiam nullo prorsus pacto assequi potest. Exempli gratia, bonum est securitas ab iniuriis: hanc autem securitatem homines solitarii assequi non possunt. Item bonum est prosperitas seu copia rerum, quae sunt ad vitae conservationem ne-

cessariae: hanc autem prosperitatem seu copiam, quae ex cultura scientiarum et artium exsurgit, homines solitarii nequeunt sibi comparare. Iamvero utilis est societas, ut homines valeant illiusmodi bona sibi acquirere: id enim, ad quod seiuncti ab aliis non possumus pervenire, obtinemus, si nostras vires cum aliorum viribus coniungamus. Sic securitatem ab iniuriis et vitae prosperitatem homines consequuntur iuncti simul et consociati in civile consortium. — Illud praeterea animadverte, utilem esse societatem ad illa ipsa bona obtinenda, quae homo ab aliis etiam seiunctus potest assequi: est scilicet utilis ad bona haec *citius, facilius, plenius* seu *perfectius* obtinenda. Itaque societas est homini utilis: non est finis hominis, sed est medium ad finem debitamque perfectionem assequendam.

II. Liquet *secundo,* quaenam sint *essentialia elementa* seu constitutiva societatis. — Sunt quatuor: multitudo hominum, intentio unius eiusdemque finis, conspiratio ad eum obtinendum, proportionata de fine obtento participatio (1). — Inter haec autem *finis* praecipuum tenet locum, et est illud, ad quod cetera tendunt, et ex quo ratio seu indoles societatis est determinanda (2).

III. Patet *tertio,* curnam societas appellari soleat *persona moralis.* — Dicitur persona moralis per analogiam ad personam physicam. « Ex sociali coniunctione, inquit Tongiorgi (3), exsurgit una sociorum sententia, una voluntas,

(1) « Quattro son dunque, concludit Taparelli, *Corso elem. di dritto nat.* num. 120.; gli elementi precipui dell'esser sociale, *unità, moltitudine, fine, mezzi.* E la società sarà tanto più perfetta, quanto più *perfetta* sarà l'unione, più *numerosi* gli elementi uniti, più *universale* il bene a cui tende, più *efficaci* i mezzi con cui vi tende. » Quae omnia maxime reperiantur in Ecclesia Catholica. Cfr. eumdem auctorem, *saggio* ecc. l. cit. num. 309.

(2) Cf. Tarquini, instit. iur. eccl. publ. l. 1. c. 1. sect. 1. num. 7. seqq.

(3) Eth. num. 420.

una actio. Hinc (ex illa nempe triplici unitate, intellectus, voluntatis, actionis exterioris, per quam refert et analogiam habet ad personam physicam) societas est ac dicitur persona moralis, quae ad modum individuorum suis adstringitur officiis suisque iuribus gaudet. » — Similiter dicitur *corpus morale* per analogiam ad corpus physicum (1).

IV. Patet *quarto*, cuiusmodi debeat esse *finis* communis sociis propositus. — Debet esse honestus. « Si maleficii, sic legimus in iure (2), societas coita sit, constat nullam esse societatem. Generaliter enim traditur, rerum inhonestarum nullam esse societatem. »

V. Patet *quinto*, qualis debeat esse *unio*, qua socii adstringuntur. — Debet esse stabilis ac permanens. Etenim, ut recte disserit Schrader (3), « in societatis notione includitur stabilitatis statusque cuiusdam idea, proindeque finis non transeunte una alterave operatione, sed continua quadam actionum serie esse comparandum. »

§ II. *De praecipuis societatis humanae divisionibus.*

THESIS XXXVII.

Multiplex admittenda est humanae societatis divisio seu partitio.

111. Declaratio. Tradita definitione societatis, de eius *divisionibus* nunc agendum est. — Illud iuvat praenotare, hu-

(1) Cfr. Schrader, comment. iam cit. Ubi inter alia habet haec: « Quemadmodum corpus physicum idem manet, etsi iugi accessioni et decessioni particularum obnoxium sit, ita statum suum non amittit societas, desinentibus successive membris; nisi tamen repentina rerum conversione omnia simul membra perimerentur. »

(2) Dig. I. 57. Pro socio.

(3) Comment. nuper cit.

manam societatem posse dupliciter considerari, nempe *quatenus constituitur* seu *in fieri*, et *quatenus iam constituta perdurat* seu *in facto esse*. Priori modo spectata definietur: actus, sive elicitus sive praesumptus, quo plures homines se se mutuo obligant ad communem finem iunctis viribus consectandum. Altero modo considerata definietur: status, in quo plures homines obligatione devinciuntur et conspirant ad certum finem collatis una viribus obtinendum (1). — Sed iam de humanae societatis partitionibus agamus.

I. Societas dividitur in *simplicem* et *compositam*. Prior haec divisio ex inspecto *materiali* societatis elemento eruitur. Materia societatis sunt plures illae, quae in unum coeunt, personae. Iamvero vel persona *physica* coniungitur personae singulari, vel persona *moralis* seu societas alteri personae morali unitur. Si primum, societas est *simplex*: sin alterum, societas appellatur *composita* vel organica (2). Fieri quoque potest, ut societas iam composita alteri societati compositae iungatur: tum vero societas composita, eaque *maior* (3), emerget. Sic simplex est societas dome-

---

(1) Cfr. Schrader, comment. iam. cit.

(2) Dicitur *organica* « quia ad similitudinem corporum organicorum constat partibus peculiari structura donatis et ad certum finem socialiter aptis. » Tongiorgi, Eth. n. 423.

(3) « Dirò, ait Taparelli, *corso elem.* ecc., num. 151. seqq., protarchia questa *maggior* società rispetto alle minori, cui nominerò *deutarchie* o *consorzii*. E se queste pure in altre minime si suddividano, dirò le minime *gruppi sociali* o *società elementari*. Così se la protarchia sia p. es. uno stato, le provincie ne saranno deutarchie, le città gruppi ed elementi, e se più oltre scendiamo, le famiglie gruppi ed elementi della città... Per maggior chiarezza daremo alla unione delle società un nome suo proprio, e la diremo *società ipotattica*, *dritto ipotattico* le leggi che ne derivano, *protarca* e *deutarca* i superiori che la governano. » Cf. etiam *Institutes du droit naturel* par M. B. l. VII. ch. 1., ubi inter alia hoc animadvertitur: « Une société composée de plusieurs *colléges* (c'est le nom que l'on donne à ces petites sociétés subordonnées)

stica seu familia: ex pluribus familiis existunt pagi et urbes: ex pagis et urbibus provinciae exsurgunt: ex provinciis regna conflantur (1).

De societate composita (hypotactica) hoc est statuendum fundamentale principium. Simplices seu minores societates, ex quibus composita maior exsurgit, non desinunt esse verae, quales prius erant, societates, sed tum specialis earum finis manet, tum propria earum auctoritas perdurat, tum socialia earum iura persistunt, tum obligationes vigent, quibus socii mutuo devinciebantur: quae omnia debet quidem protarcha defendere, adiuvare et coordinare ad bonum commune, non autem unitatis praetextu directe invadere et destruere, omnia veluti in se absorbendo. « Ogni consorzio, inquit Taparelli (2), dee conservare la propria unità in modo da non perdere la unità del tutto, ed ogni

---

diffère beaucoup d' un état composé seulement d' individus. Ainsi une multitude composée de deux mille hommes est tout autre chose qu'un régiment formé de vingt compagnies, ayant chacune leur unité et leur organisation propre, et par là même plus capable d'atteindre leur fin commune .etc.

(1) Cicero, de off. l. 1. c. 17. num. 54., haec habet: « Prima societas in ipso coniugio est: proxima in liberis: deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis, et quasi seminarium reipublicae. Sequuntur fratrum coniunctiones etc. »

(2) *Saggio* ecc. dissert. 6. cap. 2. Eadem habet in alio opere, *corso el.* ecc. num. 154.: « La società minore coll'unirsi ad altre per formar protarchia, non perde la sua perfezione, ma la cangia ed immegliata... La *Protarchia* dee custodire alle *deutarchie* il loro essere, ecc. » Item in opere, *Institutes du droit nat.*, loc. nuper cit.: « Le principe fondamental de la société composée c'est que les sociétés inférieures conservent leur être propre et exercent avec une liberté convenable leur activité dans la recherche de leur fin spéciale; de telle sorte que la *protarchie* les dirige et les protège, mais sans les absorber au nom de cette unité excessive, à laquelle le socialisme pousse aujourd'hui de toutes parts sous le nom de *centralisation*. Une telle unité

società maggiore provvede alla unità del tutto senza distruggere la unità dei consorzii. »

II. Societas humana dividitur in *naturalem* et *liberam*. Haec altera divisio ex inspecta *origine* societatis eruitur. Societas *naturalis* est illa, ad quam determinate homo ex ipsa sua natura est ordinatus, tamquam societatem homini necessariam ita, ut sine ea homo perfectionem naturae convenientem consequi nequeat: cuius proinde finis et regulae praecipuae ab ipsa naturali lege homini praemonstrantur atque imponuntur, nec liberae hominis electioni relinquuntur. Sic societas domestica est maxime naturalis: naturalis quoque est societas civilis. Quae societas ab illo, quem modo tradidimus, conceptu deficit, eam vocamus *liberam*, qualis v. gr. est societas litteraria vel mercatoria.

Duo iuvat animadvertere. *a)* Unio esse potest iuxta traditum conceptum naturalis, etsi, ut ea inter *certas* et *determinatas* personas vigeat, factum aliquod humanum praerequiratur (1). *b)* Qui societatem aliquam naturalem ineunt, ii nequeunt aliquid immutare ex iis, quae circa finem, auctoritatem, sociorum numerum, eorumque sive iura sive officia lex ipsa naturalis determinavit. Hoc autem, quod de

---

en effet produit nécessairement la servitude, tandis que rien au contraire ne favorise autant la liberté et la prospérité publique que l'organisation hiérarchique des sociétés particulières: car lorsque celle-ci est bien ordonnée, chacune de ces sociétés poursuit sa fin sans entraves et aussi sans usurper l'action propre à la *protarchie*, qui ne peut être utilement exercée que par celle-ci. Ainsi se trouve le principe universel de justice et de prudence *suum cuique* ». Cf. etiam Zallinger, institut. iuris nat. l. II. § 167, 192.

(1) Ad rem Card. Gerdil: « Neque enim, quod in primis ac diligenter notandum est, id solum naturale reputari debet, quod est in homine dum nascitur, sed iure optimo id quoque naturale dicitur, ad quod insitae facultates velut ad bonum naturae congruum propendent, licet hoc ipsum non sine facto humano, nec sine aliquo rationis usu,

sociis dictum est, id de iis, qui humana pollent auctoritate, est aequo iure intelligendum. Itaque naturalis societas talis primum incipit esse, qualem natura eam incipere decrevit, talis pergit esse, qualem natura eam perseverare constituit (1). Haec, quae de societate naturali diximus, non aeque omnino conveniunt iis societatibus, quae non sunt naturales (2).

III. Societas dividitur in *aequalem* et *inaequalem*. Haec tertia divisio ex inspecta sociali *auctoritate* desumitur. Societas est *aequalis*, quando auctoritas residet in tota societate collective, seu in toto sociorum coetu. Est *inaequalis*, quando auctoritas non in omnibus collective residet, sed in una vel pluribus personis, quibus ceteri subiiciuntur: cuiusmodi est societas domestica.

De societate aequali illud cum Tongiorgi (3) animadverti potest, auctoritatem in ea exerceri non posse, nisi per *unanimitatem realem*, quum nempe omnes idem sentiunt ac decernunt, aut per *unanimitatem artificialem*, quum nempe omnes unanimiter in ipso societatis exordio, aperte vel ta-

---

quae facultas maxime naturalis est, parari et obtineri minime possit. Istud vero apertissime patet in coniugio: neque enim quisquam negaverit coniugii statum naturalem merito dici, licet coniugium nonnisi facto humano, seu viri mulierisque consensu, habeatur. » Itaque societas coniugalis itemque civilis est naturalis, tum quia eius essentialia constitutiva non pendent a libera contrahentium voluntate, sed ab ipsa natura determinantur, tum quia est a natura quod societas coniugalis itemque civilis inter homines existant.

(1) In philosophia nobis sermo non est de societate *supernaturali*, sed tantummodo de societate *naturali*. Tum societas supernaturalis, tum societas naturalis sunt a Deo; sed haec est a Deo *ut auctore naturae*, et idcirco dicitur naturalis: illa est a Deo *ut auctore ordinis altioris natura et naturae indebiti*, atque idcirco dicitur supernaturalis.

(2) Cf. Schrader, comment. cit., ab initio.

(3) Eth. num. 424. seqq.

cite, se obligant ad volendum id, quod certus quidam sociorum numerus decernet. Hinc in huiusmodi societate necessarii sunt *conventus*, in quibus negotia vel ad unanimitatem realem, quod raro contingit, vel ad statum suffragiorum numerum, v. g. maioris partis, expediantur.

IV. Societas dividitur in *perfectam* et *imperfectam*. Haec divisio deducitur ex inspectis mediis, quibus ad finis consecutionem societas est instructa. Societas *perfecta* (1) est illa, quae media ad suum finem obtinendum sufficientia in semetipsa habet, quaeque proinde non est ex se ordinata ad aliam societatem, in qua suam perfectionem et complementum obtineat: secus, societas est *imperfecta*. Sic imperfecta est societas domestica (2): siquidem ex qua parte tendit ad bonum temporale, debet a societate civili compleri, ex qua vero parte finem etiam habet religiosum, oportet eam in societate religiosa consummari.

Illud animadvertas, societatem perfectam esse illam, non modo cui *realiter*, sed etiam cui *virtualiter* praedicta media insunt, ita scilicet ut ab alia societate media illa repetere proprio iure possit, neque alia societas facultatem habeat media illa negandi aut suo iudicio rem dirimendi. Contra, si qua societas neque realiter, neque virtualiter praedicta media possideat, sed in eorum oeconomia ab alia societate pendere cogatur, cui integrum sit ea negare, vel saltem

---

(1) Cf. Schrader, comment. cit. num. 19.; Tarquini, iuris eccl. publ. institut. l. 1. n. 6.

(2) Cf. s. Th. 1. 2. q. 90. a. 3. ad 3.um: « Sicut homo est pars domus, ita domus est pars civitatis. Civitas autem est communitas perfecta, ut dicitur in I. Polit. » Cf. etiam Suaresium, de leg. l. III. c. I. n. 3.: « Ex his tribus coniunctionibus (coniugali, paterna, herili) consurgit prima communitas, quae *imperfecta* dicitur respectu politiae. »

indicare utrum nec ne praestari, et quomodo praestari debeant, ea profecto societas est imperfecta (1).

Duas iam solvimus quaestiones, *quid sit* et *quotuplex sit* humana societas. Antequam ad alium articulum transeamus, tertia nobis est quaestio solvenda, quae sic potest proponi, *utrum in humana societate auctoritas sit necessaria.* Hanc magni momenti quaestionem solvemus thesi sequenti.

§ III. — *De necessitate auctoritatis in humana societate.*

THESIS XXXVIII.

Humanae societatis natura hoc exigit, ut in ea sit aliquis vel homo vel coetus hominum, qui polleat iure obligandi et cogendi socios ad certo aliquo modo operandum vel non operandum in ordine ad proprium societatis finem. Huiusmodi ius vocatur auctoritas socialis, eius subiectum seu possessor dicitur rector seu superior, eiusdemque termini appellantur subditi.

112. Praenotiones. In theseos huius enunciatione tres, ut patet, traduntur magni momenti notiones, nempe explicatur, quid veniat nomine *auctoritatis socialis*, quid nomine *superioris*, quid *subditi*. Auctoritas socialis sic recte definitur: ius obligandi et cogendi socios ad certo aliquo modo operandum vel non operandum, in ordine ad proprium societatis finem. Huiusmodi ius in uno quidem reperitur tamquam in subiecto, alios autem respicit tamquam terminos. Iamvero persona illa physica vel moralis, in qua ius illud residet, dicitur superior: ii autem, quos ius illud respicit quique illud revereri tenentur, subditi appellantur.

(1) Cf. Tarquini, op. et l. cit. num. 42.

Porro, ut pariter liquet ex ipsa theseos enunciatione, non illud sane affirmamus, eam esse humanae societatis naturam, ut in uno homine socialis auctoritas resideat (hoc enim de natura esse poterit huius vel illius in specie societatis determinatae, non autem de natura est societatis humanae *in genere* spectatae, et sic in genere hoc in articulo societatem consideramus): verum id tantummodo asserimus, a natura humanae societatis postulari, ut in ea socialis sit auctoritas residens in uno vel homine vel coetu hominum, aliis verbis in subiecto vel physice vel moraliter uno.

113. Demonstratio. Thesim hanc triplici argumento probamus, alio *a posteriori*, alio *a priori*, alio *a pari*.

Probatur 1.) ex universalitate et constantia facti. Etenim quoties et ubicumque fuit societas, in ea semper et ubique fuit unus aut homo aut hominum coetus, in quo socii omnes ius obligandi recognoscerent: id invenimus in civitate, in pago, in familia, itemque in exercitu, in collegio, in officina, in navi etc. Hoc factum adeo universale et constans ostendit auctoritatem esse humanae societati necessariam. Existimandum enim est, quod tam diuturno temporis spatio omnes modi constituendi inter homines societatem sint inventi et adhibiti. Cur ergo tot inter varios modos ille numquam inductus, *societatis sine capite?* Quia nempe talis modus naturae ipsius societatis repugnat (1).

Hoc porro argumentum confirmatur, si animadvertas, huiusmodi modum *communitatis sine rectore* favere omnino

(1) Vide Aristotelem, Polit. l. II. c. II. num. 10. Δεῖ δὲ μηδὲ τοῦτο αὐτὸ ἀγνοεῖν, ὅτι χρὴ προσέχειν τῷ πολλῷ χρόνῳ καὶ τοῖς πολλοῖς ἔτεσιν, ἐν οἷς οὐκ ἂν ἔλαθεν εἰ ταῦτα καλῶς εἶχεν. Ne hoc quidem ignorare oportet, quod est attendendum ad longum tempus et ad multos annos, quibus haec, si bene et recte fieri potuissent, non latuissent.

inclinationi humanae voluntatis, cui sane independentia placet ac libertas: contrarium vero modum esse infensum voluntati, cui sane subiectio displicet atque obedientia illa, quam socialis secum fert et exigit auctoritas (1).

Probatur 2.) ex eo, quod sine auctoritate conveniens consecutio finis socialis sit impossibilis. Etenim assecutio finis socialis est fructus, qei debetur summae actionum socialium rite et constanter positarum. Atqui sine auctoritate est impossibile, ut habeatur summa haec actionum socialium rite et constanter praestitarum. Ergo sine auctoritate conveniens assecutio finis est impossibilis.

Minoris veritas apparebit, si tria haec simul perpendantur. Spectetur *a)* natura actionum seu officiorum socialium, quae sunt rite et constanter a sociis praestanda. Sociales hae actiones sunt eiusmodi, ut non omnes debeant a singulis poni, sed aliae ab uno, aliae ab alio; sunt eiusmodi, ut vehementer differant inter se, quatenus aliae nobiliores sunt, aliae ignobiliores, aliae magis, aliae minus laboriosae (2). Spectetur *b)*

---

(1) « In ogni società, inquit Taparelli, *saggio teoret.* ecc. dissertazione II. cap. 5. n. 421., esiste un'autorità, vale a dire esiste o una persona o un'assemblea, in cui tutti riconoscono il potere di obbligare. Sia domestica la società o politica, sia incivilita o barbara, sia legittima o scellerata, ella ha *i suoi capi* o *il suo capo;* e questo uomo solo o questo pugno d'uomini muove a suo talento una moltitudine, in cui d'ordinario pochissimi inclinano a lasciarsi condurre, molti sono all'autorità avversi, non pochi le fanno risolutamente opposizione anco per via di fatto. Come spiegheremo noi questo fenomeno sì opposto al genio natìo dell'uomo per la libertà? »

(2) Ad rem Aristoteles, l. nunc cit. num. 9.: Δεῖ μὲν γὰρ εἶναι πως μίαν καὶ τὴν οἰκίαν καὶ τὴν πόλις, ἀλλ' οὐ πάντως. Ἔστι μὲν γὰρ ὡς οὐκ ἔσται προϊοῦσα πόλις, ἔστι δ' ὡς ἔσται μέν, ἐγγὺς δ' οὖσα τοῦ μὴ πόλις εἶναι ἔσται χείρων πόλις, ὥσπερ κἂν εἴ τις τὴν συμφωνίαν ποιήσειεν ὁμοφωνίαν ἢ τὸν

natura sociorum, qui socialia illiusmodi officia debent rite et constanter implere. Ii diversis pollent viribus et facultatibus, ita ut non sint aeque apti iisdem muneribus socialibus implendis: diversis insuper commoventur passionibus, quibus vel penitus retrahuntur ab exsequendis officiis socialibus, vel impediuntur ab iisdem rite et constanter exsequendis. Spectetur *c)* natura finis, qui per actiones sociales debet obtineri. Natura finis est huiusmodi, ut saepe quidem evidenter dignoscatur certum hunc agendi modum omnino requiri ad finem assequendum, saepe vero appareat finem obtineri posse, sive hic agendi modus, sive ille alius eligatur, videlicet, hoc tantumodo appareat vel hunc vel illum agendi modum disiunctive exigi ad finis assecutionem: rursus, natura finis quoad aliquas actiones exigit, ut eae constanter ponantur eademque semper ratione, quoad alias vero actiones exigit, ut pro adiunctorum varietate modo haec, modo ea actio, modo hac, modo illa ratione prae-

---

ῥυθμὸν βάσιν μίαν. Ἀλλὰ δεῖ πλῆθος ὄν, ὥσπερ εἴρηται πρότερον, διὰ τὴν παιδείαν κοινὴν καὶ μίαν ποιεῖν Quae verba sic apte explicat Silv. Maurus: « Civitas ac domus debent quidem habere unitatem, sed non maximam. Est enim aliqua unitas, quae si in civitatem inducatur, eo ipso non erit civitas: est aliqua unitas, quae si inducatur, civitas erit deterior. Probatur et explicatur. Sicut ad symphoniam requiritur quidem unitas vocum, sed non omnimoda, ideoque si omnes voces sint eiusdem rationis, puta omnes graves vel omnes acutae, non erit symphonia sed uniphonia: et sicut ad carmen requiritur ut non omnes pedes sint eiusdem rationis, ideoque si omnes pedes sint eiusdem rationis, non erit versus; sic ad civitatem requiritur quidem unitas, sed non omnis unitas. Civitas ergo debet esse una ex multis civibus et domibus: cives autem debent esse dissimilis conditionis, cum alii debeant esse *artifices,* et quidem diversarum artium, alii in *magistratibus* constituti et quidem diversis etc. Talis autem multitudo debet fieri una unitate ordinis inducti per legem et disciplinam communem. » Cf. vol. II. pag. 314. adnot. 1.

stetur: demum, natura finis est eiusmodi, ut saepe difficile sit cognitu quinam agendi modus ad finem consequendum sit servandus, ita ut magna perspicacia et experientia requiratur ad dignoscendum quid pro finis assecutione sit agendum (1). Haec tria si perpendantur, apparebit necessariam esse in humana societate auctoritatem, seu principium determinans, quid a sociis sit agendum, et ita determinans, ut omnes moraliter obliget, pigros urgeat, nolentes cogat, transgressores puniat, bonos remuneret.

Probatur 3.) a pari. Quemadmodum socii comparari apte possunt cum distinctis humani corporis membris; ita finis societatis comparari potest cum incolumitate humani compositi, cuius gratia membra existunt, atque mira adeo proprietatum et functionum varietate distinguuntur. Atqui actum esset de incolumitate humani compositi, nisi singula membra cuidam principio subessent, quo ipsorum functiones regerentur, ordinarentur, atque ad praestitutum scopum dirigerentur (2). Ergo ad societatem servandam incolumem potestas requiritur socialis, quae proinde merito dicitur esse velut anima seu forma societatis.

Itaque, ut cum s. Thoma (3) concludamus, « necesse est in hominibus esse per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus hominibus, et unoquoque id quod est sibi congruum providente, multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam esset aliquis de eo, quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens; sicut et corpus hominis et cuiuslibet animalis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore, quae ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Quod considerans Salomon dicit (4).

(1) Cf. Taparelli, *Saggio* ecc. dissert. II. cap. 5. n. 424.

(2) Cf. Schrader, comment. cit. n. 32.

(3) De regim. princ. l. 1. c. 1.

(4) Prov. XI. 14.

Ubi non est gubernator, dissipabitur populus. » — Hunc s. Thomae locum sic declarat Suaresius (1): « Ratio clara est, quia singula privata membra privatis commodis consulunt, quae saepe contraria sunt bono communi, et interdum multa sunt necessaria communi bono, quae ad singulos non ita pertinent, et quamvis interdum pertineant, non procurantur eo quod communia, sed quod propria sunt; ergo in communitate *perfecta* necessaria est publica potestas, ad quam ex officio pertineat commune bonum intendere ac procurare. » Haec quidem de quavis omnino humana societate valent; verum potiori iure valent de societate *perfecta.*

Animadvertas rursus id, de quo iam dixi, aliud esse loqui de auctoritate in se spectata, aliud vero loqui de certa forma, secundum quam auctoritas in concreto existit, atque de determinato subiecto, in quo auctoritas residet et a quo exercetur. In thesi hac loquimur de auctoritate in se spectata, et hoc contendimus, debere in quavis societate esse principium unitatis et ordinis socialis. Neque enim ea est natura societatis humanae in genere spectatae, ut exigat auctoritatem existere in hoc potius quam in illo subiecto, in una persona physica potius quam in una morali (2), secundum hanc potius quam secundum illam formam.

114. Scholion. Quaeres, quaenam sint iura, quae auctoritas habet in suos (3)? — Auctoritas est veluti principium

(1) De leg. l. III. c. 1. n. 5.

(2) Auctoritas quidem debet esse *una*. Ut recte ait Tullius, de republ. l. 1. c. 8., « imperium nisi unum sit, esse nullum potest. » At *una* esse potest vel *physice*, vel *moraliter*, ut contingit quando auctoritas residet in coetu aliquo, vel in tota collectione sociorum.

(3) A iuribus, quae auctoritas habet *in suos*, distingui debent iura, quae eadem auctoritas habet *in extraneos*. Haec dici a nonnullis solent iura *transeuntia*, illa vero iura *immanentia*.

unitatis et ordinis socialis, seu societatis quasi anima. Atqui ut talis sit, debet triplici hoc pollere iure, i. e. iure *leges ferendi, iudicandi, cogendi* seu *exsequendi*. Ius leges ferendi est ius proponendi, et quidem modo obligatorio, media ad finem socialem conducentia. Ius iudicandi duo potissimum complectitur, nempe ius iudicandi de genuino legum latarum sensu, et ius iudicandi de actionibus sociorum, utrum et quo in gradu sint a legibus difformes, vel iisdem conformes. Ius cogendi duo praecipue continet, nempe ius redintegrandi ordinem socialem violatum seu puniendi proportionatis poenis violatores ordinis socialis, et ius adhibendi vim physicam ad socios renuentes cogendos ut officia socialia impleant. Porro iuribus in potestate ordinante respondent, ut patet, officia ex parte subditorum. Et haec de societate potissimum perfecta valent, suisque locis erunt illustranda.

ARTICULUS II.

De naturali hominis sociabilitate.

THESIS XXXIX.

Hominem esse natura sua socialem, veritas est multiplici ex capite manifesta.

115. Demonstratio. Homines vixisse semper et ubique vivere in societate coniunctos, factum est, quod negari a nemine potest. Quaestio tantummodo est de *origine* huius facti, utrum repeti id debeat ex ipsa natura, an ex hominum adinventione et libero consensu. — Iamvero hominem prae ceteris animalibus esse ab ipsa natura factum ordinatumque ad socialem una cum aliis vitam agendam, multiplici

ex capite probatur, hac tamen veritate praesupposita, Deum esse tum sapientissimum conditorem, tum providissimum gubernatorem suarum creaturarum, nec minorem curam habere de rationalibus, quam de irrationalibus creaturis, quae propter illas rationales sunt ab ipso conditae.

I. Argui *primo* potest ex ipso facto, de quo diximus, universali et constanti, homines scilicet vixisse semper et ubique vivere simul in societate coniunctos. — Nam factum universale et constans nequit aliam sui causam habere, nisi aliquid, quod universale sit et constans et identicum in omnibus hominibus. Atqui nihil est universale, constans et identicum in omnibus hominibus, nisi ipsa natura: cetera praeter naturam sunt in singulis varia, mutabilia, diversa. Ergo factum illud nequit aliam sui causam habere, nisi ipsam naturam (1).

II. Arguimus *secundo* ex naturali, in qua homo nascitur, indigentia rerum, quae ad ipsam vitae conservationem sunt necessariae, cui indigentiae succurrendae sibi unus homo non sufficit. — « Bruta quidem sunt a natura ita instructa, ut possint sibi singula sufficere, homo autem tam multis rebus indiget, ut *solus* vivere nullo modo possit. Nam bruta nascuntur vestita et armata et aestimativam habent ita determinatam ad omnia, quae sibi conveniunt, ut naturaliter sine ullo doctore statim noverint nidos aedificare, alimenta quaerere, et medicinam etiam sibiipsis facere. At homo nascitur sine vestibus, sine domo, sine alimentis, omnium rerum egenus; et quamquam habet manus et rationem, quibus omnia instrumenta parare potest, tamen singula longum tempus requirunt, et adeo longum, ut sit impossibile sibi unum hominem sufficere ad omnia; praesertim cum nascamur rudes, et artes magis doctrina, quam

(1) Cf. super. vol. II. thes. XXV. pag. 281.

experientia discantur. Ergo necesse est, ut simul vivamus, et unus alium iuvet. » Ita Bellarminus (1). Brevius, natura, seu verius naturae auctor Deus vult, hominem frui perfecta rerum, quae ad vitae conservationem sunt necessariae, sufficientia. Sed homo solitarius hac plena rerum sufficientia frui nequit, fruitur autem iunctus consociatusque

(1) De Laicis c. V. Eadem sic exponit s. Thomas, opusc. de regim. princ. l. 1. c. 1.: « Naturale est homini, ut sit animal sociale et politicum, in multitudine vivens, magis etiam quam omnia alia animalia, quod quidem naturalis necessitas declarat. — Aliis enim animalibus natura praeparavit cibum, tegumenta pilorum, defensionem, ut dentes, cornua, ungues vel saltem velocitatem ad fugam. Homo autem institutus est nullo horum sibi a natura praeparato, sed loco omnium data est ei ratio, per quam sibi haec omnia officio manuum possit praeparare, ad quae omnia praeparanda unus homo non sufficit. Nam unus homo per se sufficienter vitam transigere non posset. Est igitur homini naturale, quod in societate multorum vivat. — Amplius, aliis animalibus insita est naturalis industria ad omnia ea, quae sunt eis utilia vel nociva, sicut ovis naturaliter aestimat lupum inimicum. Quaedam etiam animalia ex naturali industria cognoscunt aliquas herbas medicinales, et alia eorum vitae necessaria. Homo autem horum, quae sunt suae vitae necessaria, naturalem cognitionem habet solum in communi, quasi eo per rationem valente ex universalibus principiis ad cognitionem singulorum, quae necessaria sunt humanae vitae, pervenire. Non est autem possibile, quod unus homo ad omnia huiusmodi per suam rationem pertingat. Est igitur necessarium homini, quod in multitudine vivat, et unus ab alio adiuvetur, et diversi diversis inveniendis per rationem occuparentur, puta, unus in medicina, alius in hoc, alius in alio. — Hoc etiam evidentissime declaratur per hoc, quod est proprium hominis locutione uti, per quam unus homo aliis suum conceptum totaliter possit exprimere. Alia quidem animalia exprimunt mutuo passiones suas in communi, ut canis in latratu iram, et alia animalia passiones suas diversis modis. Magis igitur homo est communicativus alteri, quam quodcumque animal, quod gregale videtur, ut grus, formica et apis. Hoc ergo considerans Salomon in Ecclesiaste ait, *Melius est esse duos quam unum, habent enim emolumentum mutuae societatis.* »

cum aliis. Ergo natura vult hominem vitam cum aliis socialem vivere. Haec sane conclusio est manifesta (1), nisi auctorem naturae redarguere velimus vel crudelitatis, eo quod nolit hominem perfecta rerum sufficientia frui, vel improvidentiae, eo quod illam intendens tamen non det homini modum illam assequendi: eo vel magis, quod natura liberalem se et providam gerat erga bruta, quae tamen sunt propter hominem.

III. Arguimus *tertio* ex naturali. qua homo sibi relictus laborat, impotentia se protegendi et defendendi ab iniuriis. — « Etiamsi, ut idem pergit Bellarminus, quisque sufficeret sibi ad vivendum, tamen numquam sufficeret ad protegendum se ab impetu ferarum et latronum, sed ad hoc necesse est convenire et collatis viribus resistere. » Quare idem rursus redit argumentum. Natura sane non vult hominem esse facillimam ferarum praedam ac victimam latronum. Atqui talis est homo, si solitarius vivat, secus autem, si vivat socialiter. Ergo natura vult hominem non quidem solitariam, sed socialem vitam agere.

IV. Arguimus *quarto* ex eo, quod homo extra aliorum consortium vivens multis scientiis et artibus multisque virtutibus careret, sicque rudis omnino atque imperfectus maneret. — « Licet homo sufficeret sibi etiam contra hostes, tamen semper maneret rudis, et exspers sapientiae et iustitiae multarumque aliarum virtutum, cum tamen ad hoc nati simus, ut mentem et voluntatem praecipue exerceamus. Nam scientiae et artes longo tempore et a multis inventae sunt, et sine doctore percipi non possunt: iustitia autem nonnisi in societate exerceri potest, cum sit virtus

(1) Argumentum hoc alteri huic simile est. Natura vult hominem ex terrae fructibus cibum habere. Sed terra, si eam homines non excolant, convenientes fructus non fert, fert autem, si eam colant. Ergo natura vult hominem suis laboribus terram excolere.

constituens aequitatem inter plures. » Vult nempe natura hominem ad convenientem suarum facultatum evolutionem atque congruam tum corporis tum animi perfectionem pervenire per scientias artes virtutumque exercitium. Atqui homo solitarius id assequi nequit, potest autem obtinere iunctus et consociatus cum aliis. Ergo natura hominem ad mutuam habendam cum aliis hominibus communicationem ordinat.

V. Arguimus *quinto* ex facultate loquendi et audiendi (1). — « Donum loquendi et audiendi, id est, percipiendi distincte verba, quorsum homini collatum est, si debeat solitarius vivere? » Et sane ad quid natura hominem ordinet, recte dignoscitur ex facultatibus, quibus hominem donat. Fieri enim nequit, ut hominem non ordinet ad illud, ad quod facultates, quibus eum instruit, essentialem ordinem habent. Atqui homini prae ceteris animalibus donat facultates loquendi et audiendi, et hae facultates essentialem habent ordinem ad vitam socialem. Ergo natura hominem prae ceteris animalibus ordinat ad vitam socialem. Conclusio est clara, nisi dicere velis naturam temere et frustra operari, hominemque esse tumultuarium et incogitatum opus (2).

---

(1) Recte arguit Tongiorgi, Eth. num. 432. 4., non solum ex facultate loquendi, quae est essentialiter socialis, sed ex ipso hominis adspectu. « Vultus et oculi vere animi imaginem exhibent, nullaque est intima affectio, nullus occultus motus, qui vultu et oculis atque adeo variis membrorum motibus non significetur, ita ut omnes perspicere possint, quem affectum alter animo conceperit, qua cupiditate agitetur, quid cogitet, quid velit. Hic autem mutus sermo luculentissimo indicio est, hominem ad mutuam cum aliis hominibus communicationem natum factumque esse atque ab ipsa natura ad id institui. »

(2) « Scias non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus. » Seneca de benef. l. VI. c. 23. Et ibidem paulo superius: « Cogitavit nos ante natura quam fecit; nec tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere. »

VI. Arguimus *sexto* ex eo, quod homo naturali propensione fertur ad socialem vitam cum aliis ducendam. — « Quid dulcius, quaerit Tullius (1), quam habere, quicum omnia audeas sic loqui ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque ac tu ipse gauderet? Adversas vero ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret. » Haec autem naturalis propensio est multo intensior ac vehementior erga aliquos, ob specialem coniunctionem sanguinis, vel morum similitudinem, vel vinculum affinitatis, vel accepta ab eis beneficia: adeo ut nil magis violentum, quemadmodum unicuique experientia ipsa constat, quam a parentibus vel affinibus, a cognatis vel amicis, quamvis ad breve tempus, avelli. Iamvero ex propensionibus, quas natura ipsa homini indit, recte colligimus, quidnam sit illud ad quod natura hominem destinat. Neque enim fieri potest, ut natura hominem non destinet ad id, ad quod per innatas illas propensiones tantopere eum inclinat.

Placet finem huic thesi imponere verbis Senecae (2): « Quo alio tuti sumus, quam quod mutuis iuvamur officiis? Hoc uno instructior vita contraque incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? praeda animalium et victimae, ac imbecillissimus et facillimus sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est: quaecumque vaga nascuntur et actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem ceteris fecit: nudum et infirmum societas munit. Duas res dedit, quae

(1) De amic. c. VI. Hoc saepe inculcat Cicero, hominem non modo ob *indigentiam* et *imbecillitatem*, sed etiam ex naturali *erga alios propensione*, immo vero ex hac potissimum ferri ad socialiter cum aliis vivendum. Cf. de amic. c. VIII., de Rep. I. 25.

(2) De benef. l. IV, c. 18.

illum obnoxium, validissimum faciunt, *rationem* et *societatem*. Itaque qui par esse nulli posset, si seduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: societas terris genitum, in alienae naturae transmisit imperium et dominari etiam in mari iussit. Haec morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit: haec fortes nos facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes. » Restat igitur hominem esse natura socialem, et hanc sociabilitatem, seu ordinationem ad socialiter vivendum cum aliis, esse illi *essentialem* (1).

Cuius sociabilitatis *finis immediatus* est, ut homines per mutuam virium consociationem se invicem adiuvent ad eam copiam bonorum externorum eamque securitatem atque illam corporis animique perfectionem assequendam, quas solitarii assequi homines convenienti in gradu nequeunt.

THESIS XL.

Haec naturalis hominis sociabilitas, ipso naturali ordine sic exigente, exeritur in actum, primo quidem, sed incomplete, in familia, dein vero et complete in stabili plurium familiarum in unum corpus politicum unione, quam civitatem appellamus. Hinc societates, tum domestica, tum civilis, sunt proprio ac stricto sensu naturales.

116. Demonstratio. Quum ratum fixumque sit, hominem ab ipsa natura ad societatem impelli, illud est ulterius inquirendum, utrum aliqua sit societas *specialis*, ad

---

(1) Hinc quum natura non exuatur, asserunt doctores quod homines in statu etiam innocentiae socialem vitam vixissent. « Homo, ait s. Thomas, I. p. q. 97. a. 1., naturaliter est animal sociale. Unde homines in statu innocentiae socialiter vixissent. »

quam *determinate* homo a natura ordinetur, an vero ita a natura ad socialem vitam dirigatur, ut tamen nulla sit particularis societas, ad quam determinate ab ipsa inclinetur. Iamvero contendimus, duas esse societates, ad quas homo naturaliter est comparatus. Prior est societas domestica seu familia, altera civitas. Nomine autem *civitatis* (ut aliquam eius definitionem praestituamus) venit, unio plurium, in sufficienti numero, familiarum conspirantium sub visibili auctoritate communibusque legibus ad securitatem et prosperitatem seu sufficientiam vitae consequendam. Has igitur binas societates, *familiam* et *civitatem*, dicimus esse naturales. Duplex autem afferemus argumentum, alterum a posteriori, alterum vero a priori.

I. Arguimus *primo*, *a posteriori*, ex universalitate et constantia facti. — In primo mundi exordio familiam invenimus: genere autem humano per plures familias propagato, statim civilem etiam consociationem, saltem inchoativam, reperimus: ex illo autem ad nostrum usque tempus familiae semper extiterunt, eaeque constanter et ubique non seorsim vixerunt, sed in unum politicum corpus illudque stabile coiverunt. Iamvero, cum nihil sit sine ratione sufficienti, hoc etiam factum causam sui, et quidem adaequatam, habeat necesse est. Atqui facti huius *universalis* et *constantis* nulla alia sufficiens ratio esse potest, nisi aliquid, quod tum *identice* sit tum *constanter* in hominibus: nihil autem est identicum et constans in hominibus, nisi ipsa hominis natura. Ergo factum illud causam sui adaequatam non habet, nisi in ipsa hominis natura, quae nimirum hoc exigit ad convenientem sui perfectionem, ut familiae sint, eaeque in unum politicum corpus consociatae. Hoc argumentum maiorem adhuc vim habet, si tria haec considerentur: *a*) Plurimae aliae, praeter domesticam et civilem, societates floruere. Atqui vicissitudines, quibus a mundi exordio humanum

genus fuit subiectum, tot tantaeque fuerunt, ut nullae societates constanter et universaliter perdurarint, exceptis his duabus, domestica nimirum et civili. *b*) Contigit frequenter, ut societas aliqua civilis dissolveretur, et ad anarchiam delapsa interiret: quamprimum autem eadem, sub alia licet forma, revixit, vel certe eius membra novum civile consortium instituerunt, aut se se alteri civili societati adiunxere. *c*) Quo magis familiae secundum humanae naturae dignitatem et naturalem legem vixerunt, eo perfectior fuit societas civilis, quam efformarunt.

II. Arguimus *secundo a priori,* ex eo, quod societas domestica sit maxime quidem necessaria, non tamen ex se sola sufficiens ad consecutionem naturalis illius ordinis, prosperitatis et pacis, quam natura inter homines vult. Ea nimirum argumenta, quae in praecedente thesi attulimus, probant naturalem necessitatem inprimis domesticae, tum vero etiam civilis societatis.

Audiatur Suaresius (1): « Duplex est communitas hominum, imperfecta seu familiaris, et perfecta seu politica. Inter quas prior est maxime naturalis et quasi fundamentalis, quae inchoatur ex societate maris et feminae (societas coniugalis), sine qua non posset genus humanum propagari aut conservari, qua ratione scriptum est, *non est bonum hominem esse solum*. Ex coniunctione hac proxime sequitur societas filiorum cum parentibus (societas parentalis), quia prior coniunctio ad filiorum educationem ordinatur: filii autem in principio et per multum tempus aetatis indigent coniunctione et societate parentum, quia alias nec vivere, nec convenienter educari, nec recte instrui possent. His autem statim accedit coniunctio aliqua servitutis, seu famulatus et dominii (societas herilis): quia moraliter loquendo

(1) De leg. l. III, c. 1, n. 3.

indigent homines adiutorio et ministerio aliorum hominum. Ex his autem tribus coniunctionibus, coniugali, parentali, herili, consurgit prima communitas hominum, quae imperfecta dicitur respectu politiae: est autem in se familia perfecta in ordine ad domesticam seu œconomicam gubernationem. Haec autem communitas non est sibi sufficiens, et ideo ex natura rei necessaria ulterius est in genere humano communitas politica, quae *civitatem* saltem constituat et ex pluribus familiis coalescat. Quia 1. nulla familia potest in se habere omnia ministeria et omnes artes necessarias ad vitam humanam, et multo minus potest sufficere ad assequendam omnium rerum necessariarum cognitionem. Item quia 2. si singulae familiae essent inter se divisae, vix posset pax inter homines conservari, neque iniuriae possent ordinate propulsari aut vindicari. Et ideo dixit Cicero in libro de amicitia, nihil principi Deo in rebus humanis esse gratius, quam homines habere inter se societatem ordinatam et perfectam, quae civitas, inquit, dicitur. Haec autem communitas ulterius augeri potest in *regnum* vel *principatum* per societatem plurium civitatum, quae etiam est valde conveniens humano generi, saltem ad melius esse, propter easdem rationes cum proportione applicatas, quamvis necessitas non sit omnino aequalis. »

Societas igitur domestica est maxime naturalis, et ex ea naturaliter exsurgit unio plurium familiarum seu civitas, et unio etiam plurium civitatum seu regnum vel principatus. Nimirum ex *naturali* tum indigentia, tum ad se defendendum impotentia, tum perfectibilitate physica ac morali, tum loquendi audiendique facultate, tum erga alios propensione, in quibus et cum quibus homines, secus ac bruta, nascuntur, et quas nullus homo sibi relictus explere convenienter potest, potest autem explere in coniunctione cum aliis, concludendum est *primo*, naturam (nisi velimus

insipientiae et etiam crudelitatis arguere Deum naturae auctorem, qui frustra agat, hominem negligat, et sollicitiorem de belluis curam gerat) ordinare hominem, secus ac bruta, ad socialiter vivendum cum aliis, et quidem speciatim in domestica societate, in qua primis hominis necessitatibus satisfit. Si in ipsa familia homo inveniret modum idoneum et media sufficientia ad illam naturalem indigentiam, impotentiam, perfectibilitatem, facultatem, propensionem convenienter explendam, dici tunc posset naturam non exigere aliam ulteriorem societatem. At cum res non ita se habeat, ut ex allatis Suaresii verbis patet, concludendum est *secundo*, ordinem naturalem exigere ulteriorem aliam societatem familia perfectiorem, in qua praedicta media convenienti in copia adsint, i. e. exigere ut familiae stabilibus inter se relationibus uniantur ad se se mutuo adiuvandum, protegendum, perficiendum, amandum. Atqui huiusmodi familiarum mutuis relationibus devinctarum consociationem vocamus vicum, civitatem, provinciam, principatum, regnum: multiplex enim est in familiarum consociatione progressus (1). Ergo ipse naturae ordo exigit, ut familiae non vivant separatae ad invicem, sed in unum policum corpus unitae.

(1) Hanc naturalem progressionem a *domo* ad *regnum* sic exponit s. Thomas, de regim. princ. l. 1. c. 1.: « Cum homini competat in multitudine vivere, quia sibi non sufficit ad necessaria vitae, si solitarius maneat: oportet, quod tanto sit perfectior multitudinis societas, quanto magis per se sufficiens erit ad necessaria vitae. — Habetur siquidem aliqua vitae sufficientia in *familia domus unius*, quantum scilicet ad naturales actus nutritionis et prolis generandae et aliorum huiusmodi: — in uno autem *vico*, quantum ad ea, quae ad unum artificium pertinent: — in *civitate (urbe)* vero, quae est perfecta communitas, quantum ad omnia necessaria vitae: — sed adhuc magis in *provincia* una propter necessitatem compugnationis et mutui auxilii contra hostes. Unde qui perfectam communitatem regit, i. e. civitatem vel provinciam, antonomastice *rex* vocatur. »

Itaque societates domestica et civilis sunt naturales. Tunc enim, ut iam superius diximus, societas aliqua dicitur et est naturalis, quando ad eam determinate homo ab ipsa natura est ordinatus, tamquam societatem ei necessariam ita, ut sine ea homo perfectionem convenientem assequi nequeat. Atqui huiusmodi esse binas has societates, domesticam et civilem, ex iis, quae hac in thesi exposuimus, manifeste apparet. Sunt igitur societates naturales: homo autem, qui ad eas ordinatur a natura, est naturaliter animal non solum domesticum sed etiam civile (1). Utque verbis Card. Bellarmini hanc thesim concludamus (2), « recte dixit Aristoteles hominem natura civile esse animal, magis quam sint apes et grues et quaecumque animalia, et si quis solitarius vivat, ἄπολις, aut esse bestiam aut Deum (3), idest aut minus aut maius homine. »

117. Scholion. Contra hanc thesim arguere solent ex malis, calumniis mendaciis furtis homicidiis etc,. quae ex

(1) Lib. 1. Polit. c. 1.: ἄνθρωπος φύσει πολιτικὸν ζῷον.

(2) De laicis l. super. cit.

(3) Haec verba Aristotelis sic explicat Maurus, comment. in h. l.: « Qui vel ita est pravus ut non possit vivere in societate civili, vel ita est perfectus, ut sit sibi sufficiens extra societatem civilem, non tam est homo quam bestia vel Deus. Est quidem bestia, si propter pravitatem non potest vivere in societate civili, quia per vitium plusquam humanum corrupta est moraliter natura humana: est autem Deus, si est sibi sufficiens, quia per virtutem plusquam humanam mutatus est moraliter in Deum vel intelligentiam separatam. » Et hoc alterum de Christianis anachoretis dicendum est. Ut ait Bellarminus, l. cit., « qui penitus solitarii vixerunt, ut Paulus primus eremita, Maria Magdalena, Maria Aegyptiaca, et si qui sunt alii, dici possunt aliquid amplius homine habuisse, non natura, sed gratia: nam non sine miraculo alebantur a Deo, ut notum est; ceteri autem, etsi in solitudine degerent, tamen frequenter simul conveniebant, et Abbatibus suis subiecti erant. » Pro hac thesi iuverit legere homiliam 34. in 1. ad Cor., s. Ioannis Chrysostomi.

vita sociali consequuntur. — Respondemus 1.) horum malorum nihil enasci *per se* ex ipsa vita sociali, sed *per accidens* occasione vitae socialis ex improbitate hominum. Nulla autem est bona res, nulla bona institutio, cuius occasione ob hominum improbitatem non enascantur mala. — Animadvertimus 2.) haec mala esse multo rariora et minora iis malis, quae *per se* orirentur ex vita solitaria, si hanc homines invicem seiuncti agerent. — Adnotamus 3.) non tantummodo mala, quae occasione vitae socialis ob hominum nequitiam exsurgunt, considerari debere, sed etiam bona quae ex vita sociali sequuntur (1).

Quae hoc in scholio diximus, in mentem revocant notos illos divini Poetae versus (2):

> . . . . . . Or dì, sarebbe il peggio
> Per l'uomo in terra, se non fosse cive?
> Sì, rispos'io; e qui ragion non chieggio.
> E può egli esser, se giù non si vive
> Diversamente per diversi uffici?
> No, se il maestro vostro ben vi scrive.
> Sì venne deducendo insino a quici.
> Poscia conchiuse: dunque esser diverse
> Convien de' vostri effetti le radici;
> Perchè un nasce Solone, ed altro Serse,
> Altro Melchisedech, ed altro quello,
> Che volando per l'aere il figlio perse.

Hoc loco Dantes loquentem inducit Carolum Martellum, docetque tria: — 1.) Peior fuisset hominis *solitarii* conditio, quam sit conditio hominis *civis*: — 2.) Civilis societas absque magna officiorum varietate nequit subsistere:

(1) Haec obiectio est similis illi, quae afferri solet contra dominia privata, et simili modo solvitur. Cf. super. vol. II. thes. XXV. pag. 285.

(2) Par. VIII. v. 115. seqq.

— 3.) Idcirco divina providentia magnam indidit humanis pectoribus diversitatem aptitudinum ad varia officia atque propensionum. De tribus hisce aliquid dicamus.

I. Quod spectat ad *primum*, hoc Danti ita evidens fuit, ut omnino superfluum duxerit rationem eius quaerere: *ragion non chieggio*. Homo solitarius quot quantisque bonis, quibus in civili consortio fruitur, careret! In vitae ortu seu in infantia careret subsidio, eodemque destitueretur in vitae occasu i. e. in senectute. Nonne careret cibo ad famis stimulos sedandos, vestibus contra hiemis asperitatem, medicamentis ad morbos depellendos? Ubinam, quaeso, inveniret tutelam in periculis, in rebus dubiis consilium, solamen in adversis, adiumentum ad finis ultimi et moralium officiorum cognitionem acquirendam?

II. Ad alterum quod attinet, id Aristoteles (1), *il maestro di color che sanno,* ostendit ex magna varietate operum seu rerum, quibus civitas indiget, ut bene sit. — « Primum igitur *alimentum*, deinde *artes* suppetere debent: vita enim instrumentis indiget. Tertio loco *arma* desiderantur. Nam qui reipublicae communionem inierunt, hos armis instructos esse oportet, tum ad tuendum imperium ut id detrectantes coerceantur, tum ad vim propulsandam si quis iniuriam extrinsecus inferre conetur. Praeterea *pecuniarum* copia quaedam ad usus et civiles et militares adesse debet. Quinta est ea, quae primo loco ponenda fuit, πέμπτον δὲ καὶ πρῶτον, rerum divinarum procuratio, quod *sacerdotium* appellatur. Sextum, omniumque maxime necessarium, *iudicium* de commodis reipublicae et de iuribus quae inter cives disceptantur. Haec igitur fere sunt opera, quae in omni civitate desiderantur. Civitas enim multitudo est non quaevis, sed quae sibi suis viribus sufficit ad vitam degendam (en socie-

---

(1) Politic. l. VII. c. 7. Cf. etiam l. IV. c. 3.

tatis *perfectae* definitio). Si quid horum forte desit, fieri non potest absolute, ut haec societas sibi ipsi sufficiat. » — Hac enumeratione rerum seu operum, quae ad civitatem necessaria sunt, praestituta, sic Philosophus concludit : « Quum, igitur per has operationes civitatem consistere oporteat, necesse est, ut in civitate sint — *agricolae* qui in cibo parando sint occupati — *artifices* — *milites* — *locupletes* — *sacerdotes* — stricti iuris ac commodorum *iudices* seu *magistratus.* »

III. Quod attinet ad tertium, cum Deus velit societatem civilem, cumque ad eam (ut revera sufficiens seu perfecta sit) praedicta officiorum diversitas requiratur; ad divinam providentiam spectat efficere, ne ea officiorum varietas desit. Id autem divina providentia fortiter ac suaviter efficit, humanis animis indendo magnam aptitudinum ad varia illa officia seu propensionum varietatem. Qua de re experientia ipsa constat. Videmus enim, quod in uno homine aptitudo inest ad populos sapientibus legibus gubernandos (*un nasce Solone*): in alio inclinatio inest ad exercitus regendos (*ed altro Serse*): in hoc est propensio ad sacerdotalia numera (*altro Melchisedech*): in illo ad artes mechanicas aut liberales (*ed altro quello che volando per l'aere il figlio perse, Dedalo*). Haec scilicet naturalis diversa habitudo (accedente varietate occasionum, commodo, lucro, honore etc.) satis superque est, ut numquam desint, qui illis officiis fungantur (1). = Hinc autem ad thesim hanc confirmandam validum erui potest argumentum. Cum Deus nihil temere aut casu operetur, curnam nostris animis talem inseruit aptitudinum varietatem, si solitariam vitam ab aliorum consortio seiuncti agere deberemus? Haec scilicet divinae sapientiae dispositio, quae optime explicatur, admissa

(1) Cf. s. Th. suppl. q. 41. a. 2. ad 4um.

naturali hominis sociabilitate, hac reiecta, nulla amplius ratione potest intelligi. Homo igitur est aptus natus ad civilem societatem.

Sunt quidem (ut ad obiectionis hoc in scholio propositae solutionem redeamus) in medio civilis cuiusque societatis mala; sed in ea sunt tantummodo ex *subditorum atque etiam principum seu magistratuum culpa*. « Si cum nunc sunt principes et magistratus, *multique sunt in eis corrupti et depravati,* tantus tamen rei est usus, ut etiam cum mali sint, magna ex eis capiatur utilitas; cogita apud te, si ii, quibus sunt crediti magistratus, *eos recte gererent*, quam bene cum genere humano ageretur. Sed magistratus quidem constituere fuit Dei opus: quod autem improbi ad eos provehantut, et eis non ut decet utantur, est hominum improbitatis. » Quae praeclarissima sunt s. Ioannis Chrysostomi verba (1).

THESIS XLI.

Status naturae, qualem Hobbes confingit, nullo modo est admittendus.

118. Demonstratio. Quod homo sit natura sua socialis, quodque naturalis hominis sociabilitas, ipso naturali ordine sic exigente, actuetur ultra familiam in civitate, quae proinde sit societas omnino naturalis; haec negant Hobbes (2) et

(1) Expositio in ps. CXLVIII. num. 4. Migne t. LV. pag. 491.

(2) En quomodo Hobbes suum *de cive* tractatum exorditur: « Eorum qui de Rebuspublicis aliquid conscripserunt, maxima pars vel supponunt, vel petunt, vel postulant, *hominem esse animal aptum natum ad societatem* . . ., eoque fundamento superaedificant doctrinam civilem . . . Quod axioma, quamvis a multis receptum, falsum tamen: errorque a nimis levi naturae humanae consideratione profectus est. » — Atqui axioma illud est verum, eiusque veritatem non supposuimus, sed validis argumentis ab intimae naturae humanae consideratione deductis demonstravimus.

Rousseau, eorumque sectatores. Haec autem ideo negant, ut affirment, originem illius societatis et propriae, qua ea societas regitur, auctoritatis nonnisi ex libera hominum conventione seu contractu esse repetendam: — quod homines vixerint ac vivant in civili societate et sub civili potestate, id contendunt esse non natura institutum, sed humana arte inventum et arbitraria conventione effectum. — Aliis verbis, societates illas inter liberas et pactitias reiiciunt. Quamvis autem hanc in conclusionem ambo conveniant, nimirum nullam esse naturalem in hominis constitutione aptitudinem ad vitam socialem, tamen in modo rem explicandi differunt. Hac in thesi expendendam assumimus theoriam Hobbesii.

Thomas Hobbes, natus Malmesburii in Anglia, anno 1588, rem hoc pacto explicat (1).

a) In hominis natura (quam secundum sententiam Calvinianam ait, esse *pravam* omnino et *simpliciter corruptam*, ita ut nil sit in nobis naturale, quod non sit pravum) invenit tres *malos* motus seu passiones: primo, *rivalitatem*, secundo, *diffidentiam*, tertio, *gloriam*.

b) Ex tribus hisce naturalibus passionibus affirmat, *necessario* consequi statum seu conditionem *belli* uniuscuiusque hominis contra unumquemque hominem. Nam prior, rivalitas, necessario impellit hominem ad bellandum propter *lucrum*; altera, diffidentia, propter *securitatem*; tertia, gloria, propter *famam* seu *bonam existimationem*. Prior violentiam necessario adhibet ad dominium in alios homines eorumque

(1) In opere, cui titulus, *Leviathan, or the matter, forme and power of a commonwealth ecclesiastical and civil.* Hoc opus, quod ipse Hobbes aliquot post annos ex anglica in latinam linguam vertit, considerari potest tamquam complementum tractatus, quem antea scripsit, *de cive.* — Adhaeremus textui anglico *operis Leviathan,* potius quam latino: hic enim brevior est et obscurior.

bona acquirendum (1), altera vi utitur ad dominium acquisitum tuendum, tertia ad signa quaecumque contemptus impedienda in aliis vel reprimenda (2). Concludit igitur conditionem, in qua natura hominem ponit et collocat, esse miseram belli conditionem. Animadvertit autem, bellum consistere non tantummodo in ipso confligendi actu, sed etiam in toto illo temporis tractu, quo voluntas confligendi perdurat et innotescit exterius (3).

c) Ex hac misera belli conditione exeundum profecto est: at quonam modo? Non sufficeret, inquit, mera consensio seu promissio abstinendi a mutuis iniuriis. Nam conventio inter homines fit per pacta, quae sunt quid artificiale. Ergo aliquid aliud requiritur praeter pacta, quod ipsorum conventionem efficiat constantem ac duraturam,

(1) Et haec violentia ad bona aliorum rapienda, poterat sine laesione iuris alieni, i. e. sine iniuria, *in statu naturali* inferri. Nam «in statu mere naturali (ita Hobbesius, de cive c. 1. n. 10.), sive antequam homines ullis pactis se se invicem obstrinxissent, unicuique licebat facere quaecumque et in quoscumque libebat, et possidere, uti, frui omnibus quae volebat et poterat. » Et paulo inferius: « quis de re omni poterat dicere, *hoc meum est.* » — De hac sententia Hobbesii, aientis ipsam naturam singulis hominibus immediate concedere actuale rerum omnium dominium, diximus iam super. vol. II. thes. XXVIII.

(2) Cap. XIII. « In the nature of man we find three principal causes of quarrell. First, competition, second, diffidence, third, glory. The first makes men invade for gain, the second for safety, the third for reputation. The first use violence, to make themselves masters of other men's persons, wives, children and cattell; the second, to defend them; the third, for trifles, as a word, a smile, a different opinion, and any other sign of undervalue, either direct in their person, or by reflection in their kindred, their friends, their nation, their profession or their name. »

(3) Ibid. « Men are in that condition, which is called war, and such a war, as is of every man against every man. For war consists not in battle only, or the act of fighting, but in a tract of time, wherein the will to contend by battle is sufficiently known. »

requiritur nempe *visibilis auctoritas,* quae valeat eos reprimere et metu poenarum constringere ad inita pacta observanda (1). En itaque ad naturae nostrae pravitatem remedium: remedium est fortis coercitio despoticae civilis potestatis.

a) Quod si quaeras de modo talem erigendi potestatem, Hobbes sic respondet (2): Modus unicus talem erigendi communem potestatem, quae valeat ab occupationibus alienigenarum et a mutuis iniuriis eos defendere, eaque ratione

(1) Cap. XVII. « Agreement of men is by covenant only, which is artificial: and therefore it is no wonder if there be somewhat else required (besides covenant) to make their agreement constant and lasting: which is a common power to keep them in awe, and to direct their actions to the common benefit. »

(2) Ibid. « The only way to erect such a common power, as may be able to defend them from the invasion of foreigners and the iniuries of one another, and thereby to secure them in such sort, as that by their own industry and by the fruits of the earth, they may nourish themselves and live contentedly, is, to confer all their power and strength upon one man or upon one assembly of men, that may reduce all their wills, by plurality of voices, unto one will: which is as much as to say, to appoint one man or assembly of men, to bear their person; and every one to own and to acknowledge himself to be the author of whatsoever he that so bears their person, shall act or cause to be acted, in those things which concern the common peace and safety; and therein to submit their wills, every one to his will, and their judgement to his judgement. This is more than consent or concord: it is a real unity of them all in one and the same person, made by covenant of every man with every man, in such manner, as if every man should say to every man, *I authorise and give up my right of governing myself, to this man or to this assembly of men, on this condition, that thou give up thy right to him, and authorise all his actions in like manner*. This done, the multitude so united in one person, is called a *commonwealth,* in latin *civitas.* This is the generation of that great *Leviathan,* or rather (to speak more reverently) of that mortal God, to which we owe under the immortal God our peace and defence. »

talem tantamque securitatem ipsis praebere ut possint propria industria atque ex terrae fructibus se sustentare quieteque vivere, hic est, conferre omnem suam potestatem ac vim in unum hominem aut hominum coetum, qui reducat omnes singulorum voluntates, per maiorem suffragiorum numerum, in unam voluntatem: seu, quod est idem, constituere unum hominem aut coetum hominum, qui cunctos repraesentet cunctorumque gerat vices: unumquemque autem profiteri et recognoscere se esse auctorem eorum omnium, quae ille qui uniuscuiusque vices gerit faciet aut facienda curabit, in iis quidem rebus quae ad communem pacem et securitatem pertinent: sicque suam unumquemque voluntatem submittere voluntati ipsius, suamque mentem menti ipsius. Hoc est plus quam consensus aut pactio: est vera omnium in una eademque persona unitas orta ex conventione uniuscuiusque hominis cum unoquoque homine, ac si quisque cuique dicat, *Ego permitto ac cedo meum ius regendi meipsum huic homini vel hominum coetui, hac conditione, quod tu quoque cedas illi tuum ius, omnesque ipsius actiones recognoscas aequali modo.* Hac inita conventione, multitudo sic in unam personam coadunata, appellatur *civitas.* Haec est, concludit Hobbes, origo magni illius *Leviathan,* seu potius (ut maiori cum reverentia loquar) mortalis Numinis, a quo sub immortali Deo pacem, qua fruimur, defensionemque debemus referre acceptam. — Hanc porro potestatem ait esse *absolutam* (1): hinc is, qui supremam habet potestatem non tenetur legibus civitatis: nemini *proprium* est quicquam contra illum, qui habet summum imperium: quid sit furtum, homicidium, adulterium et iniuria cognoscitur tantummodo ex legibus civilibus etc.

(1) De hoc argumento, i. e. de *absoluta* potestate principis, fusius agit in tract. *de cive;* praesertim in cap. VI., cui titulus, *de iure eius, sive Concilii sive Hominis unius, qui in civitate cum summa potestate est.*

d) Antequam ex mutua hominum conventione magnum illud *Leviathan* seu visibilis illa potestas enascatur, affirmat, ne notiones quidem iuris et iniuriae, iustitiae et iniustitiae haberi. Ubi enim (sic assertionem contendit probare) deest communis potestas, ibi non est lex: ubi non est lex, ibi nulla iniustitia. Item, ibi nulla proprietas seu dominium, ibi *meum ac tuum* non datur: sed illud est uniuscuiusque hominis, quod ipse potest arripere, et quamdiu tenere potest (1). Scilicet « in statu mere naturali (verba sunt Hobbesii iam paulo ante allata), sive antequam homines ullis pactis sese obstrinxissent, unicuique licebat facere quaecumque et in quoscumque libebat, et possidere, uti, frui omnibus, quae volebat et poterat..... Quis de re omni poterat dicere, *hoc meum est.* »

---

(1) Cap. XIII. « To this war of every man against every man, this also is consequent, that nothing can be unjust. The notions of right and wrong, of justice and injustice have there no place. Where there is no common power, there is no law: where no law, no injustice. Force and fraud are in war the two cardinal virtues. Iustice and injustice are none of the faculties neither of the body nor mind.... It is consequent also to the same condition, that there be no propriety, no dominium, no *mine* and *thine* distinct, but onely that to be every mans, that he can get, and for so long, as he can keep it. And thus much for the *ill condition, which man by mere nature is actually placed in,* though with a possibility to come out of it. » Et Cap. XVIII. « Before constitution of soverain power all men had right to all things, which necessarily causes war. and therefore this propriety, being necessary to peace and depending on soverain power, is the act of that power, in order to the public peace. » Quibus verbis statuit, dominium proprietatis oriri a politica auctoritate tamquam a fonte, seu ab ipsa procedere tamquam a primo principio efficiente. (Cf. super. vol. II. thes. XXIX.). Quae etiam est, ut statim videbimus, Rousseavii sententia.

De hac Hobbesii theoria, quam summatim exposuimus, haec pauca (quae enim iu duabus praecedentibus thesibus diximus, iam eam satis refellunt) animadvertimus.

1. Falsum est naturam hominis esse omnino pravam et simpliciter corruptam. — Est enim ad socialem vitam propensa: est ad amorem, misericordiam, aliasque virtutes disposita. Utinam sequi naturae ductum vellemus! Morales namque virtutes, ut alio loco (1) diximus, sunt in nobis a natura, si non secundum *perfectionem*, certe secundum *aptitudinem* et *inchoationem*. Natura scilicet, seu melius Deus naturae auctor dedit nobis *igniculos* atque indidit *semina* diversarum virtutum (2). Nos recto usu mediorum, quae copiose natura suppeditat, debemus eos fovere igniculos, ut in flammam erumpant, ea excolere semina, ut in plantam adolescant: erimus tunc boni ac virtutibus praestantes, idque nostrae merito industriae nostrique laboris. At contra si rectum illum mediorum usum neglexerimus, ii restinguentur igniculi, ea semina morientur: erimus tunc pravi et vitiosi, non tamen natura, sed nostra culpa nostraque malitia.

2. Quid de passionibus sentiendum sit, utrum bonae sint an malae, diximus alio loco (3). Animi motus seu passiones, si *secundum se* considerentur, *physice* quidem bonae sunt, *ethice* vero nec bonae nec malae: sunt autem *moraliter* bonae vel malae, si spectentur *secundum quod subiacent imperio rationis et voluntatis*. — Non passiones, sed passiones *indomitae* et *effraenes* sunt necessaria causa exitii: eo pacto, quo non equi, sed equi indomiti et effraenes sunt necessaria

(1) Cf. super. vol. I. thes. LVI. schol.

(2) Cf. super. vol. II. thes. IX. pag. 113. — Cartesius ipse, in iudicio, quod de Hobbesii operibus protulit in suis *epistolis*, de hoc inter alia eum reprehendit, quod *hominem supponat naturaliter malum*.

(3) Cf. super. vol. I. cap. VI., praesertim thes. LV.

causa ruinae. Quod autem passiones sint indomitae, hoc non est ex necessitate, sed quoties evenit, id ex nostra culpa evenit: eas scilicet nolumus, ut par est, compescere, nolumus fraeno habenisque coercere. « Ne culpam ergo in rem conferas, sed semper in tuam mentem (1). » Itaque falsum est, quod ex passionibus *necessario* consequatur status seu conditio misera belli seu luctae uniuscuiusque hominis contra unumquemque hominem. Huiusmodi lucta sequitur ex passionibus indomitis: sed indomitae non sunt nisi in aliquibus et ex ipsorum culpa. Bruta quidem, si passione aliqua impellantur, statim et ex necessitate eam sequuntur: at homo potest ac debet resistere passioni, quamvis vehementi, qua ad malum impellatur.

3. In magna hominum multitudine hoc est sane expectandum, haud paucos esse, qui nolint suas ultro castigare, suas sponte moderari passiones: quique proinde iniuriis alios afficerent, aliarumque quietam vitam impedirent, nisi aliunde externo aliquo fraeno cohiberentur a malo. Hoc externum fraenum natura ipsa adhibet et apponit, paternae potestati superaddendo potestatem fortiorem, nempe civilem. Scilicet protervi illi homines ab iniuriis inferendis cohibentur a politica auctoritate, quae praeest civili illi consortio, in quod natura ipsa vult homines vivere coadunatos: et ab ea cohibentur per vim vel metum poenarum. Ad rem s. Thomas (2): « Quantum ad illos iuvenes, qui sunt proni ad actus virtutum ex bona dispositione naturae vel consuetudine vel magis divino munere, sufficit disciplina paterna, quae est per monitiones. Sed quia inveniuntur quidam protervi et ad vitia proni, qui verbis de facili moveri

(1) Verba sunt s. Augustini, iam super. adducta vol. I. pag. 423.

(2) In 1. 2. q. 95. a. 1. — Cfr. hac de re Aristoteles, Ethic. X. 9. seqq. — Est autem notum illud: *oderunt peccare mali formidine poenae.*

non possunt, necessarium fuit, quod per vim vel metum cohiberentur a malo, ut saltem sic malefacere desistentes, et aliis quietam vitam redderent, et ipsi tandem per huiusmodi assuetudinem ad hoc perducerentur, quod voluntarie facerent, quae prius metu implebant, et sic fierent virtuosi. » Quod igitur securitas abesset, violentia grassaretur, iniuriae dominatum haberent, nisi fraenum politicae potestatis exstaret, hoc verum est: sed est falsum, naturam hoc intendisse, quod homines extra civile consortium tali fraeno soluti viverent, naturam hac in conditione posuisse homines habenis nempe lorisque principis civilis non subiectos: falsum est, ipsos homines tale fraenum excogitasse, inventumque sibi mutuo pacto seu conventione imposuisse.

4. Illud quoque est falsum, homines ad civilem societatem impelli *tantummodo* a naturali illa, in qua quisque si seorsum vivat reperitur, impotentia se protegendi ab iniuriis: ita ut si nulli forent perversi homines, sed omnes essent virtute praestantes atque in bono confirmati, nulla existeret politica consociatio. Timor violentiae, seu spes pacis securitatisque obtinendae, quamvis sit valida ratio, non tamen est *unica* ratio existentiae societatis civilis. Sunt etiam aliae, eaeque validae rationes, illae nempe quas paulo ante in thesi trigesima nona enumeravimus: rerum, quae ad vitae conservationem necessariae sunt, indigentia: ignorantia, in qua quisque si solitarius viveret versaretur, scientiarum et artium: necessitas exercendi naturales facultates, praesertim vero facultatem loquendi, et innatas animi propensiones explendi: controversiarum seu litium, quae etiam inter probos viros exoriri possunt et exoriuntur, solutio seu authentica compositio. Quare civilis societas cum suis legibus iudiciis auctoritate est non iam tantummodo *remedium* ad hominum pravitatem compescendam, sed etiam *adiumentum* ad convenientem perfectionis gradum tum

quoad animum tum quoad corpus obtinendum. — Hinc, ut s. Thomas (1) docet, homines in statu etiam innocentiae socialiter vixissent: et cum societas sine propria auctoritate nequeat consistere, dominium (quo quis dominatur alteri ut libero, eum dirigendo ad proprium ipsius bonum vel ad bonum commune) hominis ad hominem in statu etiam innocentiae fuisset.

5. Hobbesius civilem auctoritatem hoc tandem pacto concipit: auctoritas politica est cumulus seu summa iurium seu potestatum, quibus socii instructi fuissent, si extra civilem societatem nulli subiecti auctoritati vixissent in ea, quae confingitur, conditione seu statu naturae. Omnia sua iura omnemque suam potestatem privatus quisque cedit ac confert in unam personam: horum omnium iurium in hac una persona coacervatio est potestas politica. — Sed inter iura, quae civili auctoritati competunt, est ius *puniendi*. Neque id negat Hobbesius: siquidem in metu poenarum, et poenae etiam mortis, quem princeps incutit, fraenum invenit ac remedium contra naturalem hominum nequitiam et ad iniurias inferendas proclivitatem. Iamvero privatus non habet ius puniendi alios, neque ad eos corrigendos, neque ad ceteros deterrendos, neque ad violatum ordinem redintegrandum: sic enim dividuntur poenae, in *medicinales*, *exemplares*, *expiatorias* (2). Potest defendere se ac bona sua contra iniustum aggressorem: potest exigere restitutionem seu reparationem damni illati. Sed, ut alio loco (3) diximus, *defensio* contra iniustum aggressorem et *reparatio* damni illati differunt a *punitione* seu poena: punitio est

(1) In 1. p. q. 96. a. 4.

(2) Cf. super. vol. I. thes. XLVI. pag. 365.

(3) Cf. super. vol. II. thes. VII. praesertim schol., ubi hac de re diximus. Vide etiam vol. I. pag. 252. adnot. 2., ubi traditur, cur « *praemiare* non ponitur actus legis sed solum *punire*. »

actus iustitiae vindicativae, quae praeexigit superioritatem in eum, in quem exercetur. Si igitur privatus caret, princeps autem pollet iure puniendi, maximis etiam poenis, ipsaque poena capitis (1); quomodo auctoritas in principe residens nil aliud est, nisi summa iurium, quae privatus quisque principi remittit ac cedit? Homo non habet ius in propriam vitam: at si haberet, quisnam vellet hoc ius cedere alteri, qui proinde possit eum poena capitis plectere? Nonne alia debet esse huius iuris, itemque iurium aliorum in principe existentium origo? Qua de re paulo inferius plura addemus, ubi de origine civilis principatus quaestio instituetur.

---

(1) Hoc argumentum specialem habet vim, si in particulari spectetur *poena capitis.* — Caesar Beccaria adhaeret sententiae Hobbesii relate ad originem societatis civilis. « Le leggi, ipse ait (*dei delitti e delle pene*, §. 1.), sono le condizioni, colle quali uomini indipendenti ed *isolati* si unirono in *società*, stanchi di vivere in un *continuo stato di guerra*, e di godere una libertà resa inutile dall'incertezza di conservarla. Essi ne sacrificarono una parte per goderne il restante con sicurezza e tranquillità. La somma di tutte queste porzioni di libertà sacrificate al bene di ciascheduno forma la sovranità di una nazione, ed il sovrano è il legitimo depositario ed amministratore di quelle. » — Porro hisce innixus principiis, Beccaria reiicit ius in Principe existens puniendi poena mortis. « Qual può essere, sic ait (ibid. § 28.) il diritto, che si attribuiscono gli uomini, di trucidare i loro simili? Non certamente quello, da cui risultano la sovranità e le leggi. Esse non sono che una somma di minime porzioni della privata libertà di ciascuno, esse rappresentano la volontà generale, che è l'aggregato delle particolari. Chi è mai colui che abbia voluto lasciare ad altri uomini l'arbitrio di ucciderlo? Come mai nel minimo sacrificio della libertà di ciascuno vi può essere quello del massimo fra tutti i beni, la vita? E se ciò fu fatto, come si accorda un tal principio coll'altro, che l'uomo non è padrone di uccidersi? E doveva esserlo, se ha potuto dare altrui questo diritto o alla società intera. » — In sententia Hobbesii ius hoc puniendi poena capitis nequit admitti. Nec tamen tale ius, ut suo loco ostendemus, potest Principi denegari, nec denegat Hobbesius.

6. Illud tandem admitti nullo pacto potest, quod affirmat Hobbes, ne notiones quidem iuris et iniuriae, iustitiae et iniustitiae haberi, antequam visibilis potestas (Leviathan) ex mutua conventione exoriatur. — Hoc in primis animadvertimus. Si iuxta Hobbesii sententiam potestas illa exoritur ex cessione omnium iurium, quibus privati in statu naturae antisociali sunt instructi; dantur ergo iura ab homine cognita ante supremae illius potestatis constitutionem. — Dantur profecto iura, quae confert lex *naturalis*, quaeque proinde dicuntur naturalia (1): quorum alia possunt, alia nequeunt alienari (2). Praeter iura naturalia dantur etiam iura, quae confert lex *positiva*: sed iura haec positiva praesupponunt ante se iura naturalia, quemadmodum lex positiva, a qua conceduntur, praesupponit legem naturalem (3). Homo scilicet non est primo *civis*, tum vero *homo*, sed e converso. Iamvero ut est homo, quaedam habet iura, quae non oriuntur a politica potestate, sed antecedenter ad ipsam prioritate naturae existunt: haec autem iura a naturali lege dimanantia debet politica potestas tueri, adiuvare, suisque legibus coordinare ad bonum commune. Inter iura haec naturalia est *ius* seu *dominium proprietatis*, quod ab ipsa natura antecedenter ad civilem societatem conceditur individuo et familiae. Qua de quaestione egimus alio loco (4). — Itaque reiicienda omnino est haec Hobbesii (5) sententia: « Cessante potestate civili, cessant crimina: iustum et iniustum, propter ius omnium in omnia, nullum est. »

---

(1) Cf. super. vol. II. thes. II. pag. 31. Cf. etiam thes. IV.

(2) Cf. super. vol. II. thes. II. pag. 35.

(3) Cf. super. vol. I. thes. XLVIII. pag. 382., et vol. II. thes. IV. pag. 62.

(4) Cf. super. vol. II. thes. XXIV. seqq., praesertim thes. XXIX.

(5) Leviathan, c. XXVIII.

THESIS XLII.

Aeque reiiciendus est ille, quem Rousseau confingit, naturae status.

119. DEMONSTRATIO. « La plus ancienne de toutes les sociétés, inquit Rousseau (1), et la *seule naturelle*, est celle de la famille. » — Civitas ergo est societas quaedam non naturalis, sed pactitia seu arbitraria: et propria civitatis auctoritas habet suam originem non a natura, sed a mutua hominum inter se conventione seu contractu: « ce droit ne vient point de la nature, il est donc fondé sur des *conventions*. Il s'agit de savoir quelles sont ces conventions (2). » — Huc summatim redit auctoris huius (n. Genevae a. 1712) theoria, quam praestat paulo fusius exponere.

a) Rousseau spectat hominem, ut e naturae manibus egredientem, eumque invenit *ens sibimetipsi sufficiens*. « En dépouillant, ait hic auctor (3), cet être de tous les dons surnaturels qu'il a pu recevoir, et de toutes les facultés artificielles qu'il n'a pu acquérir que par de longs progrès, en le considérant en un mot tel qu'il a dû sortir des mains de la nature, je vois un animal moins fort que les

---

(1) *Du contrat social, ou principes du droit politique*, l. I. ch. II. — Illam ipsam assertionem coarctat statim, alia addendo quae falsa sunt. « Encore les enfans ne restent-ils liés au père qu'aussi longtemps qu'ils ont besoin de lui pour se conserver. Sitôt que ce besoin cesse, le lien naturel se dissout. Les enfans, exempts de l'obéissance qu'ils devaient au père, le père exempt des soins qu'il devait aux enfans, rentrent également dans l'indépendance. S'ils continuent de rester unis, ce n'est plus naturelement, c'est volontairement, et la famille elle-même ne se maintient que par convention. » Quae paulo inferius erunt expendenda, ubi de domestica societate inquiremus.

(2) Ib. c. I.

(3) *Discours sur l'origine et les fondemens de l'inégalité parmi les hommes*, part. I. ab init.

uns, moins agile que les autres, mais, à tout prendre, organisé le plus avantageusement de tous; je le vois se rassasiant sous un chêne, se desaltérant au premier ruisseau, trouvant son lit au pied du même arbre qui lui a fourni son repas, et voilà ses besoins satisfaits. » — Homo igitur est sibi sufficiens (qui scilicet potest *solus* se conservare ac defendere), aeque ac, aut etiam magis quam alia animantia. Unde concludit, hominem, haud secus ac cetera animalia, destinari a natura ad vitam segregem, in qua frueretur felicitate vera, *d'une félicité réelle* (1). En felix *status naturae*, quem numquam extitisse, ipse Rousseau concedit (2): extitisset, « si le genre humain fût resté abandonné à lui même (3). »

(1) Ibid. in prooem. Ibi suae orationis argumentum sic proponit: « De quoi s'agit il donc dans ce discours?... D'expliquer par quel enchainement de prodiges le fort put se résoudre à servir le faible, et le peuple à acheter *un repos en idée* au prix *d'une félicité réelle.* » Et quaenam esset huiusmodi felicitas? En quae Rousseau habet paulo inferius: « Seul, oisif, et toujours voisin du danger, l'homme sauvage doit aimer à dormir, et avoir le sommeil léger, comme les animaux, qui, pensant peu, dorment pour ainsi dire tout le temps qu'ils ne pensent point. »

(2) Serm. nunc cit. « Il est évident, par la lecture des livres sacrés, que le premier homme, ayant reçu immédiatement de Dieu des lumières et des préceptes, n'était point lui-même dans cet état, et qu'en ajoutant aux écrits de Moïse la foi que leur doit tout philosophe chrétien, il faut nier, que, même avant le déluge, les hommes se soient jamais trouvés dans le pur état de nature. » Nihilominus in suae orationis decursu quaestionem tractat *assertorie* potius quam *hypothetice*.

(3) Ibid. — Genus humanum potest considerari *sibiipsi relictum*, hoc sensu, quod spectetur tantummodo in suis naturalibus viribus ac tendentiis et tantummodo sub naturali illa conditoris Dei cura ac gubernatione, quae est debita. Absurdum foret, considerare genus humanum ab omni Dei providentia prorsus avulsum. Deus est necessario gubernator hominis a se conditi, cui finem praestituit quemque ad praestitutum finem per naturalia media adducit: quod est gubernare.

b) Longum esset, hunc sequi auctorem in iis, quae addit ad solvendas obiectiones, quae contra ipsius assertionem *hominem esse ens sibi sufficiens* possunt moveri. — Cibi, inquit, ei praesto sunt, plus quam aliis animalibus : cum magis quam ipsa possit *variis* escis vitam sustentare. Diversas brutorum industrias atque instinctus imitando eos omnes in se uno colligit. Corpore est robusto, quod morbis conflictari vix potest. Quae ferae homini praestant robore virium, eae ab homine superantur arte et dexteritate. Vix subiectus morbis, homo vix in eo statu indiget remediis aut medicinis. Senes, a quibus vita silvestris arcet arthriticos dolores et rheumatismos, moriuntur, quin fatalem vitae exitum ipsimet persentiant. — Hoc praecipue animadvertit (1): « Gardons-nous de confondre l'homme sauvage avec les hommes que nous avons sous les yeux. La nature traite tous les animaux abandonnés à ses soins avec une prédilection qui semble montrer combien elle est jalouse de ce droit. Le cheval, le chat, le taureau, l'âne même, ont la plupart une taille plus haute, tous une constitution plus robuste, plus de vigueur, de force et de courage dans les forêts que dans nos maisons; ils perdent la moitié de ces avantages en devenant domestiques, et l'on dirait que tous nos soins à bien traiter et nourrir ces animaux n'aboutissent qu'à les abâtardir. Il en est ainsi de l'homme même; en devenant sociable et esclave, il devient faible, craintif, rampant; et sa manière de vivre molle et efféminée achève d'énerver à la fois sa force et son courage. »

c) Quod si quaeras de differentiis, quibus homo a brutis distinguitur, Rousseau duas assignet, *liberum arbitrium* et *facultatem se perficiendi*, hisce verbis (2): « Ce

(1) Loc. nuper cit.

(2) Ibid.

n'est pas tant l'entendement, qui fait parmi les animaux la distinction spécifique de l'homme, que *sa qualité d'agent libre*...... Il y a une autre qualité très spécifique qui les distingue, et sur laquelle il ne peut y avoir des contestations: c'est *la faculté de se perfectionner*, faculté qui, à l'aide des circonstances, développe successivement toutes les autres, et reside parmi nous, tant dans l'espéce que dans l'individu, au lieu qu'un animal est au bout de quelques mois ce qu'il sera toute sa vie, et son espèce au bout de mille ans ce qu'elle etait la première année de ces mille ans. »

d) Enimvero, sic pergit Rousseau, duae hae hominis specificae proprietates et altera praesertim, nempe *sa perfectibilité*, e statu naturae solitario hominem ad statum socialem transferunt. « Il serait triste pour nous d'être forcés de convenir que cette faculté distinctive et presque illimitée est la source de tous les malheurs de l'homme; que c'est elle qui le tire à force de temps, de cette condition originaire dans laquelle il coulerait des jours tranquilles et innocens; que c'est elle qui faisant éclore avec les siécles ses lumiéres et ses erreurs, ses vices et ses vertus, le rend à la longue le tyran de lui-même et de la nature. » — Haec alia eiusdem verba perpendi debent (1): « Le premier qui, ayant enclos un terrain, s'avisa de dire, *ceci est à moi*, et trouva des gens assez simples pour le croire, fut le vrai fondateur de la société civile. Que de

(1) Op. cit., init. part. sec. — Sicuti Hobbes, ita Rousseau hoc asserit: « dans l'état de nature il n'y a point de propriété constante. » Contr. soc. l. 1. c. 4. Quid ergo in statu illo, qui fingitur, naturae habetur? habetur mera possessio seu usurpatio, et mera fruitio rerum. « La communauté change l'*usurpation* en un veritable *droit*, et la *jouissance* en *propriété*. » Ib. l. 1. c. 9. Aliis verbis, proprietas est a politica potestate.

crimes, de guerres, de meurtres, que de misères et d'horreurs n'eût point épargnés au genre humain celui qui, arrachant les pieux ou comblant le fossé, eût crié à ses semblables: Gardez-vous d'écouter cet imposteur; vous êtes perdus si vous oubliez que les fruits sont à tous, et que la terre n'est à personne (1). » Itaque ex proprietate (ex *meo* ac *tuo*) lites ortae sunt inter homines, conflictus, bellum. Ex qua miserrima conditione ut egrederentur, homines excogitaverunt societatem civilem, invenerunt et instituerunt potestatem politicam, quae per leges et poenas securitati omnium provideret.

e) En igitur origo societatis civilis. Non tamen omnis civilis associatio est legitima, sed solum illa, quae non repugnet dignitati naturae humanae. Huic autem repugnat subiectio, qua quis, praesertim si id fiat absque praevio eius consensu, teneatur alteri subesse: eidemque repugnat coarctatio illius, qua homo extra civile consortium vivens frueretur, plenae libertatis. En id, a quo Rousseau eiusque sectatores abhorrent: *submissio* et *obedientia*. Hinc excogitant obedientiam uniuscuiusque sibiipsi, cum qua et sub qua manent liberi, ut prius, manent exleges. Quare en problema solvendum (2): « Trouver une forme d'association, qui défende et protége de toute la force commune la personne et les biens de chaque associé, et par laquelle chacun s'unissant à tous, n'obéisse pourtant qu'à lui même et reste aussi

---

(1) « *Les fruits sont à tous, la terre n'est à personne.* » En *communistarum* effatum: cf. super. vol. II. thes. XXV. Huic sententiae Rousseau adhaeret. Si quam privatis largitur proprietatem stabilem, hanc dat semper et plene dependentem a statu, qui in eius sententia iuris proprietatis est fons seu principium primum: vide contr. soc. l. 1. c. 9. Cf. super. vol. II. thes. XXIX.

(2) Contr. soc. l. 1. ch. 6.

libre qu'auparavant. » Ad quod haec unica panditur via (1): pactum sociale seu « l'aliénation totale de chaque associé avec tous ses droits à toute la communauté. » Nimirum, ut statim ipse rem explicat: « Chacun de nous met en commun sa personne et toute sa puissance sous la suprême direction de la *volonté générale* (2); et nous recevons en corps chaque membre comme partie indivisible du tout. A l'instant, au lieu de la personne particulière de chaque contractant, cet acte d'association produit un corps moral et collectif, composé d'autant de membres, que l'assemblée a des voix, lequel reçoit de ce même acte son unité, son moi commun, sa vie et sa volonté. » — Hoc est Rousseavii dictum: « Je ne sais pas l'art d'être clair pour qui ne veut pas être attentif (3). » Optime quidem. Sed ea, quae dicit, nonne lectori etiam perattento sunt obscura?

In hac Rousseavii theoria, quam breviter exposuimus, duo sunt praecipui errores, quorum alter *originem*, alter *naturam* societatis civilis spectat.

I. Quod spectat ad *originem* societatis civilis, hanc affirmat Rousseau esse repetendam ab hominum adinventione

(1) Ibid. En pactum sociale. De quo pacto haec habet, l. III. ch. 18.: « Si tous les citoyens s'assemblaient pour rompre ce pacte d'un commun accord, on ne peut douter, qu' il ne fût très légitimement rompu. Grotius pense même que chacun peut renoncer à l' état dont il est membre, et reprendre sa liberté naturelle et ses biens en sortant du pays. (Bien entendu qu' on ne quitte pas pour éluder son devoir et se dispenser de servir sa patrie au moment qu'elle a besoin de nous. La fuite alors serait criminelle et punissable; ce ne serait plus retraite, mais désertion). Or il serait absurde que tous les citoyens réunis ne pussent pas ce que peut séparément chacun d' eux. »

(2) Haec *voluntas generalis* est pro Rousseavio suprema civilis auctoritas. « La souveraineté consiste essentiellement dans la volonté générale. » Contr. soc. l. III. c. 15.

(3) Contr. soc. l. III. c. 1.

et institutione: idque probat ex eo quod homo est naturaliter ens sibi sufficiens. Atqui haec probatio est nulla et falsa.

a) Homo, si ut e naturae manibus egreditur consideretur, non est talis, qui *solus* seorsim ab aliis possit se conservare et defendere: ac proinde non est ens sibi sufficiens ad sui *conservationem* et *tutelam*. Illud stat, quod verissime dixit Bellarminus (1): « Bruta quidem sunt a natura ita instructa, ut possint sibi *singula* sufficere, homo autem tam multis rebus indiget, ut *solus* vivere nullo modo possit... Etiamsi quisque sufficeret ad *vivendum*, tamen numquam sufficeret ad *protegendum* se ab impetu ferarum et latronum, sed ad hoc necesse est convenire et collatis viribus resistere. »

b) Sed cum de *homine* sermo est, spectare debemus non solummodo conservationem ac defensionem vitae, sed etiam ac praecipue *convenientem perfectionem intellectus ac voluntatis,* illarum nempe facultatum, quibus homo a brutis secernitur. Iamvero, ut idem auctor disserere pergit, « licet homo sufficeret sibi etiam contra hostes, tamen semper maneret rudis et exspers sapientiae et iustitiae multarumque aliarum virtutum, cum tamen ad hoc nati sumus ut mentem et voluntatem praecipue exerceamus. »

c) Ex naturali hac, quam descripsimus, insufficientia recte concludebamus in thesi trigesima nona, hominem a

(1) Cf. super. thes. XXXIX. — Est apprime falsum, homines non indigere mutuo auxilio. Si tamen non indigerent, tunc quoque semper societatem appeterent. Etiamsi, ait recte Aristoteles Polit. III. 4., mutuo auxilio non egeant, nihilominus societatem et communitatem vitae homines appetunt. Μηδὲν δεόμενοι τῆς παρ ἀλλήλων βοηθείας, οὐκ ἔλαττον ὀρέγονται τοῦ συζῆν. Appetunt scilicet aliis iis de causis, quas saepius iam enumeravimus: mentis perfectio, propinquitas sanguinis, conceptuum communicatio etc.

natura destinari ad vitam socialem, in qua sola potest se conservare, tueri, perficere ac suas tendentias explere. Hinc quaestioni huic, quonam in statu fuisset genus humanum, *s'il fût resté abandonné à lui-même,* sic respondemus: tunc etiam fuisset in statu sociali, in vita domestica et civili. Provida Dei conditoris cura ac gubernatio, (a qua, ut iam monuimus (1), nulla in hypothesi debet genus humanum considerari seiunctum, ne tunc quidem, cum sibi relictum spectatur), duo haec quacumque in hypothesi praestitisset: generi humano praefixisset finem obtinendum, et insuper genus humanum ad praestitutum finem fortiter ac suaviter adduxisset per necessaria media, inter quae haud postremum locum tenet vita socialis. Haec proinde non ab hominibus adinventa, sed ab ipso naturae auctore Deo volita est atque instituta.

II. Quod spectat ad *naturam* societatis civilis, contendit Rousseau, legitimam associationem civilem non esse nisi eam, in qua socius quisque *n'obéisse qu'à lui-même et reste aussi libre qu'auparavant.* Hinc idea illa (quam, ut patet ex thesi praecedente, ex Hobbesio mutuatus est Rousseau) omnium iurium, quibus pollent quibusque se exspoliant individua, quae socialem vitam paciscuntur, simul collectorum ad potestatem socialem in tota communitate essentialiter permanentem efficiendam: *l'aliénation totale de chaque associé avec tous ses droits à toute la communauté.* Haec praeci cipue animadvertantur.

a) Subiectio alteri homini non repugnat dignitat naturae humanae. — Nam « quamvis homo, ut apte disserit Suarez (2), liber creatus sit, non tamen sine capacitate et aptitudine ut iusta causa et rationi consentanea

(1) Vide paulo super. pag. 50. adnot. 3.

(2) Def. fid. l. III. c. 1. n. 8. Cf. etiam de leg. l. III. c. 1. n. 11. Item cf. Bellarminum, de Laicis c. 7.

possit alteri subiici. Imo subiectio aliqua est homini naturalis, vel supposito naturali modo generationis, ut est subiectio filii ad patrem, vel supposito aliquo pacto, ut est subiectio uxoris ad virum. Sic ergo, supposita societate civili, subiectio singularum personarum ad publicam potestatem seu principatum politicum, naturalis est, tamquam consentanea rectae rationi et ad convenientem humanae naturae conservationem necessaria. Et ideo neque conditioni hominis haec subiectio repugnat, neque etiam in aliquam Dei iniuriam redundat: quia licet Princeps politicus in gradu suo sit rex, legislator et dominus, longe tamen diverso et inferiori modo, quam Deus. Nam de homine solum per participationem quamdam tamquam de *ministro* Dei haec dicuntur: soli autem Deo per essentiam et principaliter conveniunt. » Haec notentur: superior est *minister Dei*. Ut dignitati naturae humanae non repugnat *subiectio Deo*, sic ne repugnat quidem *subiectio ministro Dei*. Subiectio, quae deprimit hominem, est subiectio alteri homini qua tali.

b) Dignitati naturae humanae ne illa quidem repugnat subiectio, qua quis *absque praevio suo consensu* teneatur alteri subesse. — Sive enim velit sive nolit, filius tenetur obligatione parendi parentibus, civis magistratibus politicis, a quibus protectionem accipit et tutelam. Secus, dicendum foret, eos quidem qui primi civile consortium inierunt, adstrictos fuisse, successores autem plerosque exemptos esse ab obligatione parendi principibus. Etenim ii quidem dederunt consensum, ex aliis autem plerique non dederunt vel certe non dederunt *liberrimum*, qualem rei de qua agitur natura exigit: agitur scilicet de cessione omnium iurium. Id non negat Rousseau, qui ait (1): « L'association civile est l'acte du monde

(1) Contr. soc. l. IV. c. 2.

le plus volontaire. » Haec autem adiungit (1): « Quand l'état est institué, le consentement est dans la résidence, habiter le territoire c'est se soumettre à la souveraineté. » Sed plerique necessitamur hac in regione, in qua nati et alti sumus, manere: ex ea emigrare, foret nobis peracerbum, cum praesertim nonnisi ad aliam civitatem et regnum transire possemus. Hoc in casu concedit Rousseau (2), stabilem certo in loco commorationem seu domicilium non aequivalere consensui, maxime liberrimo: « la famille, les biens, le défaut d'asile, la nécessité, la violence, peuvent retenir un habitant dans le pays malgré lui, et alors son séjour seul ne suppose plus son consentement au contrat. » Optime quidem: sed ille est casus plurimorum civium. Ergo plurimi illum, qui requiritur, adeo liberum consensum non dederunt: cumque non dederint, ab obligatione parendi publicae potestati exempti sunt.

c) De iis ipsis, qui consensum eumque liberum dederunt quique omnia iura sua communitati sponte concesserunt, dicine potest, eos, societate tali pacto inita, non obtemperare nisi sibi ipsis? — Hoc quidem affirmat Rousseau. Civis, inquit, non obedit nisi sibi, quando se submittit legibus, quamvis durissimis, « même à celles qu'on passe malgré lui, et même à celles qui les punissent (3). » Scilicet, dici id potest sensu *improprio* et *indirecto*. Quotiescumque impleo id, quod promisi seu ad quod praestandum me pacto adstrinxi, dici potest, me obedire mihi ipsi, quatenus non tenebar pactum illud inire, promissionem illam facere. Sed modus est loquendi improprius. Proprie dici enim debet, me obedire legi divinae naturali, quae me obligat con-

---

(1) Ibid.

(2) Ibid. in adnot.

(3) Ibid.

sequenter ad initum pactum, factam promissionem: si hanc non fecissem, non me lex obligasset. Ut, proprie loquendo, nemo sibi imperat; ita, proprie loquendo, nemo sibi obedit: ut imperium, sic obedientia est ad *alterum*. — Rousseau hanc suae assertionis affert rationem. Civis quisque initio sui in societatem ingressus semel pro semper suam abdicavit voluntatem particularem privatam, et in huius locum substituit suamque fecit voluntatem generalem vel maioris civium partis (1): ab hac voluntate pendent leges: his ergo se submittendo, civis quisque se subdit voluntati propriae, se subdit sibi, tunc etiam cum ad mortis supplicium trahitur. Sed haec non sunt nisi modus loquendi improprius, vel potius nugae verborum. — Multoque minus dici vere ac serio potest, eos, qui pactum sociale inierunt, esse liberos aeque ac fuissent liberi extra civile consortium. Ut alia omittam, quonam modo dici id potest, si, consensu dato, iam cives non habent voluntatem particularem seu privatam? Libertas est dos seu proprietas voluntatis: qui ergo hanc abdicant, omnem quoque abdicant libertatem. Itaque ii, qui pactum sociale ineunt, cum ceteris iuribus, quae cedunt, ipsam quoque cedunt et amittunt libertatem (2).

d) De totali omnium iurium cessione, deque sociali, quae inde resultat, potestate, iam aliqua adnotavimus in

---

(1) Ex eo quod quisque suam privatam voluntatem renuntiaverit, haec concludit Rousseau, ibid.: « Quand on propose une loi dans l'assemblée du peuple, ce qu'on leur demande n'est pas précisément s'ils la rejettent, mais si elle est conforme ou non à la volonté générale, qui est la leur. »

(2) In l. 1. c. 6. contr. soc., admittit Rousseau, civem pacto inito obligari, non iam solummodo erga seipsum (hanc concedit non esse veram obligationem), sed *« envers un tout, dont on fait partie. »* Sed civis ante pactum initum non erat ita obligatus. Ergo non est liber post pactum aeque ac ante ipsum.

thesi praecedente, et plura etiam in sequentibus thesibus addemus: in iis enim de theoria Rousseavii sub respectu politico erit agendum.

120. Scholion I. Quaedam Rousseavii effata iuverit breviter perpendere.

I. « *L'homme est né libre*, sic loquitur Rousseau initio libri de contractu sociali, *et partout il est dans les fers... Comment ce changement se fait-il? je l'ignore.* »

Catenae seu vincula legum non excluduntur a libero hominis arbitrio, sed ab eo exiguntur, ut a malo perpetrando retrahatur: eo pacto quo equi indomiti ex ipsa sua conditione exigunt fraenum (1). — Illa porro legum vincula non quidem tollunt, sed coarctant physicam nostrae voluntatis libertatem, eamque coarctant non quidem physice, sed solummodo moraliter, idque in bonum perfectionemque ipsius voluntatis (2). — Dices: adest iam lex naturalis: quae igitur necessitas legis *civilis?* Haec scilicet requiritur, ut declaretur magis lex naturalis, vindicetur, eiusque urgeatur observantia: requiritur, ut multa, quae a lege naturali relinquuntur indeterminata, magis in specie seu in particulari determinentur (3): requiritur, quia ab hominis natura requiritur societas civilis, quae, haud secus ac societas quaevis, suam exigit auctoritatem, suas exigit leges.

II. « *Je conçois*, sic idem Rousseau initio sermonis, cui titulus, de origine et fundamentis inaequalitatis inter homines, *dans l'espèce humaine deux sortes d'inégalités: l'une, que j'appelle naturelle ou physique, parce qu'elle est établie par la nature, et qu'elle consiste dans la différence des âges,*

---

(1) Cf. vol. I. pag. 288. Equus sine fraeno nascitur: cur ei fraenum apponitur? Huic similis est quaestio a Rousseau proposita.

(2) Cf. vol. I. thes. XIV. schol.

(3) Cf. vol. I. thes. XLVII., praesertim pag. 378.

de la santé, des forces du corps, et des qualités de l'esprit ou de l'âme: l'autre, qu'on peut appeler inégalité morale ou politique, parce qu'elle dépend d'une sorte de convention, et qu'elle est établie ou du moins autorisée par le consentement des hommes. Celle-ci consiste dans les différens priviléges dont quelques-uns jouissent au préjudice des autres, comme d'être plus riches, plus honorés, plus puissans qu'eux, ou même de s'en faire obéir. » Itaque, quod existat divisio inter divites et pauperes, inter rectores et subditos, hoc ait Rousseau provenire ab hominum conventione. Etenim in statu, quem ipse adstruit, naturae unusquisque haberet « un droit illimité à tout ce qui le tente et qu'il peut attendre (1). » Et insuper, cum nullius esset societatis membrum, nulli quoque potestati subiectus foret.

Quod spectat ad inaequalitatem in eo positam, quod alii divites sint, alii pauperes, de hac diximus in thesibus de origine dominii proprietatis. Quod vero attinet ad inaequalitatem in eo positam, quod alii quidem sint rectores seu principes, alii vero subditi, debet distingui quaestio *generalis* a quaestione *speciali*. — Si quaestionem instituas *generalem*, et quaeras, undenam factum sit ac porro fiat, ut in humano genere semper et ubique extiterit divisio in principes ac subditos, respondebo, id non esse ab hominum consensu, sed esse immediate a Deo, qui instituendo societatem civilem, iam eoipso instituit ea omnia, quae a natura societatis civilis exiguntur: inprimis vero instituit et voluit anctoritatem eique respondentem obedientiam atque submissionem: siquidem sine his nulla potest esse vel concipi societas. « Quod principatus sint, inquit s. Ioannes Chrysostomus (2), et quod alii im-

(1) Contr. soc. l. II. c. 8.

(2) In ep. ad Rom. cap. XIII. hom. 23. Migne Patr. gr. tom. LX. pag. 615.

perent, alii subiecti sint, neque omnia casu ac temere circumferantur, populi quasi fluctibus hinc et inde circumactis, divinae esse sapientiae dico. » — Sin autem quaestionem illam aliam instituas, videlicet *specialem*, et hoc quaeras, undenam fiat, ut haec determinata regiminis forma vigeat, non autem illa, ut hic homo sit princeps, ille vero sit subditus, non autem e converso hic subditus, ille vero princeps; respondebo, id esse quidem etiam a Deo, non tamen esse immediate, sed mediate seu consequenter ad facta humana et contingentia (1). De quibus factis ostendendum suo loco erit, quae et qualia sint aut esse possint.

III. « *Tout homme étant né libre et maître de lui-même, nul ne peut, sous quelque prétexte que ce puisse être, l'assujettir sans son aveu.* » Ita Rousseau (2).

Hac de re iam in theseos huius demonstratione diximus. Si cui homini communicet Deus praecipiendi potestatem, iam ii, erga quos talis potestas illi homini confertur, sive velint sive nolint, tenentur officio se se submittendi homini illi, eique parendi. Quaeres: cum res pendeat a Dei voluntate, de hac quomodo constare nobis potest? — Deus voluntatem suam potest per signa externa manifestare, atque etiam sine externis signis per ipsam naturae vocem. Sic per ipsam naturae vocem significat, se patri in filios impartiri imperandi potestatem, itemque principi in cives; etsi per ipsam naturae vocem non designet determinate personam principis, sed eam potius electioni communitatis aliisve humanis factis designandam relinquat (3). Illi ergo, qui se legitimum civitatis alicuius rectorem esse ostendat, cives debent obtemperare.

---

(1) Cf. vol. II. pag. 297. adnot. 3.
(2) Contr. soc. l. IV. c. 2.
(3) Cf. super. vol. 1. thes. XLVIII.

121. Scholion II. Quaeres tandem de discrimine inter Hobbesii sententiam et Rousseavii theoriam.

In eo conveniunt, quod negent, in hominis natura esse inclinationem seu aptitudinem ad vitam socialem. Id autem Hobbes deducit ex eo, quod sentiat hominis naturam esse simpliciter pravam: propensio autem ad civilem societatem iam esset bonum aliquod, aliquid laudabile. Idem colligit Rousseau ex eo, quod arbitretur hominem solitarium, qui extra aliorum consortium vivat, sibi ad feliciter vivendum sufficere. Quare Hobbes statuit hominem esse natura sua *antisocialem*, Rousseau *extrasocialem*. Illud recolatur Aristotelis dictum, quod iam superius adduximus: homo *solitarius* extra civile consortium vivens, ἄπολις, idque *naturae impulsu*, διὰ φύσιν, aut est *improbus*, φαῦλος, aut *homine melior*, κρείττων ἢ ἄνθρωπος. Iamvero Hobbes et Rousseau hoc statuunt principium: homo est ἄπολις διὰ φύσιν. Illud statuit Hobbes, quia supponit hominem esse *naturaliter improbum*, abhorrentem proinde a vita sociali. Illud idem statuit Rousseau, quia supponit hominem esse *sibiipsi naturaliter sufficientem ad vitam beatam*, i. e. esse meliorem quam homo reapse est. Sed hominem spectemus, qualis naturaliter est, nec bestiam nec Deum, eumque videbimus sociabilem naturaliter. — In eo insuper conveniunt, quod adstruant, vitam socialem esse opus humanum, pendere seu originem ducere ab arbitraria hominum inter se conventione: itemque in eo, quod dicant socialem potestatem nil aliud esse, quam summam iurium, quibus socii se spoliant, quibusque instructi essent, si extra societatem vixissent.

Verum Hobbes admittit, illum omnium iurium cumulum seu supremam illam potestatem non permanere essentialiter et immobiliter in tota communitate, sed posse in ea inesse, atque in aliis etiam subiectis, v. g. in uno homine, residere. Hoc autem negat Rousseau. Summa potestas, ipse ait, est

voluntas generalis (1). Atqui haec voluntas non potest a communitate avelli. Ergo ne suprema quidem potestas avelli potest a populo: communitas hoc unum facere poterit atque adeo debebit, nimirum potestatis in seipsa necessario permanentis exercitium seu administrationem committere uni personae vel pluribus personis, tamquam suiipsius ministris.

« Quand il arrive, inquit Rousseau (2), que le peuple institue un gouvernement héréditaire, soit monarchique dans une famille, soit aristocratique dans un ordre de citoyens, ce n'est point un engagement qu'il prend; c' est une forme provisionnelle qu' il donne à l' administration, jusqu'à ce qu'il lui plaise d'en ordonner autrement. Il est vrai que ces changemens sont toujours dangereux, et qu'il ne faut jamais toucher au gouvernement établi que lorsqu'il

---

(1) Vide quae diximus super. pag. 54. adnot. 3.

(2) Contr. soc. l. III. c. 18. — In cap. 1. haec habet: « La puissance legislative appartient au peuple, et ne peut appartenir qu'à lui ». Legum autem exsecutio et libertatis tam civilis quam politicae custodia committitur a populo corpori alicui. « Les membres de ce corps s'appellent *magistrats* ou *rois*, c'est à dire, *gouverneurs*, et le corps entier porte le nom de *prince.* » Discrimen ergo ponit inter hos terminos — *le gouverneur*, *le prince*, *le roi*, *le souverain.* — Populus est semper atque essentialiter *le souverain.* Officium porro principum seu gubernantium non est, nisi « une commission, un emploi, dans lequel, simples officiers du souverain, ils exercent en son nom le pouvoir, dont il les a fait dépositaires, et qu'il peut limiter, modifier et reprendre quand il lui plait. » — In cap. 18. animadvertit, quod « la souveraineté ne peut être *représentée*, par la même raison qu'elle ne peut être aliénée; elle consiste essentiellement dans la volonté générale, et la volonté ne se représente point. » Unde sic concludit: « Les députés du peuple, ne sont donc, ni ne peuvent être ses *représentans*, ils ne sont que ses *commissionaires;* ils ne peuvent rien conclure definitivement. Toute loi que le peuple en personne n'a pas ratifiée, est nulle; ce n'est pas une loi. »

devient incompatible avec le bien public; mais cette circonspection est une maxime de politique et non pas une règle de droit, et l' état n'est pas plus tenu de laisseé l'autorité civile à ses chefs que l' autorité militaire à ses généraux . . . . . . L'ouverture des assemblées périodiques, qui n'ont pour objet que le maintien du traité social, doit toujours se faire par deux propositions qu' on ne puisse jamais supprimer, et qui passent séparément par les suffrages. — La première, *s'il plaît au souverain de conserver la présente forme de gouvernement.* — La seconde, *s' il plaît au peuple d'en laisser l'administration à ceux qui en sont actuellement chargés.* » Sed de theoria Rousseavii sub respectu politico erit, data opera, agendum in thesibus, quas *de civili societate* statuemus.

ARTICULUS III.

De societate domestica.

122. Communitas domestica sive familiaris « inchoatur, ut iam cum Suaresio tradidimus (1), *ex societate maris et feminae*, sine qua non posset genus humanum propagari aut conservari. . . . . Ex coniunctione hac proxime sequitur *societas filiorum cum parentibus*, quia prior coniunctio ad filiorum educationem ordinatur. His autem statim accedit *coniunctio aliqua servitutis*, seu famulatus et dominii, quia moraliter loquendo indigent homines adiutorio et ministerio aliorum hominum. Ex his autem tribus coniunctionibus consurgit prima communitas hominum, quae imperfecta dicitur respectu politiae. » — Cum ex tribus hisce con-

(1) Vide super. pag. 30.

iunctionibus exsurgat familia, ut de hac clare et ordinate disseramus, agemus *primo* de unione *coniugali*, *secundo* de unione *parentali*, *tertio* de unione *herili*.

§ I. *De unione coniugali.*

THESIS XLIII.

Matrimonium seu coniugium est viri et mulieris coniunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem servans.

123. Declaratio. Ut a nominis significatione exordiamur, matrimonium *a matre* nomen suum accepit: quia, ut loquitur s. Thomas (1), « magis pertinet ad rationem matrimonii mater quam pater: nam circa prolem, quae finis est matrimonii, magis officiosa est mater quam pater. » Aliis etiam nominibus matrimonium solet vocari, *coniugii* praesertim ac *connubii*. Dicitur coniugium *a coniungendo*, eo quod duos arctissimo nexu in unum adstringat. Dicitur connubium *a nubendo*, quia nempe mos erat, ut sponsae, cum viro tradebantur, nuberent seu caput velarent.

Sed iam, quid sit matrimonium, explicemus, definitionem eius tradendo. Cum dupliciter considerari possit matrimonium, *in facto esse* et *in fieri*, i. e. prout est res permanens et prout est actus transiens originem praebens illi rei permanenti (2), hinc duplex tradi solet definitio matrimonii. Scilicet, sub secundo respectu definitur cum Hugone Victo-

---

(1) Suppl. q. 44. a. 2. ad 1.m — Rationem ita reddit Catech. Rom., de sacr. matr. ab init.: « quia prolem concipere, parere, educare matris munus est. »

(2) Vide super. pag. 11., ubi de duplici hac ratione considerandi societatem humanam diximus.

rino (1): duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus: *de coniunctione,* nimirum (locutio est enim explicanda) de translatione dominii in proprium corpus in ordine ad generationem, unde coniunctio seu maritale vinculum exsurgit, in quo vinculo matrimonium revera in facto esse consistit. Hinc sub priori respectu matrimonium definitur (2): viri et mulieris coniunctio maritalis inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem servans. Huius definitionis singula verba perpendenda sunt.

Dicitur, *viri et mulieris.* — Quibus verbis exprimitur, *quaenam sint personae contrahentes.* Illa etiam matrimonii dos insinuatur, quae in *unitate* consistit, et quidem unitate ex parte utriusque coniugis.

Sequitur, *coniunctio.* — Multa in matrimonio perfecto reperiuntur: consensus internus, pactio externa verbis aliisve signis expressa, obligatio seu vinculum ex praedicta pactione ortum, copulatio coniugum qua matrimonium consummatur. Ex his illud, quod matrimonii vim et rationem proprie habet, est obligatio illa seu ille nexus, qui *coniunctionis* vocabulo denotatur. — Quare, essentia matrimonii *in facto esse* considerati non consistit proprie in *consensu:* hic enim est causa ipsius effectrix. Neque eadem proprie consistit in *usu:* hic potest separari a dominio seu potestate, quam in proprium corpus coniuges per consensum verbis de praesenti expressum sibi invicem tradunt (3).

Subiungitur, *maritalis.* — Quae vox additur, ut seponantur alia pactionum genera, quibus viri et mulieres solent

---

(1) De sacram. l. II. p. II. c. 4.

(2) Haec definitio est Magistri sententiarum, in 4.m dist. 1., vel potius codicis iustinianaei. — Eam fecit suam Catech. Rom., l. cit., brevem addens et claram explicationem, cui nos adhaeremus.

(3) Cf. Perrone, prael. theol. de sacr. matr. ab init.

obligari ad mutuam operam sibi praestandam, vel pretii scilicet vel alterius rei causa. Si qua ex huiusmodi contractibus exurgat unio, haec tamen non est illa, quae coniugium appellatur.

Illa deinde adduntur verba, *inter legitimas personas.* — Leges enim a maritali coniunctione omnino excludunt aliquos: e. g. eos qui intra quartum gradum propinquitate sunt coniuncti, itemque puerum ante decimum quartum annum, puellam ante duodecimum. Hi matrimonium inire non possunt: si ineant, matrimonium non est validum.

Tandem dicitur, *individuam vitae consuetudinem servans.* — Quae verba declarant, hoc esse maritalis huius vinculi proprium, videlicet quod sit firmum atque *indissolubile.*

124. Scholion. Ad ea, quae diximus, illustranda, iuverit aliqua adnotare.

I. In quo proprie consistat natura et ratio matrimonii, *in facto esse* considerati, diximus: in vinculo maritali consistit. *Consensus* est effectrix illius vinculi causa: neque enim obligatio illa seu ille nexus potest aliunde oriri, quam a pactione seu consensu. Hic porro consensus, ut talem vim habeat, debet esse *internus, externus, de praesenti, mutuus, deliberatus* (1). — *a*) Non sufficit consensus *interior*, sed requiritur consensus *exterior* verbis (aut quandoque verborum loco nutibus aliisve signis), quae intimum consensum aperte indicent, expressus. — *b*) Porro oportet, ut consensus exprimatur verbis *de praesenti*, i. e. quae praesentis temporis significationem habeant. Nam matrimonium non est simplex donatio aut nuda promissio, sed abalienatio, qua vir mulieri et vicissim mulier viro potestatem sui corporis reipsa tradit. Quare verbis, quae tempus futurum significent, non efficitur

(1) Cf. super. vol. II. thes. XXVII., in qua de *contractibus* egimus, et speciatim de *consensu* ad contractuum validitatem requisito.

seu adstringitur matrimonium, sed spondetur. Qui coniugium spopondit, debet sane praestare fidem: quod si non faciat, violatae fidei reus convincitur. At qui matrimonium contraxit, etsi postea poeniteat, tamen haudquaquam potest quod factum est infectum seu irritum reddere. — *c*) Illud etiam ex dictis patet, consensum alterius tantum non sufficere ad coniungendum matrimonium, sed duorum inter se *mutuum* esse debere. — *d)* Tandem consensus debet esse *deliberatus*: agitur enim de iure, et tali quidem iure alienando et de obligationibus, iisque tam gravibus suscipiendis. « Ad matrimonium, ut docet s. Thomas (1), non sufficit quodcumque voluntarium, sed voluntarium complete: quia debet esse perpetuum, et ideo per violentum mixtum impeditur. »

II. Duplici porro ratione potest matrimonium considerari: nimirum — ut est naturalis coniunctio seu *officium naturae* — ut est *Ecclesiae sacramentum* a Christo Domino institutum. Hac alia ratione matrimonium considerant theologi: nos in philosophia matrimonium priori modo spectamus, simpliciter ut est in officium naturae.

III. De finibus autem praecipuis matrimonii haec ex angelico doctore (2) accipe: « Matrimonium habet pro fine

(1) In suppl. q. 47. a. 3. ad 2.

(2) Suppl. q. 65. a. 1. — Cf. etiam Card. Bellarminum, controv. de sacr. matrim. l. 1. c. 10.: « Finis primarius est susceptio et educatio prolis . . . Alter finis est domestica societas et communicatio operum, quae ad vitam necessaria sunt. Nam, ut Aristoteles docet l. VIII. Ethic. cap. 12., vir et uxor non iunguntur solum ad procreandum, ut cetera animalia, sed etiam ad cohabitandum, ut simul familiam regant et officia domestica inter se partiantur: alia enim munia viro, alia uxori conveniunt . . . Tertius finis est, ut sit coniugium in remedium contra concupiscentiam . . . Quartus finis est, ut sit sacramentum Christi et Ecclesiae. »

principali prolis procreationem et educationem. Qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis : unde et aliis animalibus est communis. Et sic bonum matrimonii assignatur *proles*. — Sed pro fine *secundario* habet in hominibus solis communicationem operum, quae sunt necessaria in vita. Et secundum hoc *fidem* sibi invicem debent, quae est unum de bonis matrimonii. — Habet ulterius alium finem, inquantum inter fideles est, scil. significationem Christi et Ecclesiae. Et sic bonum matrimonii dicitur *sacramentum*. — Unde primus finis respondet matrimonio hominis, inquantum est animal : secundus, inquantum est homo : tertius, inquantum est fidelis. »

THESIS XLIV.

I. *Matrimonium est omnino naturale ; perspicua enim est naturae ordinatio seu inclinatio ad illud ineundum.* II. *Quamvis autem natura ad coniugium inclinet, tamen nunc singulis hominibus nullam imponit proprie dictam obligationem contrahendi matrimonium aut procurandae prolis.*

125. Demonstratio. Duas haec thesis, ut ex eius enunciatione liquet, complectitur partes. Prior veritatem statuit omnibus apprime manifestam. Altera hoc solvit dubium : utrum inclinatio naturae ad coniugium sit talis ac tanta, ut proprie dicta naturae *obligatio* censeri debeat.

I. Matrimonium est apprime naturale. — Hanc veritatem s. Thomas (1) sic demonstrat.

---

(1) Suppl. q. 41. a. 1.

« Aliquid dicitur esse *naturale* dupliciter (1). — Uno modo, sicut ex principiis naturae ex necessitate causarum: ut moveri sursum est naturale igni. Et sic matrimonium non est naturale, nec aliquid eorum, quae mediante libero arbitrio complentur. — Alio modo, dicitur naturale, ad quod natura inclinat, sed mediante libero arbitrio completur: sicut actus virtutum vel virtutes dicuntur naturales. Et hoc modo matrimonium est naturale: quia ratio naturalis ad ipsum inclinat dupliciter:

« Primo, quantum ad principalem eius finem, qui est *bonum prolis*. — Non enim intendit natura solum generationem prolis, sed traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis, inquantum homo est, qui est virtutis status. Unde secundum Philosophum (2) tria a parentibus habemus, scilicet *esse*, *nutrimentum* et *disciplinam*. Filius autem a patre educari et instrui non posset, nisi determinatos et certos parentes haberet: quod non esset, nisi esset aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quae matrimonium facit.

« Secundo, quantum ad secundarium finem matrimonii, qui est *mutuum obsequium sibi a coniugibus in rebus domesticis impensum*. — Sicut enim naturalis ratio dictat, ut homines simul cohabitent, quia unus non sufficit sibi in omnibus, quae ad ipsam vitam pertinent, ratione cuius dicitur homo naturaliter politicus: ita etiam

---

(1) De duplici hoc modo quo aliquid dicitur *naturale*, saepius iam diximus in praecedentibus thesibus. Haec enim distinctio frequenti est usui in plurium quaestionum solutione.

(2) Ethic. l. VIII. c. 12. Τοῦ γὰρ εἶναι καὶ τραφῆναι αἴτιοι, καὶ γενομένοις τοῦ παιδευθῆναι. Sunt enim parentes causa, et ut filii nascantur et alantur, et ut iam conformati instituantur.

eorum, quibus indigetur ad vitam humanam, quaedam opera sunt competentia viris, quaedam mulieribus. Unde natura movet, ut sit quaedam associatio viri ad mulierem, in qua est matrimonium. Et has duas causas ponit Philosophus (1). »

II. Non omnia, ad quae natura inclinat, quaeque proinde merito dicuntur naturalia, sunt etiam naturae lege praecepta. Hinc oritur quaestio, utrum natura ita inclinet ad coniugium, ut imponat proprie dictam obligationem ipsum contrahendi aut procurandae prolis. — Hanc quaestionem idem angelicus doctor (2) sic solvit :

---

(1) L. cit. Ἄνθρωπος γὰρ τῇ φύσει συνδυαστικὸν μᾶλλον ἢ πολιτικόν, ὅσῳ πρότερον καὶ ἀναγκαιότερον οἰκία πόλεως, καὶ τεκνοποιία κοινότερον τοῖς ζῴοις. Τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις ἐπὶ τοσοῦτον ἡ κοινωνία ἐστίν, οἱ δ' ἄνθρωποι οὐ μόνον τῆς τεκνοποιίας χάριν συνοικοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν εἰς τὸν βίον· εὐθὺς γὰρ διῄρηται τὰ ἔργα, καὶ ἔστιν ἕτερα ἀνδρὸς καὶ γυναικός· ἐπαρκοῦσιν οὖν ἀλλήλοις, εἰς τὸ κοινὸν τιθέντες τὰ ἴδια. Διὰ ταῦτα δὲ καὶ τὸ χρήσιμον εἶναι δοκεῖ καὶ τὸ ἡδὺ ἐν ταύτῃ τῇ φιλίᾳ. Homo enim magis ad coniugium factus est a natura, quam ad societatem civilem : et tanto quidem magis, quanto prior magisque necessaria est domus quam civitas, quantoque filiorum procreatio omni animantium generi communior est. Atque in ceteris quidem hactenus progreditur communitas, quod procreationis causa coniunguntur : homines autem non solum ad procreandos liberos communi domo utuntur, sed etiam ut eorum, quae ad vitam pertinent, maiorem habeant facultatem. Statim enim descripta ac divisa sunt eorum officia, aliaeque sunt viri, aliae mulieris partes. Inserviunt igitur alter alteri, sua uterque in commune conferentes : eamque ob rem in hac amicitia et utilitas inesse videtur et voluptas. — Et per haec clarius intelliguntur ea, quae ex Bellarmino paulo ante in adnot. retulimus.

(2) L. cit. art. 2. — Cf. etiam 2. 2. q. 152. a. 2. ad 1.^{m} : « Dupliciter aliquid est debitum. Uno modo, ut impleatut ab uno : et hoc debitum sine peccato praeteriri non potest. Aliud autem est debitum implendum a multitudine : et ad tale debitum implendum non tenetur quilibet de multitudine. Multa enim sunt multitudini necessaria, ad

« Natura inclinat ad aliquid dupliciter. — Uno modo sicut ad id, quod est necessarium ad perfectionem unius. Et talis inclinatio quemlibet obligat: quia naturales perfectiones omnibus sunt communes. — Alio modo inclinat ad aliquid, quod est necessarium ad perfectionem multitudinis. Et cum multa sint huiusmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum praecepti: alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam et aedificatoriam et ad huiusmodi officia, quae sunt necessaria communitati humanae: sed inclinationi naturae satisfit, cum per diversos diversa de praedictis complentur. Cum ergo ad perfectionem humanae multitudinis sit necessarium, aliquos contemplativae vitae inservire, quae maxime per matrimonium impeditur, inclinatio naturae ad matrimonium non obligat per modum praecepti, etiam secundum philosophos. Unde Theophrastus probat, quod sapienti non expedit nubere. »

Deus scilicet fines suos obtinet in mundo, non solum per praecepta, sed etiam sine praeceptis per naturales,

---

quae implenda unus non sufficit: sed implentur a multitudine, dum unus hoc, alius illud facit. Praeceptum igitur legis naturae datum de comestione, necesse est quod ab unoquoque impleatur: aliter enim individuum conservari non posset. Sed praeceptum datum de generatione respicit totam multitudinem hominum, cui necessarium est, non solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiritualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent, quidam vero ab hac abstinentes, contemplationi divinorum vacent ad totius humani generis pulchritudinem et salutem. Sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, quidam gladiis decertant: quae tamen omnia debita sunt multitudini, sed per unum impleri non possunt. » — Cf. etiam Contr. Gent. l. III. c. 136., quo in capite refelluntur ii, qui perpetuam continentiam impugnant.

quae indit, inclinationes. Ut in comparatione a s. Thoma adhibita sistamus, cum Deus velit societatem civilem, dicendum profecto est, eum hoc etiam velle, quod nunquam in ipsa desint agricolae, artifices, sacerdotes, iudices etc., paucis, officia illa, sine quibus, ut iam paulo ante diximus (1), civitas nequit consistere. Iamvero hoc, quod est civitati necessarium, quodque proinde Deus vult, quonam modo divina providentia efficit? Id absque praeceptis obtinet per naturales habitudines, quas diversas in diversis inserit, accedente varietate occasionum, ut commodi, lucri, famae, complexionis etc., in quibus singuli diversimode reperiuntur. Simili igitur pacto, si in humana communitate oportet ut sint successores, hoc absque praecepto divina efficit providentia per vehementem naturae instinctum seu propensionem ad nuptias, quae in plurimis sese explicat atque in actum redigitur ob opportuna aptaque adiuncta, in quibus plurimi homines versantur (2).

---

(1) Cf. super. thes. XL. schol.

(2) Iuverit haec alia s. Thomae, in suppl. q. 41. a. 2. ad 4., verba afferre: « Natura humana communiter ad diversa officia et actus inclinat. Sed quia est diversimode in diversis, secundum quod individuatur in hoc vel in illo, unum magis inclinat ad unum illorum officiorum et alium magis ad aliud, ex diversitate complexionum diversorum individuorum. Et ex hac diversitate simul cum divina providentia, quae omnia moderatur, contingit quod unus eligat unum officium, ut agriculturam, et alius aliud. Et sic etiam contingit, quod quidam eligant matrimonialem vitam et quidam contemplativam. Unde nullum periculum imminet », quod scilicet multiplicatio generis humani, eo quod non cadat pro singulis sub praecepto, sit desitura. Hac de re nullum profecto periculum imminet. Etenim virginitas, ut apte s. Hieronymus respondit Ioviniano haeretico, est res difficilis, et proinde res rara: pauci sunt qui habeant animum illam complectendi. Est *lilium inter spinas* (Cant. II. 1.): a spinis ne pungantur, plerique ipsum lilium relinquunt. Est lilium super epistyllia sive *capitella columnarum templi*

Qui a nuptiis abstineant, ii erunt semper relative perpauci: et hi pauci homines non modo nullum omnino nocumentum afferent ipsi humanae communitati, sed eidem e contrario emolumento maximo erunt. Namque soluti a continua illa occupatione et sollicitudine, quam hi, qui coniugio utuntur, habent de uxore, de filiis, de rebus pro familia necessariis acquirendis et conservandis, aliis operam dabunt officiis, puta militiae aut studio scientiarum aut contemplationi aut divino cultui promovendo, quae officia apprime sunt necessaria societati, ut eadem bene sit, et tranquillam seu vacuam a domesticis curis mentem postulant.

Itaque, ut paucis verbis omnia concludamus, in exordio quidem humani generis primi homines naturali lege tenebantur ad coniugium ineundum : siquidem per eos solum poterat humana soboles propagari. Postea vero id non est amplius necessarium. Quapropter licitum cuique est nubere, ac licitum etiam cuique est caelibem manere (1).

126. Scholion. Matrimonium, ut modo dicebamus, est licitum et honestum. Status quoque virginitatis et caelibatus est licitus et honestus. Quod si inter utrumque statum comparatio fiat, dicendum profecto est, statum virginitatis et caelibatus praestare statui coniugali.

(III. Reg. VII, 16.): pauci sunt, qui animum habeant conscendendi, ut eius pulchritudine fruantur.

(1) Quod a Deo dictum est, ut ex Gen. I. constat, *crescite et multiplicamini,* id eo spectat, ut significetur, quem ob finem seu cuius rei gratia matrimonium fuerit institutum, non autem ut singulis hominibus moralis necessitas seu obligatio imponatur matrimonium contrahendi. — Pro altera huius theseos parte cf. Palmieri, de matrim. thes. V.

Hoc ut intelligas, quatuor sunt accurate perpendenda (1). — *a)* Duplex distingui debet caelibatus, alter qui vocari potest *mere negativus,* alter qui dici potest *positivus.* Prior ille situs est in sola absentia stabilis vinculi maritalis: cum hoc negativo caelibatu consistere potest vita, ut a nuptiarum oneribus libera, ita etiam licentiae flagitiisque dedita. Alter autem in eo situs est, quod quis a nuptiis alienus sincere ac firmiter statuat ducere vitam a carnalibus voluptatibus immunem, simulque piis bonisque operibus intentam. De hoc altero caelibatu sermo nobis est, cum eum esse meliorem coniugio affirmamus. — *b)* Meliorem autem esse dicimus in ratione, non bonitatis cuiuslibet, sed *perfectionis moralis.* Haec moralis perfectio sita est in custodia legis divinae et exercitio virtutum, seu sita est in coniunctione cum Deo per cognitionem et amorem: eam qui possidet, is in statu reperitur, qui magis accedit ad statum perfectae beatitudinis et huius est initium ac pignus. — *c)* Fit autem comparatio *inter ipsos status,* non vero inter personas, quae in hisce statibus reperiuntur. Comparatio scilicet fit, non quidem inter perfectiones, quibus eae personae ex propria virtute vel industria praeditae esse possunt, sed inter ea quae ex propria natura statui utrique competunt (2). — *d)* Nec proprie instituitur

(1) De his quatuor vide Palmieri, de matrim. thes. IV. Qui hoc aliud apte animadvertit : « Quod matrimonium sit *sacramentum,* facit id quidem, ut gratia *ex opere operato* coniugibus conferatur, gratiaeque actuales necessariae dentur pro operationibus eorum status: sed non facit ut eorum operationes sint perfectiores eis quae propriae sunt alterius status nec impedit quominus gratia sanctificans eademque uberior ex opere operantis virginibus acquiratur. Perfectio autem et beatitudo status in perfectione propriorum actuum et in ipsa possessione gratiae, non in modo quo ea acquiritur, sita est. »

(2) Ad rem s. Thomas, c. gent. l. III. c. 137.: «Perfectio alicuius

comparatio inter virginitatem ac caelibatum ex una parte et ex alia parte matrimonium simpliciter (cum hoc enim potest consistere virginitas perfectioque caelibatus), sed ipsum matrimonii usum seu actum, qui ceteroquin, ut diximus, licitus est atque honestus.

Iamvero, hisce quatuor praestitutis, sic arguimus (1). Ille status, in quo spiritus carni praefertur, in quo bona propria hominis prout rationalis est procurantur, in quo virtutes propter concupiscentiae impedimentum difficillimae exercentur, in quo finis nobilissimus qui est unio animae cum Deo potest per se plenius obtineri, in quo idcirco generositas animi et magnitudo resplendet, est perfectior ac beatior eo statu, in quo animalibus desideriis datur opera et procurantur ea quae communia sunt brutis, in quo concupiscentiae etsi intra debitos limites fit satis, in quo uni Deo vacare speciali modo non licet. Atqui priores illae, quas enumeravimus, dotes competunt statui virginitatis ac caelibatus, eique competunt prae statu coniugali. Ergo status virginitatis ac caelibatus est statui coniugali praeferendus. « Per continentiam, ait s. Thomas (2), homo redditur habilior ad mentis elevationem in spiritualia et divina, et quodammodo supra statum hominis ponitur in quadam similitudine angelorum. »

Porro idem s. Doctor merito haec addit (3): « Nihil

---

personae non est sufficiens argumentum ad perfectionem status, cum aliquis perfectiori mente possit uti minori bono quam alius maiori bono imperfectiori mente. Non igitur quia Abraham vel Moyses fuit perfectior multis, qui continentiam servant, propter hoc status matrimonii est perfectior quam status continentiae vel ei aequalis. »

(1) Vide Palmieri, op. et thes. nup. cit.

(2) Contr. gent. loc. nunc cit. — Cf. etiam 2. 2. q. 152. a. 4.

(3) Contr. gent. l. III. cap. 136.

autem prohibet, quamvis universaliter dicatur, uni homini melius esse continentiam servare quam matrimonio uti, quin alicui illud melius sit. Unde Dominus, facta de continentia mentione, dicit (1): « *Non omnes capiunt verbum hoc, sed qui potest capere capiat.* »

Scholion hoc absolvam, eas innuendo rationes, quas s. Paulus Apostolus (2) affert ad demonstrandum, continentiae statum esse praestantiorem et meliorem statu coniugali. Est praestantior ac melior, quia *tranquillior*, quia *sanctior*, quia *utilior* est. — Est *tranquillior*. " Qui sine uxore est, sollicitus est, quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. " Est *sanctior*. " Et mulier innupta et virgo, cogitat quae Domini sunt, ut sint sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro. " — Est *utilior*. " Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis iniiciam, sed id quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi. "

THESIS XLV.

Inter ea, quae naturalis lex in coniugio praescribit, merito recensetur unitas.

127. Praenotiones. Cum coniugium, ut in superiore thesi vidimus, sit maxime naturale, hinc regitur naturali lege, quae de eo aliqua quidem omnino prae-

(1) Matth. XIX. 11.
(2) In 1. Cor. c. VII. — Cf. s. Thomae comment. in h. l.

cipit aut vetat, alia vero magis minusve suadet aut dissuadet: haec alia possunt deinceps firmari positiva lege, et per eam reddi obligatoria, seu reddi prorsus necessaria quae fiant aut omittantur. — Generalem inprimis statuemus regulam, cuius ope possimus promptum verumque ferre iudicium de illis, quae lex naturalis in coniugio praecipit aut vetat. Huiusmodi regula seu criterium usui nobis erit ad naturalia circa matrimonium praecepta discernenda ac determinanda. Hanc porro regulam desumemus ex s. Thoma, cuius en verba (1):

" Omne illud, quod actionem inconvenientem reddit fini, quem natura ex opere aliquo intendit, contra legem naturae esse dicitur. Potest autem actio esse non conveniens fini, vel principali vel secundario: et sive sic sive sic, hoc contingit dupliciter. — Uno modo, ex aliquo, quod omnino impedit finem: ut nimia superfluitas aut defectus comestionis impedit salutem corporis, quasi principalem finem comestionis, et bonam habitudinem in negotiis exercendis, qui est finis secundarius. — Alio modo, ex aliquo, quod facit difficilem aut minus decentem perventionem ad finem principalem vel secundarium: sicut inordinata comestio quantum ad tempus indebitum. — Si ergo actio sit inconveniens fini, quasi omnino prohibens finem principalem, directe per legem naturae prohibetur primis praeceptis legis naturae, quae sunt in operabilibus sicut communes animi conceptiones in speculativis. Si autem sit incompetens fini secundario quocumque modo, aut etiam principali, ut faciens difficilem vel minus

(1) In suppl. q. 65. a. 1.

congruam perventionem ad ipsum, prohibetur non quidem primis praeceptis legis naturae, sed secundis, quae ex primis derivantur: sicut conclusiones in speculativis ex principiis per se notis fidem habent. Et sic dicta actio contra legem naturae esse dicitur. »

Regula igitur, de qua modo inquirimus, ad mentem s. Thomae est haec. Quidquid actionem reddit inconvenientem fini, quem natura ex opere aliquo intendit, dicitur esse contra legem naturae. Sed duo sunt adnotanda, quorum alterum spectat finem, cui actio adversatur, alterum spectat gradum seu modum, quo actio fini adversatur. Finis scilicet, cui actio est inconveniens, potest esse vel principalis vel secundarius. Item modus, quo actio opponitur fini, sive principali sive secundario, potest esse duplex: vel enim impedit prorsus finem, vel facit difficilem aut minus decentem perventionem ad finem. Iamvero 1.) si actio sit inconveniens fini *principali*, atque ita sit illi inconveniens, *ut eum omnino impediat*, talis actio prohibetur *primis* praeceptis legis naturae (quae in operabilibus tenent eum locum, quem prima principia tenent in speculativis). At. 2.) si actio faciat difficilem vel minus congruam perventionem ad finem principalem, aut quocumque ex praedictis modis sit incompetens fini secundario, talis actio prohibetur *secundis* praeceptis legis naturae (quae ex primis derivantur, sicut in speculativis conclusiones consequuntur ex principiis per se notis).

Regula haec est vera et apta. Fieri enim nequit, ut natura finem ex opere aliquo intendat, nec tamen prohibeat ea omnia, quae finem illum prorsus impediunt, seu, cum quibus de fine illo actum prorsus est. Natura autem non tantummodo vult perventionem ad finem, non de qualicumque finis consecutione contenta est:

sed vult etiam *congruam* perventionem ad finem, *decentem* eius consecutionem. Quare ea omnia, quae quamvis non omnino impediant consecutionem finis tamen eam reddunt minus convenientem, prohibentur etiam a lege naturae. — Et e converso, quidquid vere exigitur a fine, quem natura ex opere aliquo intendit, seu quidquid est ad intenti finis consecutionem necessarium, illud praecipitur a lege naturae: nec solummodo quidquid est eo sensu necessarium, quod absque ipso finis intentus nullo pacto obtinetur, verum etiam quidquid est hoc alio sensu necessarium, quod absque eo finis non bene, non convenienter, non ut par est, obtinetur.

Hanc regulam (quae valde generalis est et magno usui nobis erit in aliis etiam disputationibus, ex. gr. de societate civili) applicabimus statim ad hanc solvendam quaestionem: utrum necne lex naturae unitatem in coniugio praescribat.

128. Demonstratio. Unitas matrimonii in eo sita est, quod matrimonium sit coniunctio *unius* viri *cum una* femina. Unitati ex parte viri opponitur *polyandria*, unitati ex parte mulieris opponitur *polygamia* seu *polygynia simultanea* (non autem *successiva*, quam sane naturae lex permittit). Primum de polyandria, tum vero de polygamia breviter agemus.

I. Ex dictis patet, quid sit polyandria et quotuplex distinguatur. Polyandria est coniunctio unius mulieris cum pluribus viris. Est autem vel simultanea vel successiva. Nos de simultanea loquimur, eamque asserimus lege naturali prohiberi, et quidem primis naturalis legis praeceptis.

a) Assertio haec probatur *primo*, ex totali ac directa oppositione, quam polyandria habet ad finem

principalem matrimonii. — Ut ait s. Thomas (1), " unam uxorem habere plures viros, est contra *prima* praecepta legis naturae: eo quod per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, et quantum ad aliquid impeditur *bonum prolis*, quod est *principalis* matrimonii finis. In bono enim prolis intelligitur non solum *procreatio*, sed etiam *educatio*. Ipsa enim procreatio prolis etsi non totaliter tollitur, tamen multum impeditur. Sed educatio totaliter tollitur: quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cuius cura necessaria est in educando. Et ideo nulla lege, vel consuetudine est permissum, unam mulierem habere plures viros. " Hoc argumentum est perspicuum, nec solum demonstrat polyandriam lege naturali prohiberi, sed etiam *primis* legis naturalis praeceptis vetari. — Quando in legitimo matrimonio filii nascuntur post patris obitum, vel ante completam educationem patre orbantur, hoc ab omnibus existimatur ac vere est ingens calamitas: hinc pueros illos, quibus id obtigit, magna omnes commiseratione prosequuntur. Quid ergo est sentiendum de institutione seu unione sic inita, ut filii, qui ex ea forte nascantur, tam ingenti calamitati sint *necessario* ac *certo* subiecti? Talis unio est polyandria, per quam scilicet incertus manet susceptae prolis pater, et proinde educatio summo in discrimine versatur.

b) Adde *secundo*, polyandriam prorsus opponi fini *secundario* matrimonii. — Nullus enim in tali unione polyandrica esset ordo, nulla pax, sed potius perpetuae existerent suspiciones ac rixae. Immo polyandria a con-

---

(1) In suppl. q. 65. a. 1. ad 8.um

ceptu societatis prorsus deficit, seu nullo modo est societas. Ecquis enim in polyandrica illa unione foret rector ac caput? Non mulier: haberetur enim perversio ordinis naturalis, qui virili sexui praedominium in muliebrem sexum confert. Rectores igitur essent viri: i. e. quot sunt viri, tot forent capita seu tot forent rectores, iique pari iure praediti et ad invicem independentes. Sed naturae societatis tam repugnat esse sine capite seu carere rectore, quam pluribus subesse rectoribus aequali iure instructis et ad invicem independentibus. « Imperium, ut iam ex Tullio (1) diximus, nisi unum sit, esse nullum potest. » Non potest scilicet imperium, nisi sit unum, esse principium unitatis et ordinis. Hinc non ordo, non pax esset, ut dicebamus, in polyandrica unione, sed rixa continua, constans tumultus ac perpetuus horror (2).

Est igitur manifestum polyandriam esse iure naturae vetitam. Mulier nequit duos habere viros eodem tempore: secundum ex his coniugiis esset non modo *illicitum*, sed etiam *irritum*, nullo prorsus modo esset contractus maritalis, nullo prorsus pacto foret matrimonium.

II. Polygamia est coniunctio viri cum pluribus uxoribus. Est autem alia successiva, alia vero simultanea. Nos hic de pluralitate uxorum simultanea sermonem habemus: eamque asserimus prohiberi, si non *primis*, certe *secundis* naturalis legis praeceptis.

a) Assertio haec probatur, ex eo quod polygamia sit inconveniens secundario coniugii fini, cuius assecutionem reddit difficilem, multumque impedit. « Pluralitas

---

(1) Vide super. pag. 21. adnot. 2.

(2) Cf. Bellarminum. controv. de sacram. matrim. l. 1. c. X.

uxorum, inquit s. Thomas (1), neque totaliter tollit neque aliqualiter impedit matrimonii *primum* finem. Sed *secundum* finem, etsi non totaliter tollit, tamen multum impedit: eo quod non facile potest esse pax in familia, ubi uni viro plures uxores iunguntur. » Experientia sane docet, communicationem plurium in uno officio vel in una re amata causare zelum et litem. « Pluralitas ergo uxorum (haec est s. Thomae conclusio) quodammodo est contra legem naturae et quodammodo non »: videlicet, non est contra legem naturae, si spectetur finis *principalis*, est, si spectetur finis *secundarius*: non est contra *prima*, sed est contra *secunda* legis naturae praecepta.

b) Cui argumento aliae possunt addi validae confirmationes, quae hoc clare probant: matrimonium in polygamia, quamvis quoad suam essentiam sufficienter permaneat in viro et singulis suis uxoribus, tamen non se habet bene ac convenienter. — Et sane, ut matrimonium se habeat convenienter, oportet ut contractus maritalis sit par ex utraque parte: i. e. oportet, ut tantam potestatem det vir uxori, quantam dat uxor viro, non autem minorem det vir, quam uxor. Sed haec contractus aequalitas deesset in polygamia. Uxor enim totam sui corporis potestatem traderet viro ita, ut sibi non reservaret potestatem tradendi alteri. Hoc vero idem non omnino praestaret vir: hic obligationem contraheret non omnino aequalem potestati, quam accipit. — Insuper omnis sane societas fundatur in amore, quo socii se invicem prosequuntur. Sed hoc valet praecipue de societate coniugali: debet inter coniuges esse intensus ac plenus amor amicitiae. Quidquid ergo amorem inter coniuges infirmat debi-

(1) Suppl. q. 65. a. 1.

lioremque reddit, opponitur convenienti statui coniugii. Hoc autem efficit uxorum pluralitas: amor divisus inter plures mulieres est profecto minor ac debilior amore restricto ad unam tantum uxorem. — Hoc porro deficiente intenso plenoque amore, necnon attenta naturali mulierum zelotypia, fieri non posset, ut dissensiones continuae non exorirentur: unde non mutuum solatium, sed amaritudinem mutuam coniuges sibi afferrent (1).— Hinc in tali familia, tot agitata scissionibus, tot repleta dissidiis, ipsa prolis educatio in discrimine versaretur, neque in convenienti gradu posset obtineri. — Quae omnia demonstrat experientia. Ubicumque enim polygamia viget, ibi conveniens filiorum educatio non habetur, ibi pax deest, ibi uxores tamquam famulae et servae, non autem tamquam amicae et sociae habentur. — Itaque uxorum pluralitas opponitur convenienti statui seu congruae perfectioni matrimonii. Atqui quod ita se habet, id prohibetur a lege naturae, quae non modo vult coniugium esse, sed etiam vult ipsum bene convenienterque esse. Ergo polygamia (non aeque tamen ac polyandria (2), in qua scilicet essentia ipsa ma-

---

(1) Apte Heineccius, de iure nat. et gent. l. 2. c. 2.: « Plures unius viri uxores invidia, zelotypia, aemulatio et mille aliae causae quotidie collidunt. Iam enim mulieri venustiori iuvenculae foecundiori magisque amabili: iam plures earum marito, unam aut alteram sibi praeferenti: iam eadem alterius liberis, erectioris ingenii vel patri paulo carioribus, succenset. »

(1) S. Augustinus inter ceteras rationes, quas affert l. 3. de doctr. Christ. cap. 12. et libro de bono coniugali cap. 17., ad polyandriam refellendam, hoc etiam utitur argumento: non ita esse contra rationem, si unus vir plures uxores habeat, quemadmodum est contra rationem, si una mulier multos viros habeat: quia non est contra rationem, ut unus dominus multos servos habeat, dum sit contra ra-

trimonii deficit ipsaque societatis ratio cessat, quaeque ipsi fini coniugii *primario* prorsus repugnat) prohibetur a lege naturali.

Restat igitur, solam monogamiam naturalibus omnibus finibus matrimonii eiusque convenienti statui ac perfectioni respondere, eamque proinde naturali lege praecipi.

129. Scholion. Matrimonium potest, ut iam diximus, considerari dupliciter: primo, tantummodo secundum quod est *in officium naturae*: ulterius autem, secundum quod est *Ecclesiae sacramentum a Christo Domino institutum*. Hactenus nos priori tantum modo, ut philosophos decet, spectavimus matrimonium, secundum quod est in officium naturae. Iuverit aliquid innuere de matrimonio posteriori etiam modo considerato. Tertium tunc habet finem, videlicet significationem unionis Christi cum Ecclesia. Iamvero uxorum pluralitas huic fini manifeste opponitur: iam enim coniugium non amplius repraesentaret unionem Christi cum *una* Ecclesia. « Tertium finem, ait s. Thomas (1), pluralitas uxorum totaliter tollit: eo quod sicut Christus est unus, ita Ecclesia una. » Quare Christus Dominus legem de unitate matrimonii non primo instituit, sed restituit, eamque

tionem, ut unus servus multos habeat dominos. — Bellarminus, op. et loc. cit., mentem s. Augustini sic explicat: « Hoc argumentum non probat, non esse absolute contra rationem, ut unus vir multas uxores habeat (siquidem est magnum discrimen inter subiectionem servorum ad dominum, et subiectionem uxoris ad virum), sed tantum probat, minus esse absurdum, ut unus vir plures uxores, quam ut una mulier plures viros habeat, cum vir sit caput mulieris, non contra mulier viri. »

(1) Loc. nuper cit.

tum apertius declaravit, tum validius confirmavit ac sanxit.

Thesis xlvi.

Praeter unitatem, lex naturalis in coniugio praescribit indissolubilitatem, quae alia proinde est matrimonii proprietas.

130. Praenotiones. In tractatu de *contractibus*, ubi fit quaestio *de eorum solutione*, seu de modis, quibus obligatio ex contractu orta tollitur (1), haec tradi solet responsio, id duplici potissimum modo fieri posse, videlicet ab extrinseco et ab intrinseco. — Primo, *ab extrinseco*, i. e. auctoritate superioris competentis, qui contractum irritum faciat. — Secundo, *ab intrinseco*, i. e. arbitrio seu libero consensu ipsorum contrahentium. De hoc altero modo in Iure (2) fit mentio hisce verbis: « Eae obligationes, quae consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur. Nam si Titius et Seius inter se consenserint, ut fundum Tusculanum emptum Seius haberet centum aureorum, deinde re nondum secuta, id est, neque pretio soluto neque fundo tradito, placuerit inter eos, ut discederetur ab ea emptione et venditione, invicem liberantur. Idem est in conductione et locatione, et in omnibus contractibus, qui ex consensu descendunt. »

Cum igitur matrimonium sit in genere contractuum, hinc de eo etiam oritur quaestio, *utrum et quomodo solvi*

(1) Vide super. vol. II. Thes. XXVII. pag. 309.

(2) Tit. 30. l. 3. Institut. *quibus modis tollitur obligatio* §. 4.

possit : scilicet, 1.) utrum solvi queat *ab extrinseco*, 2.) utrum etiam *ab intrinseco*.

Ad priorem quaestionem quod spectat, certum est, matrimoniale vinculum *posse* abrumpi a Deo naturae auctore, cui omnium iura subiiciuntur, atque etiam solvi posse ab humano Principe, cui Deus auctoritatem ad id faciendum expresse communicaverit, intra illos quidem limites, intra quos ei auctoritatem communicavit. De huiusmodi potestate existente in Deo ambigendum non est (1). — Theologi autem ulterius inquirunt de *exercitio* huius potestatis divinae atque communicationis eiusdem factae alicui personae: scilicet, utrum et in quibus casibus Deus dissolvat reapse matrimonium, et utrum atque pro quibus casibus communicaverit personae alicui potestatem dissolvendi vinculum maritale (2).

Altera restat pertractanda quaestio, utrum coniugium solvi possit *ab intrinseco*, i. e. utrum coniuges possint proprio arbitrio seu consensu matrimonium semel initum solvere et abrumpere : scilicet, utrum ratio naturalis bene consulta dictet, a naturali lege factam vere esse coniugibus ipsis potestatem faciendi divortium. — Hic autem distinctio est adhibenda. Divortium enim distinguitur duplex, *imperfectum* et *perfectum*. Divortium imperfectum consistit in coniugum separatione dumtaxat quoad coabitationem, maritali vinculo permanente. Di-

---

(1) Cf. Tongiorgi, Eth. num. 395. Pro tota hac thesi cf. Palmieri, de matrim. thes. XVI. seqq.

(2) Haec praecipue docent Theologi. — Matrimonium ratum solvitur extrinsece per professionem religiosam, tum solvi potest auctoritate Romani Pontificis. — Matrimonium infidelium, etiam consummatum, solvi extrinsece potest cum, altero ad fidem converso, alter renuit cohabitare, aut non sine iniuria Creatoris aut damno spirituali fidelis, tum potest extrinsece solvi auctoritate Romani Pontificis.

vortium perfectum est abruptio vinculi ipsius maritalis, ita ut potestas fiat coniugibus transeundi ad alias nuptias.

Divortium imperfectum potest *quandoque* esse licitum, quando nimirum iusta adsit ac vere rationabilis causa. « Evenire ex. gr. potest, ita Liberatore (1), ut mutuus amor non modo defervescat, sed in odium convertatur, ita ut tranquillitas vitae et pacifica domus gubernatio haberi amplius nequeat. Tunc certe ratio persuadet, ut coniuges ad tempus saltem separentur, donec mutuus amor redintegretur. Pariter si coniugum alteruter fidem matrimonii violet, aut perversa fuga socium deserat, vel graviter divexet ; ius alteri erit a nocente discedere, ad se iniusta oppressione liberandum, aut alterius scelus tali separatione puniendum. Id tamen quoad cohabitationem tantum intelligendum est : hoc enim sufficit ad malum illud avertendum, nec aliud revera probant argumenta, quae a defensoribus divortii afferuntur. »

De divortio igitur perfecto inquirendum est, utrum in potestate coniugum sit, vinculum ipsum maritale, semel iam libero consensu adstrictum, proprio arbitrio seu consensu abrumpere. Cui quaestioni negative respondemus : ratio enim bene consulta videt, naturalem legem coniugibus nequaquam concedere illiusmodi potestatem, sed e contrario quaemadmodum unitatem ita etiam intrinsecam indissolubilitatem in coniugio praescribere (2).

---

(1) Ius nat. part. 2. num. 13.

(2) Nec putes, hanc esse parvi momenti quaestionem, parumque referre, utrum matrimonium sit extrinsece tantum an vero etiam sit intrinsece solubile : quocumque enim modo res se habeat, manet semper solubile. — Etenim magnum inter duo illa intercedit discrimen. Si coniugium vere est intrinsece solubile, subiicitur voluntati

131. Demonstratio. I. Id autem ratio *primo* colligit ex inspectis naturalibus coniugii finibus. — Hoc enim est inprimis manifestum, unionem coniugalem debere ex naturae lege esse *diuturnam*, seu tamdiu saltem perdurare debere, quamdiu physica et moralis filiorum educatio (quae educatio ex naturae lege ab utroque parente in solidum seu coniunctis una curis est praestanda) sit rite convenienterque absoluta. Atqui educatio haec filiorum (*filiorum*, inquam: dum enim unus educatur filius, alter secundum normalem naturae cursum gignitur atque alter, qui omnes filii iisdem curis parentum indigent) naturaliter non absolvitur, nisi quando parentes provectam aetatem attigerunt: tunc autem naturali necessitati procreationis filiorum et educationis ipsis impertiendae succedit naturalis necessitas mutui auxilii et solatii sibi praebendi, in quo situs est secundarius matrimonii finis (1). Ergo ratio bene consulta dictat, unionem coniugum non modo *diuturnam* esse debere, sed etiam *ad mortem usque alterutrius coniugis*. Haec igitur perpetua atque indissolubilis unio exigitur

---

hominum, quae mutabilis est et pravis agitata cupiditatibus. Si vero est solubile tantummodo extrinsece, subiicitur soli Auctori naturae, cuius lege vel delegata potestate solvi tantummodo potest. Est igitur magni momenti quaestio: ut in tractatu de *voto* magni momenti est, expedire quaestionem, utrum votum Deo nuncupatum solvi queat auctoritate privata ipsius voventis, an vero tantum Dei ipsius auctoritate vel alicuius, qui nomine Dei agat. Cf. Palmieri l. c.

(1) Cf. Taparelli, *saggio* ecc. diss. 7. c. 3. num. 1529., ubi inter alia habet haec: « I parenti col procedere degli anni a quante vanno soggetti infermità di corpo e di mente, che rendono or all'uno dei due or anche ad entrambi necessario un tal *sussidio* per parte sì dei figli sì del consorte... La famiglia si comincia col matrimonio, si prosegue coll'educazione, e si finisce coll'assistere alla vecchiaia. »

a finibus, quos natura in coniugio intendit. Quod autem est huiusmodi, id sane a natura praecipitur: quemadmodum, id quod naturalibus coniugii finibus et convenienti eius perfectioni opponitur, prohibetur. Ergo naturae lex indissolubilitatem in coniugio praescribit, nulloque prorsus pacto coniugibus potestatem facit abrumpendi maritale vinculum, si velint, et transeundi ad alias nuptias.

In hoc argumento, uti patet, distinguimus inter unionem *diuturnam ad longum tempus* et unionem *perpetuam* ad mortem usque alterutrius coniugis (1). Prior illa omnino exigitur a fine ipso coniugii principali, qui est procreatio simul et educatio tum physica tum moralis filiorum: hinc praescribitur ipsis *primis* naturalis legis praeceptis. Altera vero, si non a principali, certe exigitur a fine coniugii secundario, qui est domestica societas, mutuum subsidium, et communicatio operum quae ad vitam necessaria sunt: hinc praescribitur, si non primis, certe *secundis* naturalis legis praeceptis. Itaque naturaliter coniugium nonnisi morte alterutrius coniugis dirimitur: tunc tantum iterum nubendi fit facultas.

II. Huic argumento, quod praecipuum est, possunt plures magni roboris confirmationes addi, quae hoc probant, matrimonium, ut bene convenienterque sit, debere esse intrinsece indissolubile: aliquas afferemus.

a) Quidquid infirmat seu debilitat mutuam illam amicitiam, quae est societatis coniugalis fundamentum,

---

(1) Eamdem adhibet distinctionem s. Thomas, contr. gent. l. III. c. 124.: « Si quis autem recte consideret, praedicta ratio non solum ad hoc pertinere videtur, ut societas maris et feminae in humana natura, quam matrimonium appellamus, sit *diuturna*, sed etiam sit *per totam vitam*. »

quaeque sponte enascitur ex arcta illa communicatione, quam alter sui ipsius facit alteri, id opponitur convenienti statui ac perfectioni coniugii. Atqui talis reapse est intrinseca matrimonii solubilitas: sola enim cogitatio vel suspicio hypothesis obventurae (obvenire autem posset etiam per se i. e. absque vitio et culpa alterius coniugis) de rescissione vinculi maritalis mutuum illum amorem vel omnino extingueret vel certe valde debilitaret. Ergo intrinseca matrimonii solubilitas aperte opponitur convenienti statui et perfectioni matrimonii: ac proinde non admittitur ab illa naturali lege, quae vult coniugium bene convenienterque esse (1).

b) Insuper, ut contractus maritalis bene ac convenienter se habeat, oportet ut sit (quemadmodum in superiore thesi iam diximus) ex parte utraque, tum viri tum mulieris, aequalis. Atqui, posito matrimonio solubili, iam praedicta illa aequalitas in contractu maritali non haberetur. Nam *primo*, mulier non posset virum dimittere: quia mulier naturaliter est subiecta viro tamquam gubernatori. « Non est autem, ait s. Thomas (2), in potestate eius, qui alteri subiicitur, ut ab eius regimine discedat. Contra naturalem igitur ordinem esset, si mulier virum deserere posset.» Ergo tantummodo vir posset deserere mulierem. Sed tunc, pergit idem s. Doctor, « non esset aequa societas viri ad mulierem, sed servitus quaedam ex parte mulieris.» Praeterea *secundo*, post divortium conditio mulieris non foret eadem ac conditio viri. Hic enim inveniret facile,

(1) Huc facit illud s. Thomae, contr. gent. l. III. c. 123. : « Amicitia quanto maior est, tanto debet esse firmior et diuturnior. Inter virum autem et uxorem maxima amicitia esse videtur. »

(2) Loc. nup. cit.

cui iterum nuberet. At mulier iuventutis flore orbata ac praerogativa virginitatis carens vix posset novas inire nuptias. Quare maneret destituta solatio illo et auxilio, quo mulier multo plus quam vir indiget: eoque destituta maneret tunc, quum eo subsidio magis indiget (1).

c) Neque praetermittendum est argumentum, quod eruitur ex bono societatis civilis, cuius domestica societas est pars naturalis. Cum scilicet familia sit naturaliter ordinata ad maiorem societatem, quae civitas dicitur, efformandam, non debet ita esse constituta, ut maiori illi societati sit impedimento, quominus finem suum proprium, qui in pace securitate ac prosperitate vitae consistit, convenienter assequatur. Atqui sic esset familia constituta, semel admissa liceitate divortii seu intrinseca coniugii solubilitate. Divortia enim saepe, immo quotidie fierent: quodlibet autem divortium foret inter coniuges et utriusque coniugis propinquos discordiarum semen: frequentes igitur ac graves in civili societate dissensiones ac lites exsurgerent (2).

---

(1) Miseram mulieris a viro dimissae conditionem describit s. Ambrosius, in Luc. VIII. 4., hisce verbis: « Quo cum parvulis foeta dimittitur? Quo titubanti vestigio grandaeva detruditur? Durus, si excludas parentem, pignora teneas, ut ad contumeliam caritatis addas etiam pietatis iniuriam. Durus, si propter matrem etiam filios simul pellas, cum magis redimere a patre liberi debeant culpam parentis. Quam periculosum, si fragilem adolescentulae aetatem errori offeras! Quam impium, si eius destituas senectutem, cuius defloraveris iuventutem! Ergo inhonoratis stipendiis et veteranum imperator dimittat inglorium, atque imperii sui possessione detrudat, et rusticum laboris sui effoetum agro suo propulset agricola? An quod in subditos nefas est, in comparem fas est? »

(2) Ut ait Taparelli, *corso elem.* ecc. num. 347., « fra gli argomenti, che si arrecano per l'indissolubilità del matrimonio, urgentissimo è l'argomento sociale... La dissolubilità del matrimonio è fonte di discordie

III. Assertio, quam tuemur, de intrinseca coniugii indissolubilitate adhuc magis confirmabitur, si praecipuas, quae opponi solent, difficultates examinemus et solvamus.

Obiectio 1.ª Inseparabilitas matrimonii est contra *bonum prolis*, i. e. contra principalem matrimonii finem. Quandoque enim aliquis vir non potest ex sua uxore prolem accipere, qui tamen bene ex alia accipere posset: uxor quoque cum alio viro posset esse foecunda. Ergo inseparabilitas matrimonii magis est contra legem naturae, quam de lege naturae (1).

Responsio. Scilicet, inseparabilitas matrimonii confert, immo est necessaria ad hoc, ut filii qui ex coniugiis ordinarie habentur gaudeant convenienti educatione, ut coniuges se se mutuo ament vivantque pacifice atque in rectam domus gubernationem incumbant, ut uxor non tam̃quam serva sed tamquam socia habeatur, ut vigeat in societate civili pax et securitas: paucis

tra le parentele de' due coniugi. Or la società ha bisogno di concordia tra socii. Dunque abbisogna dell' indissolubilità. » Qua de re audiatur Barruel (Lettres sur le divorce à un député de l'assemblée nationale): « Le bonheur de l'état est dans la paix et la concorde des citoyens, dans la bonne intelligence des diverses familles. Le mariage unissant deux époux rapproche les parents, les alliés : en faisant deux heureux, il fera vingt amis. Le divorce viendra, il fera vingt ennemis mortels : il suscitera les parents, les amis de l'épouse contre l'époux, contre sa famille et contre ses amis. Le mariage avait confondu les intérêts, raffermi les fortunes ; le divorce viendra diviser les intérets, renverser les fortunes, élever des discussions susciter des procès, anéantir des testaments et les tribunaux ne retentiront plus que de plaintes contre l'époux, qui laisse là l'épouse aprés avoir consumé sa fortune : contre l'épouse, qui laisse là l'époux en redemandant ce qu' elle aura dissipè. »

(1) Hanc difficultatem sibi obiicit s. Thomas, suppl. q. 67. a. 1.

verbis, inseparabilitas matrimonii est necessaria ad hoc, ut in tuto sit honestas et felicitas coniugiorum, ex qua totius humani generis prosperitas dependet. Separabilitas autem matrimonii, omnia quae enumeravimus bona impediendo, ad hoc adduceret, ut mulier illa aut ille vir qui filiis carent eis non destituantur, ut tali privationi seu malo, quod *per accidens* ipsis advenit, non subsint. Iamvero quid lex naturalis in matrimonio prohibeat, quid autem permittat, diiudicandum quidem est praecipue *ex bono prolis*, sed ex bono prolis *simpliciter* atque *in communi*, non ex bono prolis *in particulari* seu *in hoc vel in illo homine*. Nimirum, perpendendum praecipue est, quid sit necessarium ad hoc, ut proles quae ex coniugiis suscipitur recte educetur, ut pax et ordo sit in familiis, securitas et tranquillitas in civitate etc., et exinde est iudicium ferendum de legis naturalis praescriptionibus: non attendendo ad aliquod detrimentum, quod *per accidens* exinde hic aut ille pati potest (ut foret in nostro casu, *carentia prolis* ob sterilitatem mulieris), in quo detrimento vel nullum malum est, vel malum tantummodo individuale, quod non praeponderat bono communi, quodque ab iis, quibus advenit, patienter ferendum est, ut patienter ferenda sunt mala multo graviora, quae in nullo vitae genere seu instituto non occurrunt (1).

Huc responsio redit, quam praedictae difficultati s. Thomas dat hisce verbis (2): « In legibus matri-

---

(1) Nonne lex civilis, quae prohibet privatis ne arma gerant, est iusta rationabilis necessaria, ob inspectum commune bonum? Exinde tamen fieri potest, ut quis inermis ab aggressore iniusto vulneretur.

(2) Loc. nunc cit. — Hoc loco referam illa, quae Valerius Max.-, l. II. c. 1. n. 4. habet: « Repudium inter uxorem et virum a con

monii magis attenditur, *quid omnibus expediat*, quam *quid uni competere possit*. Quamvis igitur matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis *in aliquo homine*, tamen est conveniens ad bonum prolis *simpliciter*. Et propter hoc ratio non sequitur».

Obiectio 2.ª Saepe contingit, ut coniuges ab initio quidem se se mutuo ament, paullatim vero odium seu fastidium succedat amori. Posita autem indissolubilitate matrimonii, quisnam non videt quot in praedictis casibus locum habeant inconvenientia seu mala?

Responsio. Haec inconvenientia seu haec mala 1.º) sunt minora, et quidem multo minora iis malis, quae ex intrinseca coniugii solubilitate statim orirentur.—Praeterea 2.º) sunt incommoda singularum personarum: dum illa alia essent plus minus damnum seu pernicies ipsius generis humani, a quo scilicet, admissa divortii liceitate, una cum honestate et felicitate coniugiorum, omnis pax exsularet et prosperitas. — Insuper 3.º) ea personalia incommoda vel mala non *per se* existunt, sed pendent ex prava voluntate hominum, qui cum sint libero praediti arbitrio possunt ea impedire, ex quibus originem ducunt: dum illa alia sequerentur *per se* ex solubilitate ipsa coniugii. — Adde 4.º) ea mala personalia posse abunde compensari, immo etiam superari bono alio personali, cuiusmodi est exercitium virtutis. Quid, inquies, ad *virtutem* recurris in hac re, quae voluptatis causa suscipitur? Respondeo, in quaestione de coniugio non esse prae oculis haben-

---

dita Urbe usque ad vicesimum et quingentesimum annum nullum intercessit. Primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causa dimisit. Qui quamquam tolerabili ratione motus videretur, reprehensione tamen non caruit, quia ne cupiditatem quidem liberorum coniugali fidei praeponi posse arbitrabantur. »

dum tantummodo *sensum*. Est enim matrimonium res moralis et maxime moralis (siquidem propagationem generis humani spectat et multiplicationem cultorum Dei). Quocirca, cum de coniugio agitur, iure meritoque fit mentio virtutis. Unde in encyclica Leonis XIII. P. M., de matrimonio Christiano, *Arcanum divinae sapientiae consilium*, haec leguntur: « Tunc matrimonia placidam quietamque constantfam habitura sunt, si coniuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis, quae forti invictoque animo esse tribuit: quae efficit, ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum pondus, ut educationis filiorum operosa sollicitudo, ut comites vitae labores, ut casus adversi non solum moderate, sed etiam libenter perferantur.»

Illud rursus adnotare iuverit, de quo iam diximus, in quovis vitae genere seu instituto pericula incommoda calamitates varias esse, quas necessario perpetiatur oportet, quisquis tale institutum amplectitur. Quot e. g. infortunia periculaque habet vita militaris, quam tamen homines ut plurimum *inviti* ineunt! Si ergo unio haec coniugalis, quae ab hominibus *libera* prorsus voluntate contrahitur, suis non caret periculis et calamitatibus, patienter perferendis, id nulli mirum esse debet. Illud potius mirum videri potest, unionem hanc, quae multa secum fert onera multisque est obiecta periculis, non semper magna cum reflexione et consilio, ut par esset, sed temere prorsus a plurimis iniri.

Obiectio 3.ª Infidelitas, inquiunt, pactis abrumpit contractus alios. Ergo hunc etiam solvet.

Responsio. Ut iam initio huius theseos diximus, ubi divortium in imperfectum et perfectum distinximus, si coniugum alteruter fidem matrimonii violet, ius habebit

alter discedendi a nocente ad scelus compartis tali separatione puniendum, discedendi tamen *quoad cohabitationem*, maritali vinculo permanente. Hoc ne abrumpatur, vetat *damnum tertii*, quod exinde sequeretur, i. e. damnum susceptae prolis, necnon societatis publicae seu civilis, ipsiusque religionis detrimentum.

« La infedeltà ai patti, ita disserit Taparelli (1), scioglie, dicono, ogni contratto: dunque scioglierà ancora questo. — Adagio: la infedeltà scioglie quei contratti ove non è compromesso l'interesse di un terzo; ma ove questo è compromesso, qual giustizia permette di rovinarlo? Due negozianti si associano per fornire i viveri ad un esercito: la infedeltà di uno di loro renderà lecito all'altro con danno dell'esercito una simile infedeltà? Or nel matrimonio i coniugi si associano per educare figli, crescerli alla società cittadini, a Dio adoratori: figli, società, religione sono dunque compromessi nella infedeltà ai patti coniugali. »

Obiectio 4.ª Matrimonium est contractus. Atqui contractus, quemadmodum consensu voluntatum adstringitur, ita eodem consensu dissolvitur. Ergo matrimonium est solubile pet consensum contrahentium.

Responsio. Matrimonium est contractus *sui generis*, in multis omnino differens ab aliis contractibus, eosque omnes prorsus excedens. Si eius *materiam* inspicias, pro materia habet non res humano dominio subiectas, sed ipsam hominis personam, quae, quoad partem sui, ceditur alteri. Si eius *finem* spectes, est directe et immediate in officium naturae. Hinc quoad essentialia eius constitutiva pendet ab auctore naturae, in cuius offi-

---

(1) *Saggio*. dissert. 7. c. 3. n. 1534.

cium est, non autem a libera voluntate hominum. His integrum quidem est inire vel non inire hunc contractum: at si inire velint, debent omnia illa vitare, quae cedant in praeiudicium naturae (1): debent scilicet talem, et non alium, finem intendere, *indissolubilitatem* eaque omnia servare, quae natura ipsa, in cuius officium est, in tali contractu praescribit. — Insuper ne verum quidem est contractum omnem generatim esse solubilem per consensum contrahentium.

Obiectio 5.ª Contra thesim hanc de indissolubilitate ac thesim praecedentem de unitate coniugii, sic arguunt. Deus potest dissolvere et reapse tum in veteri tum in nova lege dissolvit matrimonium. Potest etiam concedere et reapse in lege veteri sanctis Patriarchis concessit pluralitatem uxorum: ii enim fuerunt viri sapientes Deoque accepti, ac proinde plures ducendo uxores egerunt non ex ignorantia neque cum transgressione legis naturalis, sed ex inspiratione divina. Ergo indissolubilitas atque unitas coniugii non cadunt sub praeceptum legis naturalis. Si enim caderent, cum lex divina sit immutabilis (2), ne Deus quidem posset matrimonium dissolvere aut polygamiam concedere.

Responsio. Loquamur 1.°) de indissolubilitate. Lex naturalis non est haec: tantum abest ut coniuges proprio arbitrio et consensu possint vinculum maritale abrumpere, ut ne Deus quidem possit illud dirimere. Sed est haec alia: quamvis Deus naturae auctor possit vin-

---

(1) Hinc dici solet, quod matrimonium, si spectetur *in fieri*, est quid omnino liberum, non autem si spectetur *in facto esse*.

(2) Cf. thesim de immutabilitate legis naturalis, vol. 1. pag. 297. Haec immutabilitas *omnibus* competit praeceptis legis naturalis: magis tamen convenit praeceptis *primis* quae proinde sunt ceteris firmiora. Cf. Bellarminum, controv. de sacr. matr. l. 1. c. 27.

culum maritale dirimere, tamen ii, qui coniugium in officium naturae institutum contrahunt, nequeunt vinculum maritale semel adstrictum proprio arbitrio et consensu solvere: id enim naturae praeiudicium afferret. Aliis verbis: lex naturalis non negat coniugium quoad vinculum subiici Deo eiusque rectissimae voluntati, sed negat subiici voluntati ipsorum contrahentium, quae mutabilis est et pravis agitata cupiditatibus: non excludit solubilitatem *extrinsecam* sed solum *intrinsecam*. Apposite Suarez (1): « Recessus a propria uxore quoad vinculum, contra naturale praeceptum est, quia in homine non est potestas privandi alterum dominio acquisito, etiam illo volente. Deus autem habet hanc potestatem, et ideo potest *mutare materiam* illius legis, et consequenter facere ut cesset obligatio eius *sine dispensatione* (2): . . . . Dissolutio matrimonii non licet propria auctoritate, quia non possunt privati facere sua auctoritate aliquid, *quod cedit in praeiudicium naturae*. Unde in tali praecepto intelligitur, *excepta auctoritas Dei ut auctoris naturae*: ideoque quando ille aliud praecipit, non est dispensatio, sed observatio praecepti iuxta conditionem quam includit (3) ».

---

(1) De leg. l. II. c. XV. num. 28.

(2) Quare locum habet mutatio non *formalis* sed *materialis* legis, i. e. non ex parte ipsius legis, sed ex parte materiae legis.

(3) Ut exemplo aliquo rem illustremus, sit tributum aliquod in bonum seu officium Principis stabilitum. Nemo ex civibus potest proprio arbitrio negare illud tributum: quia id cederet in praeiudicium Principis. Sed potest Princeps eximere civem aliquem a solvendo triburo, damnum illud, quod exinde patitur, negligendo. Nec talis exemptio erit proprie loquendo dispensatio legis: siquidem in lege subintelligitur exceptio haec, *nisi ex Principis auctoritate seu licentia fiat.*

Spectemus nunc 2.º) unitatem. Concessio a Deo facta polygamiae in eo differt a solutione a Deo facta coniugii, quod in hoc altero casu habetur *totalis abruptio* vinculi maritalis, in priori vero casu habetur *partialis quaedam temperatio* seu *aliqualis relaxatio* eiusdem vinculi. Scilicet, ob supremam dominativam potestatem, quam Deus habet in omnes et super omnia, quemadmodum potest *ex toto* irritum reddere contractum maritalem, ita potest infirmum seu vacuum reddere ex *parte*. Deus igitur quando matrimonialem contractum dissolvit, privat utrumque coniugem potestate quam in alterius corpus habet, et sic utrique concedit ut novas ineant nuptias. Quando vero polygamiam permisit, reliquit uxori potestatem in corpus viri, non tamen plenam sed imminutam. Concessit enim viro, ut potestatem sui corporis daret mulieri uni, absque reservatione non tradendi alteri, seu cum iure dandi etiam alteri. Ex quo factum est, ut vir priores nuptias ita contraheret, ut locus esset secundis nuptiis ac tertiis, in quorum singulis, si non plena integritas, certe mansit stricta essentia matrimonii. Re hoc modo intellecta, difficultas, quae obiicitur, non habet maiorem vim quoad unitatem, quam quoad indissolubilitatem: ac proinde quae de hac diximus, illi etiam debita cum proportione applicentur.

Dices: pluralitas uxorum, quamvis concessa ab ipso Deo, tamen potest secum afferre et naturaliter affert multa incommoda: semper impedimento est convenienti assecutioni finis secundarii. — Respondeo, aliud esse loqui de ipso auctore naturae, in cuius officium institutum est coniugium, et aliud esse loqui de hominibus, qui coniugium ineunt. Hi, quando matrimonium contrahunt vel in contracto matrimonio perdurant, ea debent vitare quae in damnum seu praeiudicium naturae cedant.

Ipse vero naturae Auctor poterit negligere damna aliqua et inconvenientia, si ea praesertim bono altioris ordinis compensentur. Hoc sensu s. Thomas ait (1), quod naturale praeceptum de unitate ex parte uxoris oportebat tempore Patriarcharum omitti « ut maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae. Semper enim principalis finis magis observandus est quam secundarius. Unde cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus evenire. Ad quod removendum, praeceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinatur.» — Eodemque modo dicendum est, expedire, ut ab Auctore naturae certis in casibus negligatur damnum aliquod seu inconveniens, quod ex solutione coniugii consequatur, propter bonum altius, e. g. fidei, religionis etc. Neque per id laxantur frena cupiditatibus, non amor castus imminuitur, non ea consequuntur damna, quae derivarent ex intrinseca matrimonii solubilitate, nimirum ex plena coniugii quoad vinculum subiectione voluntati mutabili ac frequenter pravae ipsorum contrahentium.

132. Scholion. Ut pluries iam diximus, matrimonium spectari potest vel tantummodo ut est in officium naturae, vel etiam ut reapse nunc est unum e septem Novae Legis sacramentis, speciales habens adnexas gratias, quibus adiuti coniuges operationes proprii status melius exercere et onera matrimonii facilius ferre valeant. Finis eius, ut est sacramentum, consistit

---

(1) Suppl. q. 65. a. 2.

in *significatione unionis Christi cum Ecclesia* (1). Quae unio cum sit *unius ad unam*, cumque sit *indissolubilis*, hinc speciali iure in Nova Lege (2) prohibentur tum polygamia simultanea, tum divortium perfectum, privata ipsorum contrahentium auctoritate factum, utpote quae praedictae significationi contradicunt, eamdemque falsificant.

Ex dictis intelliges, merito Pium IX. (3) sequentem propositionem ut falsam reiecisse: « *Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile.* » Quae propositio relata est in Syllabo (4) et condemnata. — Et sane, etiamsi matrimonium spectetur tantummodo *ut est in officium naturae*, patet *a*) matrimonii vinculum esse intrinsece indissolubile, sin minus hoc sensu, quod debeat esse diuturnum seu per magnum vitae spatium perdurare, quousque saltem physica intellectualis et moralis filiorum educatio non sit expleta, itemque hoc sensu, quod vinculum matrimoniale nequeat quacumque ex causa et pleno coniugum arbitrio abrumpi. Sed etiam patet *b*) esse intrinsece indissolubile, ad mortem usque alteru-

(1) Cf. Palmieri, de matrim. thes. XIII. sub fin.

(2) Luc. XVI. 18. : « Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, moechatur. » — Matth. XIX. 6. : « Itaque iam non sunt duo sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. » — Rom. VII. : « Nam quae sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. » — I. Cor. VII. : « Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. »

(3) In litt. Apost., *ad Apostolicae*, 22 aug. 1851.

(4) Inter errores de Matrim. christiano sub n. XXXVII.

trius coniugis, quemadmodum allata argumenta probant. Dirimi igitur nequit, nisi Dei auctoritate.

Restat igitur intrinsecam coniugii indissolubilitatem naturae et finibus coniugalis societatis apprime convenire, ab eaque simpliciter exigi in bonum ipsorum coniugum, prolis, totiusque humanae consociationis. Quare eam lex naturalis omnino praescribit. Legi autem naturali accedit lex evangelica, quae naturale hac de re praeceptum et vividius declarat et validius confirmat.

Unitas et indissolubilitas dici solent, *naturales coniugii proprietates*: et merito. Nam sunt dotes, quae huic societati prae aliis naturalibus consociationibus speciali modo competunt: sunt etiam necessariae conditiones, sine quibus coniugium vel nullo pacto est vel non est convenienter, finis coniugii vel nullo pacto obtinetur vel non obtinetur convenienter.

THESIS XLVII.

Naturalia utriusque coniugis officia sunt, intemerata fides, constans amor, mutuum obsequium. His autem communibus utrique coniugi officiis alia accedunt officia peculiaria.

133. Declaratio. Est nunc de naturalibus coniugum officiis breviter dicendum. Quaedam officia sunt utrique coniugi *communia*, quaedam vero sunt marito et uxori *peculiaria* ac propria.

Communia reducuntur ad haec tria: coniuges debent promissam fidem inviolate servare, mutuo se amore

prosequi, mutuumque sibi auxilium et solatium ferre (1).

Peculiaria mariti officia sunt uxorem nutrire, defendere, eamque ad finem societatis coniugalis dirigere. Idem graviora negotia ac munia obit, per quae necessitati, incolumitati, honori ac splendori domus consulitur. De domicilio item decernit, quod quidem uxor, nisi specialia pacta vel adiuncta obstent, sequi tenetur (2). Peculiaria uxoris officia sunt curare, ut animum mariti sibi devinctum teneat: domestica negotia curet, speciatim autem viro, cui est naturaliter subiecta, obediat in iis, quae ad domesticam vitam pertinent.

« Statim, ut iam cum Philosopho (3) diximus, descripta ac divisa sunt eorum officia, aliaeque sunt viri, aliae mulieris partes. Inserviunt igitur alter alteri, sua uterque in commune conferentes. » Quaenam porro sint haec officia naturaliter divisa inter virum et mulierem, Aristoteles magis determinate exponit alio loco (4): cuius loci haec est summa. — Quia divinum Numen utrumque sexum ordinavit ad mutuam communionem vitae, idcirco ita distinxit marem et feminam, ut diversa et etiam contraria sit virtus illorum, adeoque mas ha-

---

(1) » In tribus, inquit divina Sapientia, Eccles. XXVI., placitum est spiritui meo, quae sunt probata coram Deo et hominibus: concordia fratrum, et amor proximorum, et *vir et mulier bene sibi consentientes.* »

(2) Cf. Zallinger, Institut. Iuris nat. §. 180.

(3) Vide paulo super. pag. 72. adnot. 1.

(4) Oeconom. l. 1. c. 3. — Ex his intelligetur magis altera ratio, quam super. in thesi XLIV. adduximus, ad probandum matrimonium esse naturale. Cf. Silv. Mauri comm. in praed. loc.

beat naturalem aptitudinem ad aliqua ad quae femina est inepta, femina e converso sit apta ad quaedam munera ad quae est ineptus vir. Ex quo sequitur, ut uterque indigeat opera alterius. Explicatur. — Vir est naturaliter fortior, mulier est naturaliter infirmior et imbecillior: quia vir est fortior, est pugnacior et aptior ad acquirendum, sed simul minus aptus ad conservandum iam acquisita: quia mulier est imbecillior et timidior, est aptior ad custodiendum, sed simul minus apta ad acquirendum. Indigent igitur mutua societate, ut mulier domi custodiat , quae vir foris acquisiverit. Rursus mulier est assidua in oneribus domesticis, at ad vagandum foris est imbecilla: vir e converso est naturaliter inquietus, ita ut non possit domi consistere, at robustus est ad huc illucque eundum, prout res postulaverit. Demum, prolis generatio est opus commune, educatio est propria feminae, institutio est propria viri. — Ergo patet naturam utrumque sexum distinxisse, prout expediebat ad mutuam societatem.

134. Scholion. Antequam a quaestione de societate coniugali gradum faciamus ad quaestionem de societate parentali, iuverit breviter agere de impedimentis matrimonium dirimentibus.

I. Matrimonium est, speciali quamvis modo, contractus. Sed in quovis contractu, ut sit validus, debent personae contrahentes esse capaces ad contrahendum (1). Ergo etiam matrimonium ut sit validum, debent personae contrahentes esse habiles ad illud contrahendum.

II. Quandonam personae contrahentes sint habiles necne, id generali aliqua ratione indicat lex naturalis. —

---

(1) Cf. super. vol. II. thes. XXVII. pag. 307.

Exempli gratia, « relatio aequalitatis, quae inter coniuges viget, et potestas, quam alter in alterum habet, repugnant relationibus dependentiae, quam habent nati a parentibus, officiisque subiectionis et reverentiae, quibus erga hos illi adstringuntur. Proinde nuptiae inter patrem et filiam, itemque inter matrem et filium legi naturali aperte adversantur. Hoc idem proportione dicendum de consanguineis, qui *in recta*, ut aiunt, *successionis linea* continentur (1). E converso amicitia naturalis et intima consuetudo, quae inter fratres et sorores esse debet, coniugia inter eos esse prohibet. Haec enim coniugia nimis propere ac temere inirentur, et non modo perpetuis suspicionibus et contentionibus, sed etiam polygamiae saepe locum darent, ac matrimonii sanctitatem everterent. Eadem proportione dicenda de propinquioribus consanguineis et affinibus, inter quos quam abhorreat natura iniri connubia funestissimi quoque effectus, qui ex eis in sobolem dimanant, apertissime ostendunt (2).» Ita Tongiorgi (3).

III. Pertinet autem ad legem positivam tum declarare et urgere legis naturalis hac de re praescriptiones,

---

(1) Consanguinitas dirimit matrimonium in linea recta indefinite et quidem *iure naturae*, certo quoad primum gradum, probabilius etiam quoad ceteros.

(2) Consanguinitas in linea collaterali dirimit matrimonium *iure ecclesiastico* usque ad quartum gradum (vide super. pag. 68.): et probabiliter quoad primum gradum *de iure etiam naturae*.

(3) Eth. num. 387. — Haec porro animadvertit: « Lex qua consanguineorum connubia interdicuntur, si in collisionem veniat cum superiori illa lege, qua generis humani propagatio praecipitur, huic cedat oportet. Atque hinc factum est, ut quum humanum genus unica continebatur familia, connubia inter fratres et sorores non modo non essent illicita, sed immo essent praecepta. » Cf. Bellarminum, controv. de sacr. matr. l. 1. c. 27.

tum easdem magis in individuo determinare, quando id opus sit ad convenientem humani generis propagationem, et generalem coniugiorum felicitatem et honestatem. Lex autem positiva (de *humana* loquimur) est duplex, *ecclesiastica* et *civilis*. Quod utraque lex possit declarare magis et urgere naturales hac de re praescriptiones, patet. Sed eas magis in individuo determinare, hoc estne munus legis ecclesiasticae, an vero civilis?

IV. Quaeritur scilicet, utrum potestas constituendi impedimenta matrimonium *dirimentia*(1), spectet ad *ecclesiasticam* auctoritatem, an vero spectet ad auctoritatem *civilem*. — In praesenti providentiali ordine matrimonium inter Christianos est sacramentum: matrimonii autem sacramentum non iam est aliqua res seu ritus contractui superadditus, sed Christus ita evexit matrimonium ad dignitatem sacramenti, ut nequeat inter baptizatos vigere in ratione eontractus, quin simul sit sacramentum (2). Iamvero sacramentorum regimen e

---

(1) Distinguantur impedimenta *dirimentia*, et impedimenta *impedientia*. Haec altera reddunt matrimonium solummodo *illicitum*: at priora illa matrimonium efficiunt etiam *invalidum*, si fuerit attentatum. Sic, matrimonium cum *Ecclesiae vetito* susceptum, est, si nil aliud obstet, validum, sed illicitum: at consanguinitas in linea recta est impedimentum dirimens matrimonium. Quae de impedimentis dirimentibus dicimus, aptentur impedimentis mere impedientibus.

(2) In *Syllabo* sequentes de Matrimonio christiano propositiones condemnantur. Sub. num LXV.: « Nulla ratione ferri potest Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti. » Sub num. LXVI.: « Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est. » Et in epist. Pii IX. ad regem Sardiniae, die 9 Sept. 1852, haec leguntur: « È domma di fede essere stato elevato il matrimonio da N. S. G. C. alla dignità di sacramento, ed è dottrina della Chiesa Cattolica che il sacramento non è una qualità

administratio ad solam pertinet Ecclesiam, quae optimo iure sibi illam reservat. Ergo determinare, quandonam personae contrahentes sint habiles, quando vero sint inhabiles ad contrahendum, et generatim constituere impedimenta matrimonium dirimentia, in praesenti supernaturali ordine ad solam pertinet Ecclesiasticam potestatem, eique est reservatum. »

V. Itaque Princeps civilis *relate ad subditos Christianos* poterit statuere leges irritantes matrimonia *quoad certos effectus mere civiles* (1): poterit observationem praescriptionum iuris naturalis et ecclesiastici, poenis etiam additis, urgere: sed si qua impedimenta statuat irritan-

---

accidentale aggiunta al contratto, ma è di essenza al matrimonio stesso, cosicchè l'unione coniugale tra i cristiani non è legittima, se non nel matrimonio sacramento, fuori del quale non vi è che un pretto concubinato. Una legge civile che, supponendo divisibile pei cattolici il sacramento dal contratto di matrimonio, pretenda di regolarne la validità, contraddice alla dottrina della Chiesa, invade i diritti inalienabili della medesima, e praticamente parifica il concubinato al sacramento del matrimonio, sanzionando legittimo l'uno come l'altro. » Cf. etiam Pii IX. allocut. *Acerbissimum*, die 27 Sept. 1852.: Leonis XIII. ep. enc. *Arcanam divinae sapientiae*.

(1) « In matrimonio distinguenda sunt *essentialia* ab *accessoriis*. Essentialia sunt consensus, vinculum indissolubile, ius et officium simul habitandi, prolem esse legitimam h. e. ex iusto matrimonio natam, ius parentum in filios secundum ipsas naturae leges. Accessoria sunt quae matrimonio accedunt, sine quibus ipsum esse potest, ut dos et quae dicuntur iura seu *effectus* tum *civiles* tum *ecclesiastici*, prout in alterutra societate vim habent (nam et in Ecclesia ii locum habent, cuiusmodi est e. g. quod bigami nequeant ordinari): huiusmodi sunt capacitas consequendi munia aut officia publica, ius quoddam determinatum patriae potestatis, ius prolis ad haereditatem, participatio status et honoris parentum, facultas testandi etc. » Ita Palmieri, de matrim. th. XXXI.

tia matrimonium *quoad ipsam substantiam contractus et valorem vinculi*, ea sane robur non habent, quantum ad nullitatem matrimonii, *nisi Ecclesiae accesserit approbatio* (1).

---

(1) Huc faciunt, quae in epist. cit. ad regem Sardiniae leguntur: « Non vi è pertanto altro mezzo di conciliazione, che, ritenendo Cesare quello ch'é suo, lasci alla Chiesa ciò che ad essa appartiene. Il potere civile disponga pure degli effetti civili, che derivano dalle nozze, ma lasci alla Chiesa il regolarne la validità. La legge civile prenda le mosse dalla validità od invalidità del matrimonio, come sarà dalla Chiesa determinata, e partendo da questo fatto, che è fuori della sua sfera il costituirlo, disponga allora degli effetti civili. » Ad rem Perrone, de Matrim. l. II. sect. II. c. 1.: « Dari enimvero possunt legitimae causae, ob quas in peculiaribus societatis adiunctis debeant a regimine politico ac humano legislatore improbari suorum subditorum nuptiae, quae alioquin per se licitae ac legitimae sunt. Cum vero Ecclesia rationem habere debeat universitatis filiorum suorum, atque abstrahere a malis seu incommodis accidentalibus, ut dici solet, huius vel illius regionis, huius alteriusve gentis, quas omnes pariter suo in gremio complectitur; cum praeterea Ecclesia abstrahere debeat a temporum varietate, ad quae omnia etiam se se extendit; necesse est ut legibus generalibus prospiciat omnium filiorum suorum bono, quidquid sit de speciali aut peculiari aliquo incommodo, quod ex personarum, locorum ac temporum peculiaribus adiunctis emergere possit. Suis nimirum legibus Ecclesia communi ac universali totius christianae societatis commodo ac utilitati se se accommodare debet. Est enim communis mater ac nutrix. Attamen fieri utique potest, ut nonnullae nuptiales coniunctiones in quibusdam regionibus in detrimentum cedant societatis, mala pariant, gravissimisque interdum incommodis obnoxiae sint. Hinc coguntur legislatores nonnulla connubialia foedera, quoad eius fieri potest, impedire, improbare, illegitima decernere et contra statuta contrahentes plectere ac coercere. Cum autem *nequeant in nexum ipsum vim exerere, ut irritum illum faciant, nulliusque roboris in conscientia,* poenis saltem civilibus animadvertunt in eos, qui ita contrahunt, atque ut illegitima habent connubia inita contra patrias leges. »

VI. Quaeres, utrum Princeps civilis *relate ad subditos non Christianos* possit iusta de causa constituere impedimenta matrimonium dirimentia? — Affirmant multi, ut videre est apud Schmalzgrueber (1), qui addit: « Ratio est expedita: quia matrimonia infidelium non sunt sacramentum, sed contractus mere civilis. Igitur sicut infideles potestati legislativae suorum Principum ac Magistratuum subiecti sunt quoad alios contractus, ita etiam quoad matrimonium. Poterunt proinde isti, si ita bonum Reipublicae commune videatur exigere, certam formam et solemnitates matrimoniis illorum praescribere, eosque ad ea contrahenda habilitare vel inhabilitare.» — Alii tamen, magni etiam nominis, doctores negant (2). Hi inter ceteras, quas afferunt, rationes urgent hanc: Matrimonium, etsi ratio sacramenti desit, est natura sua contractus sacer, res sacra. Hinc non dependet ab auctoritate civili, quae est ad finem temporalem procurandum instituta. Ergo matrimonium ei non subiacet quoad ipsum vinculum, sed solum quoad effectus civiles (3). — Est igitur hac de re inter probatos

(1) L. IV. Tit. 1. num. 367. Schmalzgrueber plures citat auctores, et primo loco s. Thomam, IV. sent. dist. 39. q. 1. a. 2. ad 3.: « Inter infideles est matrimonium, ut dictum est, prout matrimonium est in officium naturae. Ea autem, quae pertinent ad legem naturae sunt determinabilia per ius positivum; et ideo si prohibentur ab aliquo iure positivo apud eos infideles contrahere matrimonium cum infidelibus alterius ritus, disparitas cultus impedit matrimonium inter eos. Ex iure enim divino non prohibentur: quia apud Deum non differt qualitercunque aliquis a fide deviet quantum ad hoc quod est a gratia alienum esse. Similiter nec aliquo Ecclesiae statuto, quae non habet de his, quae foris sunt, iudicare. »

(2) Cf. Perrone, de matr. christ. l. II. sect. alt. cap. III.

(3) Hoc argumentum exponit Liberatore, ius nat. part. II. num. 17.

auctores controversia. Quae controversia haud existit, si sermo sit, non iam de conditionibus apponendis contractui coniugali ut sit validus, sed de contractu coniugali iam valide inito abrumpendo. Haec enim potestas solvendi vinculum coniugale, debet profecto principibus civilibus denegari: divortium proprie dictum nequit auctoritate civili sanciri.

Quae de impedimentis diximus, generalius valent *de causis matrimonialibus*. Scilicet, quaestiones exoriri possunt: utrum necne tali in casu vere adsit impedimentum dirimens contractum matrimonialem: utrum contractus aliquis coniugalis, metu e. g. initus, fuerit validus necne. Hae causae seu quaestiones matrimoniales, quae inter Christianos exoriantur, pertinent ad forum Ecclesiae, cui scilicet sacramentorum cura est concredita. Ad ipsam pertinet Ecclesiam, iudicare an tali in casu matrimonium contrahi possit necne, an contractus maritalis, a quo non separatur ratio sacramenti, fuerit validus necne (1). Completam tamen huius quaestionis pertractationem relinquimus sacrae Theologiae, cui auditores nostri operam daturi sunt.

— De hac quaestione cf. Resemans, de competentia civili in vinculum coniugale infidelium.

(1) Ad rem Bellarminus, controv. de sacram. matrim. l. 1. c. 32.: « Matrimonium est Ecclesiae sacramentum, neque apud Christianos separatur contractus legitimus matrimonii a sacramento matrimonii, cum omnis legitimus contractus matrimonii hoc ipso sit sacramentum matrimonii. Ergo iudicare an aliquis contractus matrimonii sit legitimus, est iudicare, an ille contractus sit sacramentum: sed de sacramentis iudicare ad Ecclesiam spectat: igitur et de tali contractu iudicare, ad Ecclesiam spectat. »

§. II. *De unione parentali seu paterna.*

THESIS XLVIII.

I. *Ex naturae ipsius lege, proprium ac gravissimum parentum officium est, congruam susceptae ex coniugio proli educationem praebere.* II. *Quae educatio non modo physica debet esse, sed praecipue intellectualis et moralis: eademque* III. *a naturali lege commissa est in solidum parentibus, qui simul coniunctis curis eam procurare tenentur.*

135. PRAENOTIONES. Statim ac coniuges ex normali naturae ipsius cursu prolem obtinent, nova exsurgit societas, quae *parentalis* seu *paterna* dicitur, et coniugalis societatis est naturalis extensio seu complementum. — Definitur autem: *coniunctio plurium personarum, quae ab ipsa natura sociatae sunt educationis gratia.*

Dicitur, *ab ipsa natura*: neque enim ex contractu, sed vi ipsius nativitatis filii cum parentibus hac societate ligantur, quae proinde societas est *stricte naturalis.*

Dicitur, *educationis gratia*: hic enim est finis huius societatis proprius. Hoc autem educationis bonum ita est bonum filiorum, ut simul sit bonum *commune* parentum cum filiis: siquidem in vita prolis vita parentum quodammodo prorogata subsistit (1).

---

(1) Eccl.: XXX. 4.: « Mortuus est pater eius et quasi non est mortuus: similem enim reliquit post se. In vita sua vidit et laetatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: reliquit enim defensorem domus contra inimicos. »

Hac in paragrapho, pluribus distinctis thesibus agemus — de naturalibus officiis iuribusque parentum — de naturalibus officiis iuribusque filiorum.

136. Demonstratio. Cum thesis haec pluribus constet partibus, unamquamque ex iis seorsim demonstrabimus.

I. *Ex naturae lege proprium ac gravissimum parentum officium est, congruam susceptae ex coniugio proli educationem praebendi.* — Et sane, quando societas aliqua est *naturalis*, illorum, qui eam ineunt, proprium officium est, conspirare coniunctis una viribus in assecutionem finis, quem natura ex societate illa intendit. Atqui societas coniugalis est naturalis, immo est maxime naturalis (1): finis autem, quem natura principaliter in coniugio intendit, est susceptae prolis educatio. Etenim, ut iam ex s. Thoma diximus (2), « in bono prolis, quod est principalis matrimonii finis, intelligitur non solum procreatio sed etiam educatio . . . . : non intendit natura solum generationem, sed traductionem et promotionem usque ad perfectum statum hominis inquantum homo est, qui est virtutis status. » Ergo officium proprium, idemque gravissimum, parentum est, contendere coniunctis in unum viribus in congruam susceptae ex coniugio proli educationem praebendam. — Integrum quidem est singulis hominibus inire vel non inire coniugium. At qui ineunt et prolem ex inito matrimonio suscipiunt, debent eam traducere et promovere usque ad perfectum statum

---

(1) Cf. super. pag. 72. locum Aristotelis, allatum in adnot. 1. — Ipse Rousseau, qui negat societatem civilem esse naturalem, concedit, ut vidimus in thesi XLII. pag. 49., familiam esse naturalem, *la seule naturelle.*

(2) Vide super. pag. 71. et 82.

hominis, inquantum homo est. Hoc debitum lex naturalis *proprie* et *immediate* parentibus ipsis imponit. Ipsi enim dederunt esse filiis, et ii qui dederunt esse, oportet, ut esse datum perficiant, quod fit educando. Haec est ratio, cur ipsis *proprie* et *directe* praedictum officium a naturali lege imponatur: ratio est, *factum generationis.*

Ceterum hanc veritatem multo evidentius, quam possit ullo ratiocinio fieri, demonstrant tum communis animalium analogia (1), tum naturalis instinctus, quo infantes ad requirendam parentum curam feruntur, tum naturalis commiseratio et amor, quo parentes filios prosequuntur, quique a natura in hunc scopum inditus est, ut grave educationis onus evadat suavius, neque ab hominibus negligatur.

II. *Huiusmodi educatio non modo physica debet esse, sed praecipue intellectualis ac moralis.* — Ille enim, qui educari debet, est *homo*, ens nimirum ratione et libero arbitrio praeditum. « In specie humana, inquit s. Thomas (2), proles non indiget solum *nutritione*, quantum ad corpus, sed etiam *instructione*, quantum ad animam. Nam alia animalia habent naturaliter suas prudentias, quibus sibi providere possunt, homo autem ratione vivit, quam per longi temporis experimentum ad rationem pervenire oportet. Unde necesse est ut filii a patentibus quasi iam expertis instruantur.»

Itaque « 1.°) parentes tenentur filios alere, eorum-

---

(1) « Neque vero, inquit Tullius, l. III. de fin. bon. et mal. c. 19, haec inter se congruere possent, ut natura et procreari vellet, et diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturae perspici potest, quarum in foetu et in educatione laborem quum cernamus, *naturae ipsius vocem videmur audire.* »

(2) Contr. Gent. l. III. c. 22.

que incolumitati ac valetudini sollicite prospicere, donec ii sibi consulere possint (1). — Iidem 2.°) tenentur quoque eorum mentes informare iis omnibus cognitionibus, quae ad vitae conservationem et usus necessariae sunt. — Est etiam 3.°) munus parentum, filiorum conservationi et commodis in posterum providere, tum bonis suis, si quae possident, tum efficiendo ut labori assuescant, iisque artibus vel facultatibus, pro cuiusque ingenio, dent operam, quorum subsidiis vitam tolerare queant. — Parentes 4.°) maxima sedulitate curare debent, ut pueri moralia officia, quibus devinciuntur, et honeste vivendi normas sensim addiscant, et in bonis operibus, atque in omni virtutum genere exerceantur (2). Neque hoc praeceptis solum ac monitis, sed etiam exemplis curare debent, neque hortando solum aut docendo, sed etiam corrigendo ac castigando (3). — At 5.°) supremum parentum officium est, ut teneras infantium

---

(1) Perperam omnino sensit Aristoteles, Politic. l. VII. cap. XIV. edit. Didot., posse parentes exponere ac proiicere filios ad minuendam eorum multitudinem, vel quando aliquo corporis defectu laborent (ἔστω νόμος μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν). Ibidem tamen alia habet pulchra et utilia de educatione filiorum.

(2) « Orrendo, ait Taparelli, *Saggio* ecc. dissertat. VII. cap. III. n. 1563., è l'abuso che fanno di loro autorità quei parenti, che alla ragionevolezza nascente dei figli spirano l'anelito appestato della menzogna e della malvagità, e si fanno omicidi moralmente di quella ragione, che dee svolgersi, secondo natura, pei influsso principalmente dei genitori, in cui sta tutto l'essere morale dei figli loro. E pure questo infanticidio spirituale è commesso talora a sangue freddo da genitori, che diconsi cattolici, nei matrimonii *misti*, allorchè nell'atto del contratto inseriscono la clausola, che i maschi verranno educati alla religione paterna, le femmine alla materna ecc. »

(3) Rursus Taparelli, ibid.: « Benchè sia da bramarsi, che i giovanetti camminino a maturità per via di *ragione* anzi che di *puro*

mentes ad Deum mature convertant (1), deque iis, quae ad religionem pertinent, instruant, et ad Deum, ut par est, colendum omnibus modis alliciant (2).»

III. *Haec filiorum educatio commissa est in solidum parentibus, qui simul coniunctis curis eam procurare debent.* — « In specie humana, inquit s. Thomas (3), femina minime sufficeret *sola* ad prolis educationem, cum necessitas humanae vitae multa requirat, quae per unum solum parari non possunt . . . Non autem huic rationi obstat, quod aliqua mulier suis divitiis potens

---

senso; pure mal accorto educatore è colui, che a chi non sente ragione, ricusa gli stimoli di onore e vitupero, a chi non sente onore risparmia i digiuni e la sferza. Senza fallo sono questi ultimi mezzi, nè denno usarsi finchè altri possono: ma son mezzi anche questi, nè debbono escludersi quando sono *necessarii,* nè vengono esclusi da certuni se non o per mal intesa tenerezza o per errore che inverte l'ordine di causa ed effetto ecc. » Hac de re insignia exstant in sacris litteris documenta, Eccli. XXXI. 1., Prov. XIII. 24., XXII. 15., XXIII. 13. 14. : « Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga, non morietur. In virga percuties eum, et animam eius de inferno liberabis. » Debent tamen parentes meminisse monitum Apostoli, Ephes. V. 4.: « Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina et correptione Domini. »

(1) « Il Ginevrino, inquit Taparelli, ibid. n. 1564., che al suo Emilio vorrebbe ricusato da genitori snaturati il latte delle prime religiose istruzioni, pretende un *assurdo* insieme ed un' *empietà :* una empietà, perchè vuole che i parenti non pieghino al sommo Vero quegli animi teneri, dei quali hanno balìa: un assurdo perchè pretende che la ragione umana aspetti il giorno assegnatole dal sofista, per produrre di repente, qual Minerva nata dal cervel di Giove, la scienza dell'essere e della causa infinita. »

(2) Haec ex Tongiorgi; Eth. n. 401. — Cf. Taparelli, *Saggio* l. c., a quo plures alii auctores afferuntur.

(3) Loc. nuper cit.

est ut sola nutriat foetum, quia rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea, quae per accidens contingunt in uno individuo, sed secundum ea, quae totam speciem consequuntur (2). » Quod clarius apparet, si educatio moralis consideretur. « Ad hanc instructionem, pergit idem s. Doctor, longum tempus requiritur: et tunc etiam propter impetus passionum, quibus corrumpitur aestimatio prudentiae, indigent non solum instructione sed etiam repressione. Ad hoc autem mulier sola non sufficit, sed magis in hoc requiritur opus maris, in quo est et ratio perfectior ad instruendum et virtus potentior ad castigandum.»

Quum parentes ipsi nunc celeri morte abripiantur, nunc duro labore et egestate detineantur, nunc peritia quoque et facultate, aut etiam voluntate ac probitate destituantur ad filios rite educandos; hinc possunt parentes ad hoc educationis munus alios sibi tanquam adiutores adsciscere, de quorum fide ac probitate sint securi.

Diximus de officio educandi prolem. — Huius officii origo seu *principium* est ipsa lex naturalis. *Ratio*, ob quam lex tale parentibus officium imponit, est factum generationis. Huius officii *terminus* sunt filii. Id autem, quod circa filios praestari debet, seu *materia* officii est promotio ad perfectum statum hominis inquantum homo est. Ii vero, quibus officium imponitur, seu officii *subiectum* sunt parentes. Nec poterat tam grave officium ulli alii personae melius committi quam parentibus, qui tanto filios amore prosequuntur, quibusque simul ex debito cohabitantibus facile est filios apte educare recteque instruere.

---

(1) Notentur accurate haec verba, quibus similes multis aliis in quaestionibus obiectiones solvuntur.

THESIS XLIX.

Ex naturae lege parentibus verum inest in filios ius, directivum, obligatorium, iudiciale, coactivum: huius autem patriae potestatis mensura, ad extensionem eius seu amplitudinem quod attinet, est ex naturali educationis officio desumenda.

137. Demonstratio. Parentum ius in filios non unicum est sed multiplex. Consequenter enim ad factum vel solum generationis, lex naturalis confert parentibus ius ad habendum a filiis debitam reverentiam, amorem, subsidium: de hoc iure, utpote manifesto, nil addemus. Porro imponendo officium educationis, eadem lex naturalis, eoipso confert parentibus ius ad filios dirigendos, obligandos, cogendos, donec filii adducantur ad perfectum statum hominis, in quantum homo est, qui est virtutis status: de hoc iure sermo nobis est in hac thesi. Quod tale ius vere insit parentibus, sic breviter potest demonstrari:

Lex naturalis, ut in superiore thesi satis clare demonstravimus, imponit proprie ac directe parentibus officium educandi suos filios. Ergo eadem lex parentibus tribuit potestatem seu *ius* dirigendi et obligandi filios, de eorum actionibus iudicandi, eosque etiam ad submissionem cogendi proportionatis poenis. — Patet *consequentia*. Lex naturalis, quae est apprime rationabilis, eoipso quod officium quoddam imponit alicui, ei confert omnem potestatem moralem, seu ius omne, quod ad officium illud implendum sit necessarium. Atqui parentibus imponit officium educandi filios: ad hoc

autem officium convenienter implendum est prorsus necessarium illud, de quo diximus, ius. Ergo proculdubio ius hoc eisdem confert.

Oportet, ut praedicti iuris seu *patriae potestatis*, completam nobis notionem comparemus. Quem in scopum illa percurremus, quae iuris *elementa* dici solent (1).

I. Huius, de quo agimus, iuris *principium* seu *origo* est lex: lex autem *naturalis*. Haec enim est, quae proprie ac directe parentibus ius hoc confert. — Quare patria in filios potestas est ius vere ac proprie *naturale* (2).

II. *Titulus* vero seu *ratio*, propter quam naturae lex parentibus tale ius confert, est *factum generationis* una cum naturali exinde dependente *officio educationis impertiendae*. — Haec scilicet est iuris huius radix seu basis. Qui dedit esse alicui, is debet esse ipsi datum perficere. Sed parentes dederunt esse filiis. Ergo debent (en naturale debitum seu officium) esse ipsis datum perficere, quod fit educando. Atqui ad perficiendum seu educandum indigent praedicto in filios iure. Ergo reapse ius illud in filios habent.

Hinc autem solvitur quaestio: in quo fundetur, seu ex quo sit repetendum hoc ius quod parentes habent in filios. — Errant ii, qui patriam potestatem in filios repetunt *ex iure victoriae et prima occupatione* (3). Homines

---

(1) Cf. super. vol. II. pag. 31.

(2) Vide l. nunc cit. pag. 32.

(3) Ita Hobbes, de Cive c. 9.: « Iure naturae victor victi dominus est. Iure igitur naturae dominium infantis ad eum primum pertinet, qui primus in potestate sua ipsum habet. Manifestum autem est, eum, qui modo nascitur, prius esse in potestate matris, quam cuiusquam alterius ita ut illum vel educare vel exponere suo arbitrio et iure possit. » — In alio opere, *Leviathan* cap. 20., disserit etiam, falsa proferens et absurda, de dominio paterno.

enim non occupantur, perinde ac bestiae, uti res nullius. — Nec minus errant ii, qui patriam potestatem repetunt *ex pacto*, *expresso* ex parte parentum, *tacito ac praesumpto* ex parte liberorum (1). At liberi sive velint sive nolint naturali subsunt officio obediendi parentibus, et hi vicissim naturali tenentur obligatione filios educandi. — Neque *ex educationis officio* potestas paterna repeti *primitus* potest. Manifeste enim illud educandi officium dependet ex antecedenti facto generationis. — Patria igitur potestas *primitus* repetenda est ex generatione ac nativitate, *secundario* autem et *consequenter* ex educationis officio, quod ex generatione dependet (2). Hic est duplex titulus, in quo fundatur: haec est duplex ratio, ob quam talis potestas a naturae lege parentibus confertur.

Quare potestas haec seu hoc ius est ius naturale *necessarii* seu *obligatorii exercitii,* ac proinde *inalienabile* (3). Est enim medium seu instrumentum necessarium ad implendum naturale gravissimumque officium educandi prolem.

III. Quaeres de *extensione* seu *amplitudine* patriae potestatis. — Est inspectoria, directiva, iudicialis, exse-

(1) Pufendorf, de off. hom. et civis l. 2. c. 3., ac si officium naturale praebendae educationis esset basis ac fundamentum insufficiens, ait: « Deinde imperium parentum in liberos *tacito quoque consensu prolis* innititur. Nam recte praesumitur, si infans eo, quo sublatus est, tempore usum rationis habuisset, ac perspexisset, vitam se citra parentum curam ac iunctum ipsi imperium servare non posse, lubenter illam in id consensuram, commodamque sibi educationem ac iisdem vicissim fuisse stipulaturam. »

(2) Cf. Iouin, Elem. phil. mor.: Liberatore, Ius soc. n. 20.

(3) Cf. super. vol. II. pag. 36.

cutiva (1). Est autem in his omnibus restricta et limitata: mensura vero et limitatio est potissimum desumenda ex educationis officio, cuius ratione seu intuitu lex naturalis talem parentibus potestatem confert.

Hinc *a*) ad ea quae praeter finem educationis, multoque magis quae contra eum finem sunt, parentes potestatem non habent (2). — Hinc etiam *b*) quo minor evadit in filiis educationis necessitas, eo minor est in parentibus potestas illa in filios: educationis autem necessitas eo minor est in filiis, quo magis, crescente aetate, vires augentur et ratio adolescit: ergo patria potestas, crescente filiorum aetate, decrescit, eoque magis, quo magis vires et ratio filiorum explicantur. Idcirco recte tria in aetate filiorum spatia temporum distinguuntur. Primum tempus est, quum filii sunt *impuberes*, quum

(1) Cf. ea, quae paulo ante diximus in hoc. vol. III. pag. 21,, de iuribus quae auctoritas socialis habet in suos.

(2) Hinc, ut iam dictum est, non licet parentibus, filios graviter vulnerare aut mutilare aut interficere, ne delicti quidem causa. Perperam omnino auctores quidam ius vitae et necis pro ratione delicti parentibus in filios tribuerunt. Poenae tam atroces adversantur naturali parentes inter et filios amori. Insuper ad finem educationis utiles non sunt: neque eae poenae ad domesticum regimen sunt necessariae, cum filius contumax et protervus possit e domo eiici et publicae potestati tradi. « Neque tamen nos, inquiunt Impp. Valentinianus et Valens, l. un. c. de emendat. propinquor., in puniendis minorum vitiis potestatem in immensum extendi volumus, sed iure patrio auctoritas corrigat propinqui iuvenis erratum et privata animadversione compescat. Quod si atrocitas facti ius domesticae emendationis excedat, placet enormis delicti reos dedi iudicum notioni. » Vide Deutoron. c. XXI. v. 18. — Est nimirum societas minus perfecta, cumque sibi non sit ad universa sufficiens subordinatur societati et potestati civili, quae publica est, perfecta atque ad obtinendum finem civitatis et familiarum sufficiens.

nempe incapaces sunt sibi prospiciendi de alimentis et bonum a malo sufficienter discernendi. Hoc primo tempore patria potestas maxima est, et ad externas non solum sed etiam ad internas filiorum actiones dirigendas se porrigit. Alterum tempus est, quum sunt *minores*, quo tempore etsi actiones suas regere valeant, non tamen possunt ea, quae ad vitam necessaria sunt, sibi comparare, nec res suas recte administrare. Hoc altero tempore minor est patria potestas, et ad externas potius filiorum actiones se se extendit. Tertium tempus est, quum sunt *maiores*, et apti ad se regendum tum quoad internas, tum etiam quoad externas actiones. Tunc autem educatio censetur completa: et ad eam quod spectat, filii a directiva patris potestate *emancipantur* (1).

Quousque tamen filii *separatum*, ut aiunt, a patre *focum* non habent, eidem tamquam familiae seu domus capiti subduntur in iis, quae ad ordinem domus pertinent (2).

IV. Quod attinet ad *subiectum* huius potestatis, ea sane in utroque residet parente: uterque enim parens concurrit ad procreationem, uterque debet simul concurrere ad educationem prolis. Verum primario residet in patre, utpote illo, cui mulier est naturaliter subiecta, qui familiae est caput, quique naturaliter et ditior est ad alendum, et sapientior ad instruendum, et validior ad reprimendum.

---

(1) Munus legum civilium est, ut horum temporum limites, ubi opus est, accuratius determinent. Leges Romanae definiebant filios non effici *maiores*, nisi quintum et vicesimun aetatis annum explevissent. At codices recentiores generatim statuunt vigesimum primum aut etiam vigesimum annum. — Simili pacto lex ecclesiastica aetatem statuit requisitam, ut matrimonium contrahatur valide: cf. super. pag. 68

(1) Cf. Tongiorgi, Eth. num. 105. seqq. quem sequuti sumus.

Apte Taparelli (1): « Il padre ha un dritto perpetuo a riverenza ed aiuto: ha diritto immutabile nell'ordine domestico ad obbedienza finchè il figlio coabita: ha diritto decrescente ad ottenere interna adesione a proporzione che va crescendo nel figlio l'uso di ragione. »

V. Agendum tandem est de *termino* huius patriae potestatis, de iis nempe, quos potestas illa respicit, quique tenentur potestatem in parentibus existentem revereri. Hic autem non agemus de officio, quo filii tenentur, parentibus obediendi: de hoc enim officio loquemur in thesi sequente. Illud potius inculcabimus, potestatem hanc a natura ipsa parentibus concessam, cum sit verum ius, exigere, ne quis in educationem filiorum invitis parentibus se se directe ingerat, ne quis eam vel ex toto vel ex parte sibi usurpet, ne quis libero potestatis praedictae exercitio directum impedimentum apponat.

Et sane, quando natura ipsa officium quoddam proprie ac directe alicui committit, eo ipso ceteris imponit obligationem, non se directe immiscendi in tali munere, quamvis de munere agatur prorsus necessario, cuius scilicet impletioni natura alio illo pacto providit. Atqui natura ipsa parentibus proprie ac directe committit educationem filiorum, ut probatum est. Ergo eo ipso prohibet, ne alii directe in illiusmodt munus se se ingerant.

Ad quae illustranda, operae pretium est, subiicere responsionem, quam s. Thomas (2) praebet quaestioni

---

(1) In loc. saep. cit.

(2) In 2. 2. q. 10. a. 12.

huic: « utrum pueri Iudaeorum et aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi. » Respondet: « hoc Ecclesiae usum numquam habuisse, quod Iudaeorum filii invitis parentibus baptizarentur. » Cuius rei duplicem affert rationem. Prior est, *propter periculum fidei.* « Altera vero ratio est, *quia repugnat iustitiae naturali.* Filius enim naturaliter est *aliquid patris.* Et primo quidem a parentibus non distinguitur secundum corpus, quamdiu in matris utero continetur. Postmodum vero, postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat, continetur sub parentum cura, sicut sub quodam spirituali utero. Quamdiu enim usum rationis non habet puer, non differt ab animali irrationali. Unde sicut bos vel equus est alicuius, ut utatur eo cum voluerit, secundum ius civile, sicut proprio instrumento; ita de iure naturali est, quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra iustitiam naturalem esset, si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus. Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, iam incipit esse suus, et potest quantum ad ea, quae sunt iuris divini vel naturalis, sibi ipsi providere. Et tunc est inducendus ad fidem non coactione sed persuasione: et potest etiam invitis parentibus consentire fidei et baptizari: non autem antequam habeat usum rationis.»

Res, inquies, est clara, si de privatis personis sit sermo. At *princeps politicus*, qui habet ius ad ea quae iuvant ad finem civilis consortii obtinendum, nonne potest de recta puerorum institutione, tantopere ad civitatis finem necessaria, curam sibi assumere? Hanc quaestionem expediemus in scholio sequenti.

138. SCHOLION. Plerique ex modernis politicis Sta-

tum civilem omnipotentia quadam donant, eumque affirmant esse fontem et originem omnium iurium (1). Hinc de familia agentes sequentem assertionem, tamquam totius disputationis fundamentum seu principium, statuunt: « Societas domestica seu familia totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuatur: proindeque ex lege dumtaxat civili dimanant ac pendent iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis educationisque curandae .» Hoc quidem principio admisso, concedendum sane foret, principem civilem posse se directe ingerere in educationem filiorum, imo posse eam sibi omnino assumere, quin falcem in alienam segetem iniiciat aut ullum parentum ius violet. Sed falsum est illinsmodi principium: ac iure prorsus meritoque propositionem illam Pius IX. in encyclica *Quanta cura* confixit condemnavitque. Contrarium enim principium est admittendum: nimirum

a) Non civitas est ratio cur existat familia, sed e contrario familia est ratio cur civitas existat. Hoc patet ex articulo II. huius tertii capitis, in quo de naturali hominis sociabilitate diximus, praecipue vero ex thesi XL., in qua de genesi seu ortu civitatis egimus. Civitas est evolutio seu explicatio familiae, in qua civitas tamquam in sua basi innititur, ex qua civitas tamquam ex radice pullulat. Πρότερον καὶ ἀναγκαιότερον οἰκία πόλεως· prior magisque necessaria est domus quam civitas (2).

---

(1) Hinc in Syllabo sub. num. XXXIX. haec condemnatur propositio: «Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus. » — Cf. super. vol. II. thes. IV. pag. 64. — Vide etiam Liberatore, ius nat. part. II. num. 16.; *la Chiesa e lo Stato* cap. 2. art. 5.

(2) Vide super. pag. 72. adnot. 1.

b) Praeter iura *socialia*, quae ex facto societatis publicae enascuntur, multa alia sunt iura, quae Status civilis praesupponit seu subaudit iam existentia: multa alia sunt iura, *mere individualia*, *domestica*, *religiosa*, quae non conceduntur nec dimanant a lege civili, sed habent altiorem originem et a societate civili prorsus independentem (1). Circa huiusmodi iura princeps civilis potest ac debet haec duo praestare: — ea debet legibus suis tueri atque adiuvare:— eademque debet legibus suis coordinare ad bonum eommune (2). Sed ea non potest directe impetere aut sibi usurpare.

c) Iamvero inter haec iura, quae altiorem habent originem et a lege civili independentem, recensenda est patria, de qua hac in thesi agimus, potestas. Eam enim, ut demonstravimus, lex ipsa naturalis directe parentibus largitur, consequenter ad factum generationis atque ad officium quod eadem lex ipsis directe imponit educandi filios. Quare princeps civilis non potest vel ex toto vel ex parte illiusmodi ius sibi directe usurpare. — Non potest, inquam, *sibi directe usurpare*. Nam publicas aperire scholas quae sint reapse puri fontes veri honestique, providere doctos probatosque magistros quorum institutioni parentes suos filios tuto committant, (nulla tamen in parentes violentia adhibita, qua cogantur ad eas recurrere scholas, iis uti magistris), determinare certum doctrinae gradum ad publica munera obtinenda, haec aliaque id genus bene multa, non sunt directa usurpatio aut laesio patriae illius potestatis, sed sunt adiumentum aut incitamentum ad illam

(1) Cf. super. thes. XLI. pag. 48.

(2) Cf. super. vol. II. thes. XXIX. pag. 321.

facilius ac melius exercendam (1). — Aliquot tamen solent obiici difficultates, quae sunt apte solvendae.

Obiectio 1.ª Princeps civilis habet ius ad ea, quae sunt necessaria ad finem civilis consortii obtinendum. Atqui ad finem civilis consortii obtinendum necessaria prorsus est recta institutio filiorum. Ergo princeps civilis habet ius ad institutionem seu educationem filiorum.

Responsio. Princeps civilis habet ius ad ea, quae sunt necessaria ad finem civilis consortii obtinendum, cum hac tamen restrictione, dummodo ea non pertineant ad ordinem altiorem, seu dummodo de iis iam non disponat lex altior, quae eorum curam alicui alteri potestati directe committat (2). Exempli gratia, matrimonium, cum a Christo Domino sit elevatum ad rationem et dignitatem sacramenti, pertinet ad ordinem superiorem, i. e. religiosum et sacrum: ac proinde statuere conditiones necessario implendas ut licite ac valide contrahatur, itemque iudicare, utrum valide contractum

---

(1) Ad rem Taparelli, *saggio* ecc. dissert. VII. c. 3. n. 1570. : « L'ordine vuole, che ai parenti sia salvo al par di ogni altro, anche codesto diritto, diritto inalienabile perchè congiunto col dovere, dritto il meglio assicurato nella esecuzione perchè affidato alla tenerezza paterna, e sanzionato nella coabitazione continua e nella total dipendenza spontanea del figlio. Dunque la società pubblica non ha dritto ad *arrogarsi*, nello stato regolare della società, la privata educazione. Arrogarsi, dico, perchè l'aprire alla gioventù fonti sicure di vero e di onesto, l'offrire a tal uopo ai parenti, assicurato da pubblica guarentigia, un aiutatore fedele, *senza violentarli* ad usarlo, questo non è arrogarsi l'educazione, ma offrire sussidio, ordinamento rettissimo di società, che ptogredisce. » Vide, quae addit de casu parentum, qui munus et obligationem educandi filios violant.

(1) Cf. Tarquini, iur. eccl. publ. instit. cap. 1. sect. 1, art. 1.

fuerit necne, pertinet ad potestatem illam, cui ordinis religiosi et sacri cura est commissa. Simili pacto institutio seu educatio filiorum a lege altiori, i. e. ab ipsa lege divina naturali, directe et proprie commissa est parentibus. Ergo poterit princeps civilis urgere parentes, eosdemque adiuvare ad munus sibi a natura commissum recte implendum: sed nequit munus illud sibi directe assumere, aut quominus ipsi, quibus commissum est, recte impleant impedire.

Obiectio 2.ª Princeps civilis habet ius in eos omnes, qui membra sunt civilis societatis. Sed filii sunt membra civilis societatis. Ergo in eos habet ius.

Responsio. Filii, quamdiu minores sunt et sub parentum cura constituti, sunt directe et immediate membra familiae, sunt directe et immediate parentum potestati subiecti: mediante vero familia sunt membra societatis civilis, mediante patre (qui proprie civis est et familiam cui praeest repraesentat iuridice coram civili societate) sunt subiecti potestati principis civilis. Hinc non sunt stricto ac perfecto sensu *cives*. Apte Aristoteles (1): « Pueri, qui nondum per aetatem in numerum civium adscripti sunt, et senes, qui vacationem consecuti sunt a muneribus civilibus, dicendi quidem sunt aliquo modo *cives*, non simpliciter tamen et absolute, sed cum adiectione, illi quidem *imperfecti*, hi autem *confecti.* » Hoc pacto ratio ac natura servatur societatis civilis, quae scilicet est societas *composita* (2). Civitas exsurgit immediate ex familiis, familia ex indi-

---

(1) Polit. III. 1.

(2) Cf. super. thes. XXXVII. in qua de divisionibus humanae societatis egimus.

viduis immediate coalescit. Utraque societas habet propriam auctoritatem propriamque actionem: familia tamen, utpote imperfecta, est subordinata civitati eiusque gubernatori, a quo debet in bonum commune dirigi.

Obiectio 3.[a] Si res ita se haberet, parentes forent exleges: id autem, praesertim in re tanti momenti, qualis est filiorum institutio, nequit admitti.

Responsio. Parentes nullo prorsus pacto sunt exleges: subiiciuntur enim legi divinae naturali, quae verissima est lex, et cuius custodiam princeps civilis urgere debet. Neque enim negamus, posse principem civilem animadvertere in parentes, qui aperte et graviter naturale quo tenentur officium violent: eumdemque posse filiorum institutioni consulere quando parentes aut nequeant aut nolint debitam de filiis curam habere. Hoc enim est, non quidem ius parentum directe et absolute usurpare, sed grave onus educandi filios in particulari aliquo casu indirecte et hypothetice assumere, parentum defectui supplendo.

THESIS L.

Iuribus, quae parentibus insunt, gravissima in filiis respondent officia, alia quidem temporaria, alia vero perpetua, hypothetica alia, alia absoluta: revocantur autem ad amorem, reverentiam, subsidium, obedientiam.

139. Demonstratio. I. Ut ab officiis *perpetuis* exordiamur, filii perpetuo tenentur ad amorem, reverentiam, gratumque animum parentibus exhibendum, et si quando hi in indigentia versentur, ad subsidium ac solamen iis afferendum.

« Homo, ut recte omnino disserit s. Thomas (1), efficitur diversimode aliis debitor, secundum eorum diversam excellentiam, et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus summum obtinet locum, qui et excellentissimus est et est nobis essendi et gubernationis primum principium. Secundario vero nostri esse et gubernationis principia sunt Parentes et Patria, a quibus et in qua nati et nutriti sumus. Et ideo *post Deum est maxime homo debitor parentibus et patriae.* Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae. »

De subsidio autem parentibus praestando haec habet idem s. Doctor (2): « Parentibus et concivibus aliquid debetur dupliciter. Uno modo *per se*: alio modo *per accidens*. *Per se* quidem debetur eis id, quod decet *patrem, inquantum pater est*: qui cum sit superior quasi principium filii existens, debetur ei a filio reverentia, et obsequium. *Per accidens* autem aliquid debetur patri, quod decet eum accipere *secundum aliquid, quod ei accidit*: puta si sit infirmus, quod visitetur, et eius curationi intendatur, si sit pauper, quod sustentetur et sic de aliis huiusmodi, quae omnia sub debito obsequii continentur. » Progrediente enim liberorum aetate, parentes aetate ingravescunt, morbis premuntur, et in senium atque etiam quandoque veluti in pueritiam recidunt. Tunc autem recta ratio hoc dictat, ut, mutatis vicibus,

(1) In 2. 2. q. 101. a. 1.
(2) Ibid. a. 2.

filii parentes suos solentur et sublevent. « *Retribue illis quomodo et illi tibi* (1). »

II. Pauca nunc dicemus de officiis filiorum *temporaneis*, quae reducuntur ad *obedientiam* in iis omnibus, quae ex educandi officio parentes ipsis praecipiunt (2). Hoc filiorum officium est correlativum iuri et officio, quo parentes adstringuntur, educandi prolem. Unde ex iis quae de amplitudine patriae potestatis diximus, facile etiam intelligitur, quousque hoc filiorum officium obediendi parentibus se extendat. Est officium *temporaneum*: finem nempe tunc habet, quando filii evadunt *maiores*, et educatio censetur completa. Verum tunc etiam, si filii paterna in domo maneant, debent, ut iam dictum est, capiti familiae, quod est pater, subesse in iis omnibus, quae ad domesticum ordinem spectant. Et pauca haec, quamvis in re gravissima, innuisse sufficiat.

---

(1) En aliquae hac de re s. Scripturae sententiae. Eccl. III. 14. 15. « Fili, suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius : et si defecerit sensu, veniam da. Ne spernas eum in virtute tua : eleemosyna enim patris non erit in oblivione. » Ibid. VII. 29. 30. : « In toto corde tuo honora patrem tuum et gemitus matris tuae ne obliviscaris ; memento quod nisi per illos natus non fuisses : et *retribue illis quomodo el itli tibi.* » Adde verba Tobiae: « Audi, fili mi, verba oris mei et ea in corde tuo, quasi fundamentum construe. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli : et honorem habebis matri tuae omnibus diebus vitae eius : memor enim esse debes quae et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Cum autem et ipsa compleverit tempus vitae suae, sepelias eam circa me. »

(2) Electio certi status, quae locum non habet, nisi quando ratio satis est evoluta, pendet a voluntate uniuscuiusque. Itaque eo in negotio parentes debent quidem sapienti consilio dirigere filios, nequeunt tamen eos invitos cogere ad certum statum vitae eligendum.

140. Scholion I. Quidnam igitur sentiendum est de illa Rousseavii (1) opinione, de qua iam mentionem fecimus paulo superius? — «Les enfants ne restent-ils liés au père qu'aussi long-temps qu'ils ont besoin de lui pour se conserver. Sitôt que ce besoin cesse, le lien naturel se dissout. Les enfants, exempts de l'obéissance qu'ils devaient au père, le père, exempt des soins qu'il devait aux enfants, rentrent tous également dans l'indépendance. S'ils continuent de rester unis, ce n'est plus naturellement, c'est volontairement; et la famille elle-même ne se maintient que par convention. » — Haec verba falsitates continent graves.

Inprimis *a*) est inter parentes et filios aliquod naturale vinculum *perpetuum*: scilicet ex parte parentum ius perpetuum ad reverentiam et amorem, ex parte filiorum officium perpetuum grati animi et obsequii, fundatum utrumque in eo, quod « secundario (i. e. secundum Deum) nostri esse et gubernationis principia sunt parentes. » Hoc officium, quamvis sit debitum maximum (*maximum*, inquam, post debitum reverendi et amandi Deum « qui est nobis essendi et gubernationis primum principium »), non tamen potest esse *aequale*, i. e. non potest ad aequalitatem persolvi. « Parentibus, inquit s. Thomas (2), non potest secundum aequalitatem recompensari quod eis debetur.» Et hac etiam de causa officium istud est perpetuum.

Quod si *b*) de officio obediendi loquamur (et de hoc officio videtur loqui Rousseau), hoc officium est quidem temporarium. Verum officium hoc cessat, non iam tunc

(1) *Du contrat social* l. 1 c. 2. — Vide super. pag. 49. adnot. 1.
(2) In 2. 2. q. 80. a. un. — Vide super. vol. II. pag. 49.

quando filius non amplius indiget patre ad se in vita conservandum, sed tunc tantummodo quando filius censetur promotus « ad perfectum statum hominis inquantum homo est, qui est virtutis status.» Aliis verbis, natura imponit parentibus officium praebendi filiis educationem non modo physicam sed etiam intellectualem et moralem: consequenter autem confert iisdem ius ad filios dirigendos obligandos cogendos usque ad completum educationis etiam moralis munus. Huic iuri respondet in filiis officium naturale parentibus usque ad praedictum tempus obediendi. Qui officium obtemperandi parentibus in iis, quae ad educationem intellectualem et moralem pertinent, repetit non ex ipsa natura, sed ex mutua conventione; is contra sensum communem loquitur, et arguit ex falso praestabilitis seu praeconceptis opinionibus circa *essentialem homini libertatem* atque *independentiam.*

In hisce duobus principiis de essentiali hominis libertate et de essentiali hominis independentia, fundatur theoria *du contrat social.* Sed haec animadverte. — Ipsa quidem facultas naturalis, quam nos dicimus liberum arbitrium vel libertatem, est homini essentialis. Verum quod attinet ad *usum* seu *exercitium* huius facultatis, non est essentiale homini, quod nulla sit auctoritas nullaque lex dirigens exercitium libertatis et etiam obligans moraliter ad eam exercendam tali modo et non alio. Potest esse, imo debet esse lex divina, et lex etiam humana, quae utrumque illud praestet, idque independenter a consensu vel pacto nostro. — Homo est independens *quoad suum esse,* i. e. ordinatus ad Bonum infinitum, tamquam ad finem suum ultimum et immediatum: secus ac bruta quae sunt *quoad ipsum suum esse* immediate propter hominem et proinde ab eo de-

pendentia eique in *totalem* servitutem subiecta. Verum *quoad suas operationes*, non est homini essentialis independentia ab omni auctoritate, quae ei praescribat modum tendendi in suis actionibus in finem ultimum: e contrario est ei necessaria et naturalis aliqua subiectio auctoritati legiferae, divinae et humanae, et quidem subiectio, in qua reperiatur homo independenter a suo pacto vel libero suae voluntatis consensu. Sed de his iam diximus alio loco (1).

141. Scholion II. De officiis inter consanguineos, hoc breviter cum s. Thoma (2) monemus: « In cultu parentum includitur cultus omnium consanguineorum, quia etiam consanguinei ex hoc dicuntur, quod ex eisdem parentibus processerunt. In cultu autem patriae intelligitur cultus omnium concivium et patriae amicorum. »

THESIS LI.

Si parentes intestati i. e. nullo confecto testamento moriantur, filii in dominium bonorum paternorum naturali iure succedunt.

142. Demonstratio. Diximus de *officiis*: agendum modo breviter est de *iuribus* filiorumfamilias. Atque haec in primis occurrit pertractanda quaestio: quonam iure, si parentes *ab intestato* obeant, in eorum bona filii succedant.

---

(3) Cf. super. pag. 56 et 60.

(2) In 2. 2. q. 101. a. 1.

— Cum clarus sit status quaestionis seu sensus theseos, ad hanc demonstrandam statim accedimus (1).

I. Naturalis lex confert parentibus ius, bona sua filiis testamento relinquendi. Ergo quotiescumque constat, parentes voluisse tale ius exercere seu de rebus suis voluisse disponere in bonum filiorum, hi naturali iure in dominium rerum paternarum succedunt. Atqui quamvis parentes intestati obierint, tamen satis constat de ipsorum voluntate relinquendi filiis bona sua in haereditatem. Etenim cum ius habeant id faciendi, simul vero ad id faciendum vehementer a natura impellantur, praesupponendum est, eos reapse voluisse tali pacto de rebus suis disponere. Habemus igitur voluntatem parentum *praesumptam*, et recte prorsus ac rationabiliter praesumptam, cui omnino standum est. Ergo quando parentes intestati moriuntur, filii in dominium bonorum paternorum naturali iure succedunt.

II. Et sane cur non haberent naturale hoc ius ad successionem? Respondebis: quia non constat de parentum voluntate transmittendi filiis propria bona, vel, quia in tali eventu bona illa sunt societatis civilis cuius pater erat membrum, vel, quia evadunt nullius. — Non *primum*. Etenim, ut dictum est, habemus voluntatem parentum rationabiliter praesumptam. Non *alterum*. Etenim si pater civili societati tamquam membrum uniebatur, prius tamen et multo arctius iungebatur societati domesticae, cuius non modo membrum sed fundator fuit et caput. Quare bona illa sunt familiae i. e. filiorumfamilias qui supersunt. Non *tertium*. Etenim filius est

---

(1) Vide quae de hac quaestione diximus super. vol. II. pag. 327. seqq.

effusio, propagatio, continuatio patris: est quodammodo pars eius, ut ait Aristoteles (1), ὥσπερ μέρος αὐτοῦ: pater vivit adhuc superstes in filiis, queis dedit esse, iuxta illud Ecclesiastici (2), « Mortuus est pater eius et quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.» Quare bona illa habent dominum in filiis qui supersunt: ergo eo quod pater ab intestato decedat, haudquaquam evadunt nullius (3).

Si filii desint, tunc naturaliter eorum loco succedunt gradatim ii, qui erant arctioribus sanguinis vinculis proprietario coniuncti, dummodo ille de suis bonis aliter non disposuerit. Neque enim ex naturae lege tenetur alicui providere, nisi illi vel illis, quibus existentiam dedit. Quod si consanguinei desint, tunc quidem succedit societas civilis, ad quam defunctus pertinebat, utpote illi propinquior. — Quae omnia legislatio positiva, in naturali tamen iure fundata, moderatur ac regit.

143. Scholion. Hoc in scholio duas solvemus quaestiones, de quibus non est omnino silendum.

I. In omni societate civili sunt leges positivae, quae parentibus praecipiunt, ut certam suarum divitiarum partem filiis in haereditatem relinquant. Parentes igitur

(1) Ethic. VIII. 12, et V. 6.

(2) Cap. XXX. v. 4.

(3) Ob naturalem arctissimam coniunctionem patrem inter et filium, fit, ut promissiones factae patri qua tali (nimirum, non qua individuum est, sed qua pater est), defuncto patre, sint implendae filio. — Quin imo etiam cum agitur de successione ad eas dignitates seu munera, quae pater gerebat ob personalem dexteritatem aut virtutem aut scientiam, solet ratio haberi naturalis illius coniunctionis: quamvis haec non tribuat, ut patet, filiis ius ad succedendum, tamen intuitu ipsius haudraro filii ad successionem in patris munera seu dignitates admittuntur.

tenentur officio positivo, bona sua filiis ex parte transmittendi. — At quaeri potest, utrum illiusmodi officium non modo sit *positivum*, sed etiam *naturale*, ortum scilicet ab ipsa naturali lege, quae id parentibus praescribat: et e converso, utrum ius filiorum ad paternam haereditatem non modo sit *positivum*, sed etiam *naturale*, i. e. ab ipsa naturali lege filiis concessum.

Respondeo cum Taparelli (1): Quamvis sint auctores, qui negent ius filiorum ad paternam haereditatem dimanare a lege naturali, fateor tamen, me nunquam potuisse animum inducere ad eam amplectendam sententiam, contra quam et universalis gentium vox et communis parentum affectus vehementer insurgunt. « Debent parentes filiis thesaurizare (2). » — Cum autem hoc parentum officium tuemur, non idcirco negamus parentibus ius ubique receptum, filios improbos et pervicaces, ut eiiciendi domo, sic etiam exhaeredandi.

Arguimus 1.°) ex eo quod ius filiorum ad paternam haereditatem recognoscatur seu vigeat non in hac tantum vel in illa, sed in quavis societate civili. Id autem indicium profecto est, ius hoc procedere a lege illa naturali, quae cum sit naturalis est communis omni civili societati, non vero a lege positiva, quae varia est

(1) *Saggio* ecc. dissert. VII. c. 3. n. 1524.

(2) II. Cor. XII. 14. — Cfr. s. Thomae comment. in h. l. Cum dixerit s. Paulus, « *non debent filii parentibus thesaurizare sed parentes filiis* », obiectio exsurgit: filii quoque debent thesaurizare parentibus quia debent iis subvenire. Hanc obiectionem ita solvit s. Thomas, comm. cit.: « Ex praecepto tenentur filii ministrare et subvenire parentibus in necessariis, non autem congregare et thesaurizare eis. Nam thesaurizatio et congregatio fit in posterum. » Pater *per se* tenetur providere filiis: hi patri succurrere tenentur *per accidens*. Cf. super. pag. 131.

in variis politicis consociationibus (1). Lex ergo positiva non creat vel efficit ius hoc, sed illud a naturali lege accipit, declarat, confirmat, determinat.

Arguimus 2.º) ex illa, de qua paulo ante diximus, naturali arctissimaque coniunctione, quae exstat parentes inter ac filios. Exinde argui diversimode potest, praecipue vero in hunc modum. Debemus sane diligere alios homines sicut nosmetipsos (2): eoque magis, quo arctiori vinculo ii sunt nobiscum coniuncti. Atqui coniunctio inter parentes ac filios est arctissima. Ergo parentes debent amore maximo filios prosequi: ita ut si quoad ceteros homines ad naturale mutuae dilectionis praeceptum implendum sit sufficiens *similitudo dilectionis*, haec non videatur sufficiens quoad filios: pater debet filios diligere, non iam prorsus eadem, sed paulo inferiori intensitate affectus, *fere quantum seipsum*. Sed amor importat communicationem bonorum, quae transmitti possunt, nominatim vero bonorum fortunae. Quare debet pater, dum vivit, filios admittere ad suarum divitiarum participationem, in morte autem debet suos haeredes constituere (3).

Haec omnia si non sunt argumentum efficax ad colligendam existentiam praescriptionis naturalis, imponentis parentibus officium transmittendi bona sua filiis, his au-

---

(1) Vide locum Aristotelis allatum super. vol. I. pag. 292.: quo in loco Philosophus distinguit ius civile in *naturale* et *legitimum*. Cf. ea quae diximus super. vol. II. pag. 22.

(2) Cf. super. vol. II. thes. XXXIV.

(3) Hinc autem assertionis, quam hac in thesi defendimus, veritas evidentius apparet. Filii, vivente patre, habent *ius ad rem*. Quare si pater *ab intestato* moriatur, filii in dominium paternorum bonorum succedendo non tam acquirunt novum ius, quam ius, quod habebant *ad rem*, complent: a iure *ad rem* fit ius *in re*.

tem concedentis ius ad paternam haereditatem; proculdubio praebent firmam validamque basim, in qua postea fundetur legislatio positiva ad rationabiles hac de re rectasque praescriptiones condendas (1).

II. Dicendum nunc est de quaestione alia: utrum magis sit iuri naturali congruum, quod primogenitus prae aliis filiis bona paterna maiori in copia seu mensura accipiat in haereditatem. Affirmant multi: en ea, quae hac de quaestione habet Jouin (2):

« Ius primogeniturae multiplici ratione fieri potest legitimum. Apud Hebraeos viguit, Deo sic disponente, quia necessarium erat ad tribus et familias conservandas. In aliquibus civitatibus forma civilisque constitutio a quibusdam familiis pendebat, penes quas originarie erat suprema auctoritas. Reipublicae intererat conservatio harum familiarum, quae propterea iure primogeniturae opus habebant. Idipsum habebatur in *feudis*, quae in origine erant dona a principe facta, cum onere feudum accipientibus imposito ei auxilium in bello praestandi. Hisce donis apposita erat conditio; ut ad primogenitos transirent cum iisdem obligationibus. Donis enim suis princeps has conditiones adiungere poterat.

« Nostris temporibus ius primogeniturae et maioratus multis invisum est, et variis in locis abolitum, eo quod, ut putant huius iuris osores, haec inaequalis bonorum distributio cedat in reipublicae perniciem, atque

(1) Sic enim saepe natura se gerit: potiusquam verum ac stabile praeceptum imponat, praebet basim, supra quam suas praescriptiones construat legislatio positiva. — Haec animadversio ob oculos debet esse in pluribus quaestionibus, eisque solvendis aptari.

(2) Philos. mor. part. III. l. IV. cap. 4. — Cfr. Taparelli, l. c. n. 1525.

offendat ius naturale et prolis aequalitatem. Aequum enim non videtur illis, ut ceteris filiis unus praeferatur, quia pater aequaliter omnium filiorum pater est, ac proinde aequalem erga omnes debet affectum ostendere, paresque eis haereditatis partes tribuere. Experientia tamen ostendit, aequalem divisionem bonorum potius in perniciem reipublicae converti. Quia fundis tam crebra divisione concisis, agricultura paulatim languescat necesse est. Plures quidem habentur, qui fundos possident, sed cum isti, saepe in partes divisi, de die in diem brevioribus limitibus definiantur, vix possessoribus utiles esse possunt, vixque potest societas civilis tributa talibus fundis imposita augere. Experientia teste, lex aequalis divisionis haereditatum populationis augmento officit, quia parentes haereditatem inter numerosam prolem dividere nolunt. Proles divitum, spe haereditatis paternae a qua excludi non possunt, otio facile indulgent et saepe haereditatem dissipant antequam eam adierint. Vincula etiam inter membra eiusdem familiae facilius solvuntur, cum maximo damno societatis civilis, quae ex hac familiarum unione maximam vim et stabilitatem haurit; quia coniunctio familiarum, quae proprietates stabiles possident, amorem patriae gignit et nutrit. Quod autem familiarum conservationem promovet, non potest dici iuribus familiae oppositum.»

Non desunt tamen graves auctores, qui in aliam abeunt sententiam. Hi urgent argumentum ex eo deductum, quod primogenitus aequali vinculo cum patre adstringitur, ac ceteri filii. Contendunt insuper, ex aequali bonorum inter filios partitione non oriri damna in rempublicam: oriri vero ex opposito agendi modo. Illa autem divina pro Iudaico populo dispositio non ideo fuit

statuta, quia a iure naturae requirebatur, sed aliis de causis, quae pro illo tantum populo valebant.

Sed iam de tertia coniunctione,per quam completur et perficitur familia, quaeque *unio herilis* dici solet, restat agendum. Sit igitur

§. III. *De unione herili.*

THESIS LII.

I. *Servitus non est illicita, si non descendat in totum hominem, sed in eo consistat, quod aliquis suarum virium usum seu aliqua opera sua ordinet in bonum alterius, a quo congruam sit retributionem accepturus.* II. *Multo vero minus est illicita unio seu vera societas herilis, in eo sita, quod quis primitivis alicuius familiae membris adnumeretur, ut una cum iis sub heri regimine conspiret in domus ordinem, splendorem ac prosperitatem, de qua postea et ipse una cum aliis in proportionato aliquo gradu participet: huiusmodi enim herilis societas est naturalis, est aptum familiae complementum seu perfectio, est dignitati naturae humanae satis consona.*

144. Demonstratio. Huius theseos duae sunt distinctae partes: utramque seorsim demonstrabimus.

I. Pars prior. Ut in hac satis implexa quaestione, *de servitute*, apte et ordinate procedamus, debemus inprimis inquirere in vim atque sensum harum vocum, *dominus* ac *servus*: i. e. debemus haec duo perpendere, quid significet *esse dominum*, quid *esse servum.*

Primum illud significat, *ordinare ad proprium bonum*:

hoc pacto dicimus, aliquem esse equi dominum, si potest de equo disponere in proprium commodum. Alterum vero significat, *ordinare seipsum ad bonum alterius* (1).

Iamvero, estne hoc iuri naturali oppositum seu repugnans, quod aliquis in proprium bonum ordinet alium hominem, qui e converso ordinet seipsum ad bonum illius? Huic quaestioni respondemus adhibendo distinctionem. — Quod aliquis ad se suumque bonum ordinet *totaliter* seu *quoad ipsum esse* alium hominem, qui e converso se *totum* seu *quoad ipsum esse* ordinet in bonum alterius, id proculdubio repugnat iuri naturali: hoc pacto belluas et res inanimatas ordinamus ad nos, disponendo de iis totaliter et pro libito in nostrum commodum. Sed, quod aliquis in suum bonum ordinet *secundum quid* seu *quantum ad aliquas operationes* alium hominem, qui e converso *quantum ad aliquid* seu *quoad aliqua opera* ordinet se in bonum alterius, id sane non adversatur iuri naturali. Et explico distinctionem.

a) Primum illud repugnat iuri naturali.— Nam homo *per essentiam* ordinatur immediate ad Bonum infinitum, in cuius consecutione debet quaerere suam felicitatem. Ergo nequit ordinari *quoad ipsum suum esse* ad bonum ullius hominis: ac proinde nequit esse *totaliter* servus alterius entis praeter Deum. Sub hoc respectu, i. e. *quoad ipsum esse* seu *quantum ad naturam*, omnes sumus *conservi* eiusdem supremi domini Dei, omnes sumus *proximi*, i. e. omnes in eodem gradu sumus, omnes aeque tendimus ad fruendum Deo. Aliter profecto sentiendum est de creaturis irrationalibus. Hae *quantum ad ipsum esse* ordinan-

(1) Cf. s. Thomam, 1. p. q. 96. a. 4.

tur in bonum hominis: ac proinde sunt *totaliter* obnoxiae servituti hominis. — Apte Seneca (1): « Errat, si quis existimat servitutem in *totum* hominem descendere ». Qui id existimat, deprimit dignitatem naturae humanae: hominem aequiparat bruto, cum in eodem censu habet ac res ipsas inanimatas. In hoc dignitas naturae humanae consistit, quod sit facta seu ordinata immediate ad Deum tamquam finem suum ultimum (2).

Illud, quod intellexit Seneca, philosophi veteres fere omnes non intellexerunt, ethnici legumlatores fere omnes non admiserunt. Ipsa Romanorum iurisprudentia, quae *ratio scripta* appellata est, pro aequis habebat haec statuta: Servus, tamquam criminis reus, occidi, vendi, donari, legari, vel noxae dari potest: Servile caput nullum ius habet, nullius iuris est capax, imo nullam personam habet. Quomodo haec et alia his similia statuta pro aequis possunt haberi, nisi quatenus admittatur, quod *servus non est homo*, quod *servi et liberi sint natura diversi?* Hinc apud Iuvenalem (3) dominus, cum iussisset poni crucem servo, cumque interrogaretur quo crimine servus meruisset crucem, quis testis adesset, quis detulisset, sic respondet: « O demens! *Ita servus homo est.* Nil fecerit: esto. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.»

b) At alterum illud minime repugnat iuri naturali.

---

(1) De benef. l. 3. cap. 20. ab init. Cf. super. vol. II. thes. III. schol.: ac praesertim pag. 51. adnot. 3., ubi de discrimine inter servitutem brutorum et servitutem hominum diximus.

(2) Vide, quae paulo ante pag. 134. diximus contra Rousseau, ad explicandum quo sensu homo sit *essentialiter independens.*

(3) Sat. VI. v. 223. seqq. — Cfr. Audisio, Iur. nat. priv. et publ. fundamenta, l. II. tit. XIV. seqq.

Res enim eo tandem redit, ut quis cum non possit suam felicitatem ac media ipsa ad conservandam vitam magis necessaria alio meliori modo sibi procurare, ordinet usum suarum virium seu aliqua opera in commodum alterius a quo tamquam debitam retributionem recipiat ea, quae ad vitam convenienter feliciterque ducendam sunt ei necessaria. Est sane licitum homini, suam exquirere felicitatem exserendo suas vires suasque facultates: quod hae non directe, sed indirecte in felicitatis propriae scopum exserantur seu exerceantur, hoc sane haudquaquam est illicitum.

Et re quidem vera, curnam id esset illicitum? — *Dices*: quia amittuntur iura naturalia. *Nego*: servus retinet *esse hominis* seu *naturam hominis*, et proinde iura omnia quae esse illud vel eam naturam consequuntur. — *Dices*: quia amittitur personalitas. *Nego*: servus manet principium completum suarum operationum, in quo consistit personalitas. — *Dices*: quia impeditur assecutio finis ultimi. *Nego*: servus potest multa immediate dirigere in finem ultimum, et illa ipsa quae ordinat immediate in bonum alterius hominis, potest mediate ordinare in ffinem ultimum: non potest adigi ad malum, neque impediri quominus bona spiritualia mediis a religione praescriptis sibi procuret, aut quominus officia omnia erga Deum erga se et proximum impleat. — *Dices*: quia venditur seu alienatur libertas, quae est inalienabilis. *Distinguo*: ipsa facultas naturalis, quam vocamus liberum arbitrium seu libertatem, est inalienabilis *conc.* libertatis usus seu exercitium in hoc laboris genere eligendo potius quam illo, in opere exsequendo hac ratione potius quam illa, in operis directione ad hunc immediatum scopum potius quam illum aeque indifferentem *nego*. Huiusmodi exercitium possum alienare; i. e. possum

illi renunciare, seu contentus esse, quod alter pro me seligat ac mihi assignet genus laboris, modum tenendum in operis exsecutione, scopum immediatum in quem opus sit dirigendum. Hoc vivendi modo esse contentum et aliis liberioribus vitae rationibus renuntiare, iam est exercitium libertatis. Apposite Lessius (1): « Homo liber potest seipsum vendere, quia est dominus suae libertatis, sicut famae et pecuniae. Ergo eam potest libere abdicare. Quod confirmatur exemplo, tum s. Paulini, qui se vendi in servum voluit ut filium viduae redimeret, tum eorum qni religionem ingrediuntur, qui non solum bona externa sed etiam libertatem suam abdicant propter Christum, quamvis hi non efficiantur servi, eo quod hoc non faciant in commodum Praelati temporale, sed suum spirituale. » Religiosi ad nutum superioris in tale munus incumbunt, tali in loco degunt, tali modo operantur. Nemo autem dicit, eos idcirco aut non esse homines, aut alienare seu vendere ipsam facultatem naturalem, quae est liberum arbitrium: eius *usui*, in illo quem explicavimus sensu, tantummodo renuntiant: sinunt se regi et ordinari, cum ceteroquin essent sui iuris, ac possent ipsi se regere ac gubernare.

Errant igitur ii, qui arbitrantur servitutem, quocumque tandem sensu ea sumatur, a naturae lege reprobari. — Quid nomine *servitutis* intelligis? Si intelligis alienationem totius hominis belluae aut mercis instar, natura contra eiusmodi servitutem vehementer insurgit. Sin autem servitutem appellas aliqualem venditionem usus propriarum virium factam alteri tamquam domino, qui eam secundum iustam proportionem retribuere tene-

(1) De iust. et iure, l. II, cap. 5. dubit. 4.

tur, talis servitus non est illicita. Illud enim obiectum, nempe facultatum seu virium usus, est *venale* (quippe quod homini a Deo in proprietatem datum), ac proinde nec vetitum est exhibere illud seu vendere, neque etiam acceptare illud seu emere. — Apposite Taparelli (1): « Può la servitù dirsi e lecita e illecita per natural diritto, secondo che si riguarda come assoggettamento or delle *opere* or dell'*essere* umano: nè debbonsi ciecamente ammettere certe filantropiche declamazioni contro la servitù *genericamente* considerata, le quali sogliono partire da una falsa idea di dritti inalienabili a libertà, e ci condurrebbero a condannare la servitù anche più onesta, quale essa fu nei tabernacoli dei Patriarchi anche più antichi, ed a privar di sussidio certi uomini abbandonati, cui nulla più resta da vendere, se non l'opera loro. » Ita quidem res se habet. Si generatim servitus omnis dicatur illicita, multi homines omni prorsus subsidio destituti manebunt, scilicet ii omnes, qui nil aliud habent quod vendant aut dent, quam suarum usum virium vel sua opera. Est igitur prohibita servitus illa, quae consistat in subiectione ipsius *esse humani* alteri homini, non vero illa, quae consistat in subiectione seu subordinatione *operum* in bonum alterius.

Tria sunt hoc loco animadvertenda. — a) Servitus potest esse *temporaria* vel *perpetua*, prout quis in alterius commodum suas operationes exercere debet ad tempus vel in perpetuum. Sunt qui in *perpetuitate* servitutis existiment aliquid inhonesti inesse. Id autem admitti nequit. Secus enim servitus etiam temporaria

---

(1) *Saggio*, ecc. dissert. VII. cap. 3. num 1511. — Quae breviter hoc loco habet Taparelli, exponuntur fusius in ephem. *Civ. Catt.* ser. VI. vol. 1.

esset illicita. Scilicet maximus culpae gradus esset in servitute perpetua: sed omni culpa non vacaret servitus etiam temporaria. — b) Porro operationes, quas in alterius commodum potest quis ordinare, sunt *liberales* vel *mechanicae*. Priores dicuntur illae, in quibus mentis vires exercentur plus quam vires corporis: aliae vero dicuntur illae, in quibus vires corporis exercentur plus quam vires mentis. Hinc (scilicet, ex varietate operum quae praestant) homines servituti addicti appellantur diversimode. Qui certorum agrorum culturae addictus est, dicitur *adscriptus ad glebam*: qui ad certas quasdam operas mercede conductus est, vocatur *mercenarius*, ac pro operae quam praestat diversitate appellatur *famulus, colonus*, *operarius* etc.(1). -- c) Servitus tunc dicitur *perfecta* quando et perpetua est, et ad omnes operas exteriores ad nutum domini exhibendas se extendit, et nil aliud recipit pro mercede quam alimenta, vestes, aliaque huiusmodi ad vitam continuandam necessaria. Qui tali servituti subiicitur, is est *stricto* sensu servus, et a veteribus *mancipium* appellabatur. Haec etiam servitus perfecta non repugnat prorsus iuri naturali: est tamen dignitati naturae humanae minus consona. Hinc est odiosa: et laude sunt digni illi, qui, Ecclesia praeeunte doctrina et exemplo, eam e medio tollere (mediis quidem iustis) conantur.

II. Pars altera. Quamvis omnis herilis societas sit aliqua servitus, tamen non omnis servitus seu non omnis contractus cum operariis initus, eoipso est illa societas herilis, quam nos dicimus esse magis in naturae intentione, tamquam complementum familiae. Ut unio haec

---

(1) De servitute cf. etiam Tongiorgi, Eth. num. 410. seqq.

herilis vere efformetur, oportet ut homines extranei vera familiae membra in certo quodam gradu constituantur, oportet ut ii una cum primitivis familiae membris sub heri regimine conspirent ad domus ordinem quietem splendorem prosperitatem, oportet ut de hac prosperitate et ipsi in convenienti gradu una cum aliis familiae membris participent (1).

Ad societatem herilem vere proprieque dictam, ut recte observat Meyer (2), «requiritur 1.°) ut famuli non ad determinatos tantum quosdam labores se obligent, sed ut generatim ad domesticae societatis bonum promovendum vires suas ex domini voluntate impendant, et ita quoad vivendi rationem ut plurimum ab hero dependeant: 2.°) ut herus vicissim non tantum obligationem in se suscipiat, victum, vestitum et pactam mercedem famulis praebendi, sed generatim eorum bonum temporale et spirituale paterne curandi et ita illos domesticae vitae beneficio participes efficiendi. Haec duplex nimirum conditio necessaria est, ut homines extranei vera familiae membra constituantur: in hoc ipso autem essentialis ratio *herilis societatis* consistit, qua a *simplici contractu cum operariis inito* distinguitur. »

Huiusmodi societas herilis censeri debet *naturalis*. — Etenim ex una quidem parte familia naturaliter indiget adiutorio seu ministerio hominum extraneorum, qui intra domesticos parietes admittantur, ut in finem familiae proprium et ipsi concurrant. Ex alia vero parte multi sunt homines, qui, tum aliis de causis tum

(1) Cf. super. pag. 8., ubi hoc etiam diximus esse de ratione societatis, quod socii de bono obtento omnes in convenienti gradu participent.

(2) Elem. phil. mor. *de soc. her.*

praesertim ob inopiam seu defectum quo laborant pecuniae, nequeunt res ad vitam necessarias ceteraque domesticae vitae bona per seipsos obtinere: quique proinde hac ipsa sua sorte inducuntur, ut alicui familiae adhaerendo ea omnia bona cum primitivis illius familiae membris participent. Huius duplicis indigentiae effectus naturalis est societas herilis: cum autem duplex illa indigentia sit naturalis, unio etiam herilis dicenda est naturalis. Itaque societas haec herilis est pars integralis societatis domesticae et naturale eiusdem complementum.

Est insuper dignitati et praestantiae naturae humanae magis conveniens. — Per eam enim fit, ut homo quoad ipsamet exteriora eius opera ordinetur, non iam amplius in bonum alterius, sed in bonum commune, quod evadit bonum proprium, quatenus omnes et singuli, qui ad illud procurandum conspirant, de eodem obtento participant. Quare illud etiam excluditur, quod videri potest naturae humanae nobilitati minus consonum, i. e. hominem, quamvis tantummodo quoad operationes suas, ordinari in bonum alterius (1).

Haec tamen, quam descripsimus, vera ac propria herilis consociatio, raro habetur nostris diebus. Servi, qui nunc in familias admittuntur, sunt potius liberi contrahentes, qui locant opera sua ad usus domesticos pro mercede. In quo, magis quam vera societas, habetur contractus servilis cum operario initus. Hunc igitur servilem contractum potius spectabimus in sequenti thesi, in qua de mutuis inter dominum ac servum officiis agemus.

---

(1) Cf. s. Thomam. 1. p. q. 96. a. 4.

THESIS LIII.

Cum in servitute opera quidem servi, non autem eius persona in contractum veniat; hinc non modo sunt iura quae domino in servum competunt, quibusque officia ex parte servi respondent, sed naturalia etiam sunt officia, quibus dominus erga servum adstringitur, eaque non solum negativa, sed etiam affirmativa.

145. Demonstratio. Ex iis, quae in thesi praecedente diximus, colligi facile possunt tum *officia,* quibus erga servum dominus adstringitur, tum *iura,* quae dominus in servum habet. — Diximus, eum, qui fit servus alterius, alienare, non iam propriam personam quae est natura sua inalienabilis, sed suarum virium usum, hunc veluti collocando in manu domini, qui de ipso disponat in suum bonum, ita tamen ut aequam pro ipso retributionem rependat. Hominis scilicet *opera* in contractum venit, non autem *persona*, de qua nemo disponere potest tamquam de re. — Hinc possunt tum *officia* tum *iura* domini in servum facili negotio deduci.

I. Ac primo inquiramus de *officiis* (1). — Servus,

---

(1) Haec officia quantopere a Lacedaemoniis erga Ilotas, a Romanis erga mancipia violabantur! *In servos nihil domino non licere,* aiebant: et quod dicebant, exequebantur. « Infelicibus servis, scribebat Seneca ep. 17., movere labra, ne in hoc quidem ut loquantur licet: virga murmur omne compescitur; et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur: nocte tota, ieiuni mutique perstant. » Prae aliis lex illa erat saevissima, qua, interfecto familiae domino, omnes servi, licet plurimi, sine ullo iudicio necabantur;

quamvis alteri *suarum usum virium* submittat seu concedat; tamen retinet *esse hominis*, et ea quae *huius esse* propria sunt, ac proinde iura omnia, quae consequuntur naturam hominis, scilicet ea iura quae homo habet, quia homo est. Hinc pronum est colligere naturalia domini erga servum *officia* (1).

a) Ergo servus retinet ius ad bona vitae et corporis. Quare dominus, qui servum interficiat, perpetrat homicidium: si eum mutilet aut vulneret aut ei in corporis incolumitate noceat, iniuriam servo infert, haud secus ac si erga hominem liberum tali ratione se gessisset. Debet non nocere servo *in bonis vitae et corporis.*

b) Ergo servus retinet ius sibi proprias efficiendi res etiam stabiles, et actuale etiam retinet dominium in hac vel illa re determinata, quam salvis domini iuribus, mediante licito suae activitatis exercitio vel ex actione alterius sibi obligavit. Quare dominus ius illud atque illud dominium debet in servo, aeque ac in homine libero, revereri. Debet ei non nocere *in eius divitiis.*

c) Ergo servus retinet ius ad famam bonamque aestimationem. Quare si dominus sive per iniustam detractionem sive per calumniam laedat famam servi, hic erga ipsum dominum habet ius ad congruam reparationem. Debet non nocere servo *in fama ac bono nomine.*

---

etiamsi nec eadem domo caperentur, si nimirum tantum aberant, ut occisi clamor audiri potuerit, ait Ulpianus (L. ff, lib. 29. tit. 5.). Quam legem in Pedanii morte cum quadringentorum servorum nece impletam scimus Vide Tacitum, Annal. XIV. 42-45.

(1) De his, quae breviter hic innuimus, cf. De Lugo, de iust. et iure disput. III. sect. II. et III.: Lessium, de iust. et iure l. II. c. 4. dubit. 4., c. 5. dubit. 4. — Cf. etiam Taparelli, *Saggio,* etc., et *Civ. Catt.* l. iam cit.

d) Ergo servus retinet ius ad sibi comparanda bona spiritualia, quibus ad finis ultimi consecutionem sibi promerendam iuvetur. Quare, ut iam diximus, nequit dominus impedire servum, quominus bona illa mediis a religione praescriptis sibi acquirat.

e) Ergo servus, si ab iniquo domino incitetur ad male agendum, aut ab eodem crudeliter divexetur, potest fugam arripere. Natura, quam nefariis illis criminibus dominus laesit, dat servo ius eximendi se a servitio, necnon pro damnis quae passus est satisfactionem a domino exigendi. Immo « si servus, ait de Lugo (1), prudenter timeat a domino occisionem, vel mutilationem iniustam, vel damnum simile, potest licite ab eo fugere, nec reverti durante illo periculo. »

f) Ut recte disserit s. Thomas (2), « tenetur homo homini obedire in his, quae exterius per corpus sunt agenda ; in quibus tamen secundum ea, quae ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo. » Scilicet, distinguit s. Doctor inter opera externa seu extrinseca quae per vires corporis fiunt, et illa quae ad naturam corporis pertinent : quoad priora tenetur, quoad alia non tenetur homo obedire homini. Atqui contrahere matrimonium ad haec alia pertinet. « Unde, en s. Thomae conclusio, non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo vel de virginitate servanda. » Quare non potest dominus servum impedire, quominus is hac in re utatur iure sibi a natura concesso.

g) Hactenus de officiis *negativis* non laedendi ser-

(1) Op. cit., disp. III. sect. II.

(2) In 2. 2. q. 104. a. 5.

vum in bonis suis, sive ei non nocendi. Sed insuper « hoc, ut egregie dixit Tullius (1), natura praescribit, ut homo homini, *quicumque sit, ob eam ipsam causam quod is homo sit,* consultum velit. » Ergo dominus erga servum officiis etiam *affirmativis* humanitatis et beneficentiae adstringitur. Ab his non eximitur erga inimicum (2): multo minus erga servum. Quare debet ex bonis propriis auxilium ferre servo, quando id opus sit, e. g. eius senectuti consulendo, eius infirmitati succurrendo.

b) Illud etiam patet, dominum pro bonis, quae a servo accipit, debere iuxta statutas conditiones seu inita pacta congruam mercedem seu proportionata bona retribuere, ita ut compensatio vigeat, tantumque servo det quantum boni a servo recipit. Quod si inita pacta non servantur a domino, servo ius competit se eximendi a servitute, seu contractum rescindendi.

II. Pauca nunc de *iuribus.* — Quamvis servus *esse hominis,* et ea, quae *huius esse* propria sunt, retineat; tamen domino *suarum usum virium* submittit seu concedit. Hinc possunt iura domini erga servum colligi.

Ea reducuntur ad moralem potestatem, qua dominus pollet, ordinandi opera servi in suum bonum. Scilicet, dominus habet ius exigendi a servo, ut vires suas (iuxta conditiones ab initio contractus servilis statutas) adhibeat pro voluntate domini in bonum ipsius.

Hisce autem iuribus, quae in domino insunt, respondent in servis officia. Videlicet, tenentur servi revereri dominum, a quo dependent, suamque operam fideliter, prout statutum est, ad eius beneplacitum impendere.

---

(1) De off. l. III. 6.

(2) Cf. super. vol. II. thes. XXXV.

Officia, inquies, quibus domini erga servos adstringuntur, a dominis violantur; nulla de servis ratio habetur, opprimuntur servi, vexantur. — Ne inferas, servitutem esse ex se illicitam: neque enim, ut patet, ea conclusio potest exinde colligi. Haec potius inferas: domini impleant officia, quibus erga servos tenentur: abusus, quotquot sunt, tollantur a civili auctoritate, cui iura civium omnium, maxime vero pauperum ac debilium, sunt ad tutelam commissa: observatio legum, quae sunt directrices servitutis (ne servitus, dum *ex se* non est illicita, *ex modo* evadat nefaria ac scelesta), urgeatur.

146. Scholion. Servitus ex se non est illicita: potest nihilominus, ut ex *modo*, sic etiam ex *facto* seu *titulo*, quo inducitur, esse iniqua vel iniusta. Facta autem seu tituli, quibus servitus induci potest, sunt multi: praecipuos considerabimus (1).

I. *Voluntaria traditio.* — Potest quis libera electione suam in alterius commodum operam addicere, ut ex aequivalenti mercede recepta sibi comparet ea, quae ad vitam sunt necessaria. Hoc modo habetur servitus *voluntaria* seu *ultronea*: de liceitate huius modi inducendae servitutis, dubium nemini esse potest.

Debet profecto adesse iusta causa alienandi hoc pacto suam libertatem: « alioquin, ut advertit Lessius (2), esset profusio libertatis, quae bonis fortunae et famae est praestantior. » Sic iustam causam habuit s. Paulinus, de quo diximus non multo ante: se vendi in servum voluit, ut filium viduae redimeret. Ceterum, hoc valet

---

(1) De his cf. rursus Iouin et Meyer, elem. phil. mor.: Taparelli, *Saggio* ecc., et *Civ. Cattol.* l. ium cit.

(2) Op. cit. l. II. c. 5. dub. 4.

de quovis iure: debet quodvis ius exerceri *rationabiliter*, non temere et absque sufficienti causa. Sed iam ad loquendum de servitute *coacta* transeamus.

II. *Venditio et emptio.* — Potestne servus ab hero suo licite vendi alteri homini? teneturne huic alteri subesse et in huius bonum ordinare opera sua, quae iam in commodum illius ordinabat? teneturne in hanc aliam familiam ingredi atque in eius bonum adlaborare? Respondeo.

Homo potest alienare ius in usum virium *propriarum*: hoc tandem est principium, ex quo probatur liceitas servitutis. Cur ergo non poterit dominus alienare ius in usum virium *servi sui?* Cur non poterit id facere *ad modum donationis?* Cur non poterit id etiam facere *pro pretio?* Nonne ius in hominis labores est aliquid pretio aestimabile?

Dices: iniuriam infert servo. Nego, si *per se* loquamur, et abstrahamus, ut nunc abstrahere debemus, ab adiunctis specialibus huius vel illius servi (1). Si e. g. ex venditione hoc omnino ac necessario consequeretur, quod servus esset a sua uxore in perpetuum seiunctus; in tali casu, ob particularem hanc circumstantiam servi coniugio ligati, non posset dominus vendere servum. Sicut enim nequit eum impedire, quominus matrimonium contrahat, ita ne potest quidem eum impedire prorsus, quominus inito matrimonio utatur. Lex etiam caritatis vetare aliquando poterit, ne servi e. g. maxime inviti aut senio confecti

---

(1) Debemus rem spectare *per se*. Secus enim ne servitus quidem ultronea seu voluntaria dici poterit licita. Nam si descendamus ad particularia adiuncta et supponamus hominem coniugio ligatum, iam quaestio exsurget, utrum necne liceat tali homini tradere se alteri in servum.

aliis duris ac perfidis hominibus tradantur. — Instabis: iniuriam infert servo, eum tractando veluti rem. Nego: neque enim agitur de ipsa *persona* servi alienanda, sed de eius *opera*, quae est aliquid pretio aestimabile.

Haec tamen animadverte. — *a)* Supponimus, eum qui vendit habere reapse ius in opera illius quem vendit. — *b)* Quamvis, eo quidem iure supposito, venditio et emptio non repugnent dignitati naturae humanae, tamen huic potest repugnare *modus*, quo eae peraguntur (1): naturalia tum iustitiae, tum humanitatis et beneficentiae officia debent semper servari. — *c)* Nec

---

(1) Hinc in epist. Leonis XIII. *In plurimis maximisque* ad episcopos Brasiliae haec leguntur: « Turpis hominum mercatura ea quidem mari fieri desiit, terra vero nimis multum nimisque barbare exercetur; idque maxime in nonnullis Africae partibus. Hoc enim perverse a Mahometanis posito, hominem Aethiopem adsimilisve nationis vix aliquo numero esse supra belluam, videre licet et horrere perfidiam hominum atque immanitatem. Ex improviso in Aethiopum tribus tale nihil metuentes more irruunt impetuque praedonum; in pagos, in villas, in mapalia incursant, omnia vastant, populantur, diripiunt; viros perinde et feminas et pueros, facile captos vinctosque abducunt, ut per vim ad nundinas trahant flagitiosissimas. Ex Aegypto, ex Zanzibar, partim quoque ex Sudan, quasi e stationibus illae detestabiles expeditiones deduci solent; per itinera pergere viri constricti catenis, tenuissimo victu, sub crebra verberum caede; ad haec ferenda imbecilliores necari; qui satis salvi, gregatim cum reliqua turba ire venum, atque emptori prostare moroso et impudenti. Cui vero quisque venditus et permissus sit, discidio miserabili, qua uxorum, qua liberorum, qua parentum, illius in potestate ad servitutem adigitur maxime duram et fere nefandam, neque ipsa recusare potest sacra Mahometi. Haec Nos, summa animi aegritudine, a quibusdam non ita ante accepimus, qui coram non sine lacrimis eiusmodi infamiam et deformitatem spectaverunt: cum iis autem plane cohaerent, quae a nuperis Africae aequinoctialis exploratoribus sunt narrata. »

profecto negamus, illiusmodi venditiones et emptiones, etsi non repugnent prorsus, tamen esse minus congruas nobilitati naturae humanae: idque praesertim si non de imperfecta servitute agatur, sed de perfecta (1). Hinc ne odiosae hae venditiones et emptiones fiant, curandum.

III. *Nativitas.* — Quod filius in servitute genitus, debeat eoipso haberi tamquam servus, hoc prima fronte videtur durum et iniquum: neque enim natura generat servos. En obiectio, quae statim menti occurrit. At duo debent animadverti.

a) Natura non generat servos eo pacto, quo ne reges quidem generat aut divites. Nlhilominus, filius primogenitus regis nonne in honore habetur tamquam rex? Filius hominis locupletis nonne iam tamquam dives habetur? In rebus humanis natura non debet considerari in abstracto, sed in concreto secundum circumstantias, a quibus determinatur.

b) Ratio habenda est de impensis, quas dominus sustinere debuit, ut puer ille in servitute genitus adolesceret et ad aetatem perfectam perveniret. Si velit eas condonare, laudandus profecto erit ut liberalis. Si nolit, non est reprehendendus ut iniustus: habet ius in iuvenem illum quantum ad ipsius virium usum, usquedum aequa sit obtenta compensatio, nisi compensatio haec modo alio dignitati humanae magis consono dari queat (2). Misera est illius hominis conditio, ut

(1) Cf. super. pag. 148. — Servitus *perfecta*, ut loc. cit. diximus, quamvis non repugnet prorsus, tamen est minus consona dignitati naturae humanae: hinc recte agunt, qui eam iustis mediis delere curant.

(2) Haec generaliter dicta sunt. — Hic titulus, *nativitatis*, maiorem proculdubio praesefert difficultatem, quam alii tituli.

misera est conditio illorum qui a parentibus pauperibus aut morbo aliquo laborantibus nascuntur pauperes aut infirmi. Ut hi nequeunt dici natura pauperes vel natura infirmi, ita ne ille quidem debet natura servus appellari. Neque enim fas est naturae adscribere, quod pendet ab adiunctis, seu accessoriis naturae.

IV. *Sententia iudicis, iustumque bellum.* — Agendum restat de sententia iudicis ac de bello iusto. Cum harum quaestionum solutio dependeat a principiis, quae nondum tenemus (alio enim loco erunt statuenda, ubi nimirum de iure puniendi ac de iure belli agemus), sat erit, pauca hic innuere.

Octo genera poenarum s. Augustinus (1) recenset, quae sunt privationes bonorum illorum, quae homo maxime diligit: « *mortem* per quam tollitur *vita*, *verbera* et *talionem* (ut scil. oculum pro oculo quis perdat) per quae amittit quis *corporis incolumitatem*, *servitutem* et *vincula* per quae perdit *libertatem*, *exsilium* per quod perdit *patriam*, *damnum* per quod perdit *divitias*, *ignominiam* per quam perdit *gloriam*.» Vides, *servitutem* inter ceteras poenas recenseri. « Sicut enim, ait Lessius (2), potest quis morte damnari, ita etiam servitute quae est mors civilis.»

Ad *bellum iustum* quod attinet, olim putabatur licitum esse victori occidere victum, ita ut, si victor capti vitam servaret, huius dominium haberet. « *Servi* ex eo appellati sunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc *servare*, nec occidere solebant (3).» At ius illud vi-

(1) De Civ. Dei l. XXI. c. 2.

(2) Op. cit. l. II. cap. 5. dubit. IV

(3) Iustin. Inst. l. 1. tit. 3. § 3.

ctoris in victum, quem nempe possit occidere, ex iure belli etiam iusti, qua talis, minime consequitur. Quare illiusmodi mos eatenus in particulari aliquo casu potest cum iustitia conciliari, quatenus in eo casu rationes aliae *bello per se extrinsecae* accederent, e. g. ratio poenae pro criminibus ab ipsis captivis perpetratis. Ceterum nunc tota belli ratio est immutata et titulus hic apud excultas nationes non admittitur. Illud addam: si quando est titulus validus et sufficiens ad inducendam servitutem, semper agitur de subiectione quantum ad *opera*, non quantum ad *personam* servi.

Brevem hunc de servitute tractatum (1) absolvimus hac animadversione.—Eximio sane Christianae Religionis beneficio factum est, ut maximus ille abusus servitutis, qua ipsa hominis persona in contractum veniret et homo tractaretur ut mera res, apud plerasque gentes fuerit abolitus. Tres enim veritates christiana docuit religio: unitatem originis ab uno progenitore, adeo ut alter alterum tamquam fratrem respicere debeat: unitatem redemptionis humani generis lapsi patratae ab Homine-Deo: unitatem finis, ad quem homines utpote *natura* aequales ordinantur, adeo ut in altera vita nulla amplius extitura sit inaequalitas, praeter illam, quam unusquisque sibi operibus hac in vita positis comparaverit. « Iam nunc per Adamum novum, qui est Christus, communionem fraternam et hominis cum homine et gentis cum gente intercedere ; ipsis, sicut unam eamdemque, intra naturae fines, originem, sic, supra naturam, originem unam eamdemque esse salutis et fidei : omnes aequabiliter in adoptionem unius Dei et Patris

(1) De hoc argumento, *servitutis,* praeter auctores iam cit., cf. Balmes, *el protestantismo comparado con el catolicismo* cap. 17. seqq.

accitos, quippe quos eodem Ipse pretio magno una redemerit: eiusdem corporis membra omnes, omnesque eiusdem participes mensae divinae: omnibus gratiae munera, omnibus item munera vitae immortalis patere. Hisce positis, tamquam initiis et fundamentis, contendit Ecclesia, ut servilis vitae oneribus et ignominiae mitigationem aliquam bona mater afferret. » Ita Leo XIII in epist. iam cit.

§. IV. *De auctoritatis in domestica societate subiecto.*

THESIS LIV.

Domestica societas propria indiget auctoritate, quae naturaliter penes virum residet.

147. Demonstratio. Quod domestica societas indigeat propria auctoritate, manifestum est. Etenim conspiratio voluntatum et operationum in communem consecutionem boni nequit haberi, nisi adsit aliqua persona, quae polleat iure determinandi particularem modum tendendi in finem, et obligandi ceteros ad finem tali modo prosequendum: in quo iure consistit auctoritas socialis (1).— Quod autem huiusmodi auctoritas penes virum resideat, probatur dupliciter.

Probatur *primo*, ex communi omnium gentium agendi modo: ubique enim terrarum vir est caput familiae.

Probatur *secundo*, argumento intrinseco. In societate *naturali* auctoritas residet in illa persona, quae *natura-*

(1) Cf. super. thes. XXXVIII.

liter est aptior ad regendum et minus dependens. Atqui familia est societas *naturalis:* vir autem *naturaliter* est aptior ad regendum et minus dependens. Ergo auctoritas residet penes virum.

Propositio *maior* est clara. Eae duae voces notentur, *naturali* et *naturaliter*. Non est quaestio de societate qualibet, sed de societate *naturali*. Item agitur de persona, quae sit magis apta ad gubernandum, ob maiorem perspicaciam prudentiam fortitudinem qua pollet, et minus dependens, idque *naturaliter*. — Quando societas est naturalis, i. e. a natura ipsa volita et instituta, si in uno ex eius membris eae dotes naturaliter reperiantur maiori in gradu quam in ceteris; nil aliud eae dotes sunt, nisi vox naturae, quae tali modo (illi personae prae aliis eas dotes indendo) determinat ac designat, quodnam debeat esse in ea societate subiectum auctoritatis. Dotes eae sunt necessariae ad recte gubernandum: cur eas natura in unum e sociis plenius confert quam in alios? ut ipse in ea societate clavum imperii teneat, eamque talibus instructus dotibus recte gubernet. Natura nil facit temere.

Quod spectat ad praemissam *minorem*, primum eius membrum constat ex dictis in toto hoc articulo. Declaratur alterum membrum. Recte Aristoteles (1): Τό τε γὰρ ἄρρεν φύσει τοῦ θήλεος ἡγεμονικώτερον, εἰ μή που συνέστηκε παρὰ φύσιν. Vir enim natura est aptior ad gubernandum, quam femina, nisi aliquando dimoveatur

(1) Politic. I. 5. Non ita in societate civili. Ἐν μὲν οὖν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς ταῖς πλείσταις μεταβάλλει τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον· ἐξ ἴσου γὰρ εἶναι βούλεται τὴν φύσιν καὶ διαφέρειν μηθέν. In plerisque igitur civilibus magistratibus mutatur regens et rectum: putatur enim similiter se habere natura et differre nihil.

a natura, i. e. nisi forte desciverit a natura. Et sane « vir natura sua est animo perspicax, prudens, ad deliberandum expeditus, propositi tenax, corpore firmus, rebus gerendis aptus, vagandi cupidus: mulier contra minus est agendarum rerum consulta, ad consilia capienda tardior, a negotiis tractandis aliena, timida, delicata, domiseda. Illa ergo naturaliter eget protectione viri ac proinde ab eo dependet. Incommoda et officia maternitatis eam naturaliter addicunt internae administrationi domus: viro contra ab his curis et incommodis exempto, competit et providere quae ad familiae sustentationem necessaria sunt, et familiam defendere (1). » Hinc vir est, qui familiam iuridice repraesentat coram civili societate: cui etiam civili consortio vir, cum opus sit, inservit, sive militiam ineundo, sive magistratus gerendo.

Obiicies, mulierem aliquando esse viro aptiorem ad regendam domesticam societatem. Respondeo: quidnam naturale ius hac in re dictet, id diiudicandum est *ex cursu normali et consueto*, non autem ex eo quod per accidens aliquo in casu contingit (2). Τὸ δ᾽ἄρρεν ἀεὶ πρὸς

---

(1) Ita Iouin, elem. phil. mor. pag. 181.

(2) Cf. super. pag. 118. adnot. 1.ᵐ — Itaque inepte vellent nonnulli mulierem a potestate viri, ut aiunt, *emancipare*. Oporteret inprimis mutare naturalem mulieris indolem, eamque ab officiis maternitatis eximere. « Senza chiedere, ait Taparelli, *Saggio* etc. dissertat. VII. cap. III. n. 1553., dalla fisiologia il sussidio di sue osservazioni sulle leggi delle funzioni organiche, osserviamo che oltre la debolezza d'intelletto più atto ordinariamente nelle donne a cure minute, che a vasti concepimenti; oltre la fiacchezza del cuore, che rende sì rare nel sesso imbelle le Amazoni; la donna nello stato coniugale dovrà necessariamente e costantemente passare metà dei suoi anni più floridi nelle difficoltà del portato, e

τὸ θῆλυ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον. Vir, ait Aristoteles (1), semper ad feminam ita se habet.

148. Scholion. Hinc tamen nullo modo sequitur, mulierem esse viri *servam*. Neque enim vir potest mulierem habere pro mero subsidio ad privatam utilitatem consequendam, quo redit conditio servi; sed debet vir utpote naturaliter prudentior et firmior dirigere mulierem, debet *suaviter* ac *temperate* (ut natura huius societatis in amore fundata exigit) impellere ad *bonum commune*. Itaque mulier est viro *subdita* (2), non serva (3). — Liberi quoque non sunt servi, sed subditi: si qua est servitus, parentes, qui filiorum bono tantopere adlaborant, dici debent servi, potius quam filii, qui assiduis parentum curis fruuntur. — In iis quoque, qui advocantur ad domestica familiae ministeria, si revera evadant membra familiae et de communi obtento bono participent, vix reperitur ratio servi, ut dictum est (4).

Huius auctoritatis, quam natura confert viro, finis est hic: in usu quotidiano talem in omnibus ordinem

l'altra metà nelle sollecitudini dell'allattare. Ella è dunque, come donna, *naturalmente* più debole all'operare: dunque dalla natura è destinata nel matrimonio a qualche dipendenza. »

(1) Loc. nuper cit.

(2) De illo Gen. III. 16. « Sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui « cf. Zallinger institut. iuris nat. §. 175. — Cf. I. Cor. IX. « Caput mulieris vir. » Item Esther c. I. v. 10. seqq., ubi sermo est de edicto Assueri, « esse viros principes ac maiores in domibus suis. »

(3) Vide s. Thomam, 1. p. q. 92. a. 3., ubi loquens de formatione mulieris de costa viri, « Mulier, inquit, non debet dominari in virum, et ideo non est formata de capite: neque debet a viro despici, tamquam *serviliter* subiecta, et ideo non est formata de pedibus. »

(4) Vide super. pag. 149. seqq.

statuere ac ponere, ut ad commune bonum et ad elementarium societatum, ex quibus familia coalescit, fines singula eius membra conspirent.

ARTICULUS IV.

De societate civili.

149. « Ex his tribus coniunctionibus, *coniugali parentali herili*, consurgit prima communitas hominum, *familia*, quae imperfecta dicitur respectu politiae, *civitatis* (1) ». Quaestione igitur de familia absoluta, progredi debemus ad considerationem maioris illius societatis, quam familiae simul concurrentes efformant, i. e. civitatis. Ideo autem ad hanc efformandam societatem concurrunt, quia nulla familia ab aliis seiuncta potest externam pacem et perfectam vitae sufficientiam sibi comparare. — Civitas est ex illis quae composita sunt (2). Sed compositorum distincta acquiritur notio, si eorum origo, materia, finis, forma singillatim expendantur. En igitur ordo, quem in brevi hac de civitate pertractione sequemur. Agemus de civitatis causa — efficiente — materiali — finali — formali. Eius originem a natura tandem derivabimus : eius subiectum in familia immediate inveniemus : eius finem in externa pace et perfecta vitae sufficientia proxime collocabimus: eius principium veluti formale in suprema auctoritate constituemus.

(1) Loc. saep. cit.: vide pag. 31.

(2) Ita Aristoteles, Politic. III. 1.

§. I. *De origine societatis civilis.*

THESIS LV.

I. *Origo societatis civilis in genere et in se consideratae est immediate repetenda ex ipsa natura i. e. ex ipsa ordinis naturalis exigentia.* II. *Multiplex autem et varium est factum, ex quo societas civilis in concreto potest originem immediate ducere.* III. *Factum tamen primigenium, ex quo iuxta primam naturae intentionem dimanat, est familiarum ex eodem stipite propagatio.*

150. Demonstratio. I. Quaestio de origine societatis civilis potest duplici modo institui (1).

Etenim *primo* quaeri potest: undenam ſit, quod familiae non vixerint nec vivant separatae, sed in unum politicum corpus unitae? Haec est quaestio de origine societatis civilis *in genere* et *in se*. Hanc vero quaestionem iam solvimus in superioribus thesibus, in quibus statuimus, id esse repetendum ex ipsa ordinis naturalis exigentia, i. e. ex eo quod familia quaevis, per se seorsum inspecta, est impar ad externam pacem et perfectam sufficientiam quantum ad omnia vitae necessaria sibi comparandam (2).

---

(1) Item quaestio de origine societatis coniugalis potest duplici modo institui, *in genere* et *in particulari*. — Ad rem s. Ioannes Chrysostomus, in ep. ad Rom. Migne patrol. gr. tom. 60. pag. 615.: « Cum quidam Sapiens dicit, *a Deo adaptatur viro mulier* (Prov. XIX. 14.), hoc dicit, quia nuptias Deus constituit, non quia singulos qui mulierem ducunt ipse coniunxerit. Multos quippe videmus, qui male et non ex nuptiarum lege iunguntur, neque id Deo imputaverimus. »

(2) Cf. super. thes. XL. seqq.

At *secundo* quaeri ulterius potest: undenam fit, quod hae familiae, hoc numero, hoc in loco, hac ratione et forma, sub istis legibus, vivant mutuis inter se relationibus devinctae in unum politicum corpus ? Haec est quaestio de origine societatis civilis *in particulari* et *in concreto.* Id sane non est immediate a natura, sed *est immediate ab aliquo facto concreto, quod familias stabilibus inter se relationibus devinciat.* Et vel hac tantum responsione, ad philosophum quod spectat, quaestio de origine civitatis in particulari iam censeri potest convenienter soluta. Quodnam enim fuerit in specie hoc factum pro singulis civitatibus, id historici debent inquirere et determinare. Philosophus potest generali quodam modo assignare praecipua facta, quae originem societati civili in concreto dare possunt. Quod nos in altera huius theseos parte statim praestabimus.

II. Multiplex et varium est factum, ex quo societas civilis in particulari potest originem ducere. Civitas oriri potest — ex libero plurium familiarum non cognatarum in eumdem locum nondum ab ulla familia occupatum convenientium consensu — vel ex adventu extraneorum in territorium iam ab aliqua familia occupatum — vel ex alicuius hominis potestate, qui independentes a se familias suo dominatui subigat — vel ex aliis similibus factis.

Ut exemplo aliquo rem illustremus, en paucis origo historica inclitae reipublicae Venetae. Multi Aquileiae, Paduae, aliorumque locorum incolae, ut effugerent vastationem barbarorum, illorumque praesertim, quorum dux Attila, se se contulerunt in parvas illas insulas lacuum seu stagnorum, quae hodie Veneta nuncupantur. Nonnullos ibi piscatores invenerunt, qui vitam rusticis in casis degebant. Iis se se adiunxerunt, et sic initium

dederunt civili societati sub regimine quorumdam tribunorum populi et cum forma democratica. Quum imperii Romani auxilio non indigerent, immo quum ipsi pluries opem imperatoribus Byzantinis sponte tulissent, hinc fere ab initio fuerunt *de facto* independentes ab Imperio: quam independentiam brevi imperatores ipsi, qui auxilio Venetorum indigebant, recognoverunt. Cum societas haec crevisset, necessitatem experti sunt constituendi caput unicum (ab initio enim unaquaeque parva insula suum habebat rectorem) *electivum* et *ad vitam*, tamquam praesidem gubernii, quod democraticum permanebat. Itaque anno Christ. 697 elegerunt Paulucium Anafestum, qui primus fuit dux (doge) Venetae reipublicae: electio haec facta fuit a duodecim ex praecipuis familiis. Duodecim hae familiae dictae sunt *apostolicae*, et aristocratiae venetae originem dederunt. Iis brevi adiectae sunt primae illae familiae, quae variis ex urbibus transmigrantes fundaverant Venetias. Hae familiae nobiliores paulatim eo potentiae devenerunt, ut sub duce Petro Gradonico sub finem saeculi XIII. gubernium ex democratico mutaverint, non sine longa et magna populi oppositione, in *aristocraticum*, quale perduravit ad annum usque 1796, quo sub regimine aristocratico maxime floruit et crevit Venetorum respublica.

Verum haec facta potius sunt *secundaria* seu *accessoria*. Est enim aliud factum *princeps*, ex quo civilis societas ex ordinario ipso naturae cursu originem ducit. De hoc facto dicemus in sequenti parte.

III. Factum primigenium, ex quo iuxta primam naturae intentionem societas civilis sponte dimanat, est familiarum ex eodem stipite propagatio. « Postquam fratres eadem familia nati, connubia inierunt filiosque

procrearunt, iam amplius contineri in eadem domo non possunt. Hinc domus multiplicari necesse est. Sed cum amor mutuus et mutui auxilii necessitas fratres omnino separari vetet, domus quidem multiplicantur, sed altera prope alteram constituitur, ut mutuae habitantium relationes non abrumpantur. Hoc pacto vicus exurgit, et ex vico civitas (1) », et ex civitatibus provinciae, et ex provinciis status seu regnum efficitur.

Apte Tullius (2): « Prima societas in ipso coniugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem est principium urbis et quasi seminarium reipublicae. Sequuntur fratrum coniunctiones: post consobrinorum sobrinorumque, qui cum una domo iam capi non possint, in alias domos, tamquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia et affinitates, ex quibus plures propinqui. Quae propagatio et soboles origo est rerumpublicarum. »

151. Scholion. Ex illis, quae diximus, clarius adhuc patet, societatem civilem, actualem nempe statum et modum vivendi familiarum in civili unione, esse *omnino naturalem,* non autem artificialem seu humana conventione introductum. Si enim societas civilis, spectatur in genere, quod familiae vivant non separatae, sed in unum politicum corpus unitae, id pendet ex ipsa na-

---

(1) Ita Tongiorgi, Eth. num. 136. Cf. etiam Liberatore, ius soc. num. 40.

(2) De off. I. 17. — Cf. Aristotelem, Politic. lib. I., eiusque commentatores in h. l. — Apud Zallinger, institut. iuris nat. §. 193., mentio fit cuiusdam vici pene centum domorum in Hispania, cuius omnes incolae erant a sene quodam, qui adhuc vivebat, progeniti, ita, ut propinquitatis nomen iam deesset, quo a minimis natu vocaretur.

turalis ordinis exigentia: quemadmodum explicatum est. Si vero societas civilis spectetur *in particulari*, factum *princeps*, ex quo societas civilis in concreto originem ducit, est ipsa familiarum ex eodem stipite propagatio, seu factum naturale : quemadmodum explicatum pariter est (1).

Quaeres; estne igitur societas civilis *necessaria?* Est necessaria hoc sensu, quod moraliter impossibile est, eam, familiis sufficienter multiplicatis, non existere. Non est autem necessaria hoc sensu, quod omnes et singuli homines teneantur ex naturae praecepto ingredi societatem civilem, in eaque semper permanere. — Sociabilitas est in omnibus: ordinatio ad societatem seu vitam domesticam et civilem est in omnibus : haec duo enim ipsam consequuntur naturam. Actualis naturalium harum inclinationum expletio poterit deesse in uno vel altero. « Non enim, inquit s. Thomas (2), in omnibus perducitur ad effectum id ad quod naturalis ratio inclinat. »

§. II. *De materia seu subiecto societatis civilis.*

THESIS LVI.

Civilis societatis materia seu subiectum proxime et per se sunt familiae, ex quibus exsurgit civitas, quae proinde est societas composita seu organica.

152. Praenotiones. Per *materiam* societatis alicuius intelligimus personas, ex quibus societas illa coale-

(1) Cf. rursus Liberatore, loc. et num. cit.

(2) In suppl. q. 49. a. 2. — De christianis anachoretis cf. Tapa-

scit (1). Similiter, per *subiectum* societatis alicuius intelligimus personas, quae auctoritati illius societatis propriae subiiciuntur, seu circa quas actio illius versatur. — Potest autem duplex distingui materia, *remota* et *proxima*: itemque duplex distingui subiectum, *mediatum* et *immediatum*.

Hisce praestitutis, en paucis nostra sententia de materia atque subiecto societatis civilis. — Eius materia proxima sunt familiae, remota vero sunt individua, quae componunt familiam seu quae proxima sunt familiae materia. Similiter, subiectum immediatum societatis civilis sunt familiae, mediatum vero sunt individua, quae auctoritati patrisfamilias directe subiiciuntur seu circa quae actio patrisfamilias directe versatur. Civitas igitur est societas eomposita: est associatio familiarum. — Haec sententia, statim ac profertur, apparet rationabilis ac vera: et ad eam demonstrandam sufficiunt illa, quae de *genesi* seu *origine* societatis civilis iam diximus (2).

Sunt tamen multi, nostris praesertim diebus, qui in aliam abeunt sententiam. — Contendunt enim civitatem csse associationem individuorum ac proinde societatem simplicem. « Iniustitias multas, ait Caesar Beccaria (3), easque exitiales, approbarunt viri etiam sapientissimi, respublicae etiam florentissimae, eo quod existimaverunt, civitatem esse potius unionem familiarum, quam unionem hominum.» — Ut patet, eorum, qui

---

relli, *Saggio* ecc. num. 339. Vide etiam ea, quae superius, pag. 33. adnot. 2., diximus ex Bellarmino.

(1) Cf. super. pag. 11.

(2) Cf. super. thes. XL. et LV.

(3) *Dei delitti e delle pene* §. XXVI., cui titulus *dello spirito di famiglia.*

hanc tuentur sententiam, hic est scopus: familiae iura destruere, eamque ab auctoritate civili prorsus dependentem facere.

153. Demonstrario. Ad nostram sententiam magis, si opus est, declarandam et confirmandam, sic procedimus.

I. Initium ducimus ab argumento *extrinseco*, ex unanimi sapientum consensu deducto. — Nil frequentius apud ipsos, quam societatem civilem concipere, ut complementum familiae, unionem familiarum, magnam familiam, familiam familiarum: nil frequentius, quam affirmare, eam esse societatem compositam, quam illam comparare corpori organico et viventi (1).

II. Argumento huic extrinseco alia addimus *intrinseca* ex iis, quae iam in superioribus thesibus diximus, deducta.

a) Quidnam venit nomine *materiae* societatis ? — Ut iam diximus, materia societatis alicuius sunt illae personae, quae ad eam societatem efformandam concurrunt. Atqui individua sunt quae concurrunt ad efformandas familias: familiae autem sunt quae proxime conspirant ad conflandam civitatem. Ergo individua sunt materia proxima familiae: ipsae vero familiae sunt materia proxima civitatis.

b) Quidnam venit nomine *subiecti* societatis ? — Ut pariter diximus, subiectum societatis alicuius sunt illae personae, quae auctoritati illius societatis propriae subiiciuntur. Atqui individua immediate subiiciuntur auctoritati, quae praeest familiae: familiae vero immediate subiiciuntur auctoritati, quae praeest civitati. Ergo

(1) Cf super. pag. 11. adnot. 2. Cfr. Liberatore, ius soc. num. 50.

individua sunt subiectum immediatum familiae, ipsae vero familiae sunt subiectum immediatum civitatis.

c) In sententia adversariorum hoc tandem haberemus, societatem civilem esse destructionem familiae: societas enim, quae alterius societatis membra reddit a se immediate dependentia, hanc absorbet seu destruit. Atqui id nequit admitti. Probatur *minor*. Tum familia tum civitas sunt societates naturales, cum duplici tamen differentia: familia est magis naturalis ac necessaria quam civitas: familia est imperfecta respectu civitatis, quae e converso est perfecta seu completa respectu familiae. Hinc autem *minor* praemissa potest duplici argumento demonstrari. — 1.°) Utraque est societas *naturalis*, i. e. a Deo naturae auctore volita et instituta: ergo una nequit esse destructio alterius. Neutra quidem potest desinere: si qua tamen posset desinere, ea non foret familia, quippe quae est magis adhuc naturalis ac necessaria, quam civitas. Itaque familia debet permanere cum sua propria auctoritate residente in viro, cum libertate propria quoad internam administrationem et exercitium iurium ei connaturalium. — 2.°) Familia est *imperfecta* respectu civitatis, quae e converso est *perfecta* respectu familiae: ergo civitas debet familiam perficere seu complere. Dixi, *perficere, complere*: aliud sane est perfectionem atque complementum praebere personae aut enti alicui imperfecto et incompleto, aliud ei destructionem afferre. Restat igitur civitatem habere directam actionem in familiam qua talem, i. e. in patremfamilias qui eam iuridice repraesentat, et per hunc in omnes, qui domesticos intra parietes ab eius potestate dependent. Est igitur societas composita: est associatio familiarum.

d) Familia se habet ad civitatem, ut radix ad plan-

tam, ut basis ad aedificium, ut organa partialia ad coepus organicum quod ex iis constat. Atqui planta ad vegetandum non corrumpit radicem, ex qua pullulat; aedificium ad se attollendum non destruit aut infirmat basim, in qua innititur; corpus organicum ad vivendum non perturbat structuram aut impedit motum partialium organorum, quorum virtute vivit atque subsistit. Ergo ne civitas quidem potest familiam perimere aut destruere: destrueret autem, si membra familiae a se immediate depedentia redderet, si in ea immediatam actionem sibi vindicaret.

III. Thesim confirmamus, refellendo argumenta, quibus Beccaria (1) suam sententiam tueri conatur.

1.°) Si dicatur societatem civilem esse compositam immediate ex familiis, plerique homines erunt dependentes a regimine patrisfamilias, ac proinde erunt iu servili mancipiorum conditione (2). — 2.°) Familia, cuius regimen est monarchicum, necessario duceret ad monarchiam in civitate constituendam: nequit autem admitti in civitate forma monarchica. — 3.°) Hoc admisso, familiam esse unionem individuorum, id habetur commodi, quod subiectio in familia repeti possit a contractu: et sic filii parentibus subiiciuntur libere et utilitatis gratia. — 4.°) Amor familiae coarctat affectum ad paucos, et amorem in rempublicam debilitat.

---

(1) Loc. nup. cit.

(2) « Vi siano, en ipsa auctoris huius verba, centomila uomini, o sia ventimila famiglie, ciascuna delle quali è composta di cinque persone, compresovi il capo, che le rappresenta. Se l'associazione è fatta per le famiglie, vi saranno ventimila uomini e ottantamila schiavi; se l'associazione è di uomini, vi saranno centomila cittadini e nessuno schiavo. » Huic similia sunt alia, quae ipse affert, argumenta.

Ad has solvendas obiectiones haec pauca subiicimus. — Ad 1.m animadvertimus, filios, etsi ex naturali lege teneantur parentibus obedire, non tamen esse mancipia nec servos, sed subditos. Parentes enim, educando filios, promovent et magno cum labore curant bonum, non proprium, sed ipsorum filiorum: hos sane in suam utilitatem non ordinant, in quo consistit, ut saepe dictum est, ratio et conditio servi. Idem dic de naturali uxoris ad virum subiectione: uxor est subdita viro, non serva (1). Si subiectio quaevis sufficeret ad constituendam servilem mancipiorum conditionem, iam in ipsa etiam republica cives dici deberent servi, utpote auctoritati, quae reipublicae praeest, subiecti. — Ad 2.m respondemus, familiam, per se loquendo, posse aeque adducere ad monarchiam vel ad democratiam vel ad aliam formam sive simplicem sive mixtam in civitate constituendam (2). Ceterum, ut suo loco videbimus, forma monarchica est apta ad finem civilis consortii obtinendum. — Ad 3.m negamus, omnem subiectionem, nominatim vero subiectionem filiorum parentibus, repetendam esse a contractu. Qua de re cum saepe dictum sit, nil aliud addemus (3). — Ad 4.m adnotamus, eos, qui familiam habent, validis rationibus, et validioribus etiam, quam simplex individuum, impelli ad patriam amandam: siquidem a potentia ac prosperitate patriae dependent securitas et felicitas familiae, cui praesunt.

154. Scholion. Ex iis, quae hac in thesi diximus, intelligentur facile ea, quae subiicimus.

I. Quum immediatum societatis civilis subiectum

(1) Cf. super. pag. 164.

(2) Cf. super. pag. 162. adnot. 1.

(3) Cf. super. pag. 121. et 134.

sint familiae, prout personae sunt morales, quumque paterfamilias sit ille, qui iuridice in se repraesentat familiam, cuius caput est et rector; hinc *simpliciter* et *stricto sensu* nonnisi patresfamilias sunt *cives*. Ad mentem Aristotelis (1), civis est ille, qui potest magistratus ad consultandum et iudicandum pertinentis esse particeps: ᾧ γὰρ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς ἢ κριτικῆς, πολίτην ἤδη λέγομεν εἶναι ταύτης τῆς πόλεως. — Verum ut patresfamilias, seu ut homines sui iuris, non solum habendi sunt illi, qui actu alicui familiae praesunt, sed etiam illi, qui ad eam pervenerunt aetatem, in qua iam est educatio completa, iam naturalis parentibus subiectio desiit, ita ut iam possent independentem familiam constituere (2).

II. Civitas igitur est societas *composita* et *organica*. Illa societas dicitur organica, quae immediate non coalescit individuis, sed particularibus societatibus proprio fine, mediis, activitate praeditis. Atqui ut ex hac thesi patet, talis est civitas.

Ut hic socialis organismus (3) magis appareat, advertatur socialem organismum posse dupliciter exurgere, vel *per synthesim* seu per viam compositionis, vel *per*

---

(1) Politic. l. III. c. 1. Vide super. pag. 129.

(2) Idcirco in theseos enunciatione dicitur *per se*. « Nos loquimur, ut notat Liberatore, ius soc. n. 49., de eo quod est *per se*, non de eo quod est *per accidens*. Iamvero, per se quisque civis in familia aliqua vivit, et ad familiam aliquam pertinet. Quod si per accidens familia destituitur et separatus omnino degit, id minime prohibet, quominus partem constituat politicae societatis, et civis revera habeatur. »

(3) Apposite Liberatore, ius soc. num. 50.: « In hoc *organismus* a *mechanismo* differt, quod hic materiam assumit homogeneam et prorsus inertem, eamque artificiose disponit ad mere exequendum

analysim seu per viam divisionis (1). — Emergit per synthesim, cum ex praeexistentibus societatibus in suo esse permanentibus amplior societas exsurgit. Emergit per analysim, cum ex sinu ipsius societatis iam constitutae diversa dimanant consortia propriam actionem habentia: hoc autem rursus duplici modo contingere potest. Id enim effici potest vel vi ipsius auctoritatis socialis totum corpus sociale in partes distribuentis, aliasve a se dependentes communitates componentis (2),

---

motum, quem vis aliqua externa toti imprimat moli; ille contra partibus constat heterogeneis et peculiari structura donatis, quae insita virtute operantur pro scopo singularum proprio. Exemplo sit corpus humanum, sic variis coalescens membris, ut caput non sibi vindicet officium ceterorum, sed ea tantum moderetur, prout incolumitas exigit totius compositi. Vel etiam exemplo sit harmonia facultatum humanarum, quae certe ita unitate donantur, ut suprema, nempe ratio, ceteras regat, sed nequaquam absorbeat nec in sui derivationes convertat ».

(1) Ita Taparelli, *Saggio* ecc. dissert. III. num. 696. : « Un sistema ipotattico di associazioni può formarsi in varie maniere, potendo accadere ora che i consorzii adunatisi dieno l'essere con tal fatto alla società maggiore, ora che la società maggiore dividendosi dia origine alle minori, ora che si uniscano amendue queste forme di subordinazione, talchè un medesimo *tutto* sociale si trovi composto e di un sistema ipotattico prodotto, dirò così, per via di *divisione*, e di un altro sistema prodotto per via di *composizione*. » Vide totam hanc dissertationem, praesertim vero cap. VI. Cf. etiam, *Corso elem. di natur. dritto*, eiusdem auctoris l. III. c. 2.

(2) « È, ut idem pergit auctor, necessità di natura la divisione organica delle *grandi* società in consorzii minori. E collo stesso raziocinio si potrà dimostrare, che se i consorzii minori ancora contenessero tal numero di socii, che superasse coi bisogni da soddisfare le forze di un *solo* provveditore, dovrebbero anch'essi suddividersi in altri gruppi vieppiù decrescenti, finchè si giunga ad un numero sì limitato, che possano i suoi bisogni da una sola intelli-

vel etiam vi liberae activitatis ipsorum sociorum in particulares coetus coeuntium.

Haec, quae generatim dicta sunt, si societati politicae applicentur, I.°) habetur in ea organismus socialis *per synthesim*, quatenus ex familiis natura anterioribus civitas ipsa efformatur. Immo fieri potest et *iuxta ordinarium naturae processum* fit, ut ex familiis primo exsurgant vici et urbes, tum vero ex his componantur provinciae, ex quibus tandem *status*, seu societas politica sibi omnino sufficiens atque independens exoriatur. Insuper 2.°) in politica societate haberi potest et solet organismus socialis *per analysim*, sive vi ipsius politicae potestatis, quae societates a se dependentes constituat, sive etiam vi activitatis ipsorum sociorum (qua activitate socii non sunt privandi), qui nempe particularia efforment consortia, puta ad artes, industriam, commercium, litteras, scientias pertinentia.

§. III. *De fine societatis civilis.*

THESIS LVII.

I. *Societatis civilis proprius ac proximus finis est externa pax et perfecta vitae sufficientia, cum ea probitate morum, quae ad haec bona obtinenda et ad convenientem naturae humanae conservationem requiritur.* II. *Ultimus autem civilis consortii, sicut et rerum omnium, finis est Deus eiusque gloria.*

155. Demonstratio. Quaestionibus de *origine* ac de *materia*, quaestio succedit de *fine* societatis civilis. Haec

---

genza totalmente conoscersi e agevolmente provvedersi di quelli esterni sussidii a cui la società umana è destinata. »

autem est quaestio gravissima: siquidem ex fine, tamquam ex norma seu mensura, diiudicandum erit de iuribus atque officiis tum eorum qui praesunt, tum eorum qui subditi sunt (1). — Inquiremus primo de fine *proprio* ac *proximo*, deinde de fine *ultimo* civilis consortii.

I. Quinam non sit, et quinam sit finis *proprius* et *proximus* societatis civilis, Suaresius clare determinat hisce verbis (2): « Potestas civilis legislativa (et proinde societas ipsa civilis), etiam in pura natura spectata, non habet pro fine intrinseco et per se intento felicitatem naturalem vitae futurae, imo nec propriam felicitatem naturalem vitae praesentis, quatenus ad singulos homines, ut particulares personae sunt, pertinere potest; sed eius finis est felicitas naturalis communitatis humanae perfectae, cuius curam gerit, et singulorum hominum, ut sunt membra talis communitatis, ut in ea scilicet in pace et iustitia vivant, et cum sufficientia bonorum, quae ad vitae corporalis conservationem et commoditatem spectant, et cum ea probitate morem, quae ad hanc externam pacem et felicitatem reipublicae et convenientem humanae naturae conservationem necessaria est. »

Et re quidem vera, curnam familiae naturaliter coe-

---

(1) Cf. Tarquini, iuris eccles. publ. institut. num. 7., fere ab init.

(2) De leg. l. III. cap. 11. n. 7. — Quibus iuverit haec addere ex s. Thoma, 1. 2. q. 96. a. 3.: « Lex divina principaliter instituitur ad ordinandum homines ad Deum; lex autem humana principaliter ab ordinandum homines ad invicem. Et ideo leges humanae non curaverunt aliquid instituere de cultu divino, nisi in ordine ad bonum commune humanum: et propter hoc etiam multa confinxerunt circa res divinas, secundum quod videbatur eis expediens ad informandos mores hominum: sicut patet in ritu gentilium. »

unt ad efformandam civitatem? Duplici illa de causa, quam cum eodem Suaresio iam assignavimus (1). — 1.°) « Quia si singulae familiae essent inter se divisae, vix posset pax inter homines conservari, neque iniuriae possent ordinate propulsari aut vindicari. » En igitur bonum, quod familiae primo intendunt, quando in maiorem societatem uniuntur: externa *pax* seu *securitas* ab iniuriis, quatenus scilicet hae facile per civile consortium impediuntur ne fiant, vel si quando illatae sint reparantur. — 2.°) « Quia nulla familia potest in se habere omnia ministeria et omnes artes necessarias ad vitam humanam, et multo minus potest sufficere ad assequendam omnium rerum necessariarum cognitionem. » Scilicet, non *omnis*, sed tantummedo « *aliqua* vitae sufficientia in familia domus unius » habetur: ut habeant *omnem* vitae sufficientiam « quantum ad omnia necessaria vitae (2), » familiae se uniunt in civitatem. En igitur bonum, quod praeter externam pacem familiae intendunt in maiori illa societate constituenda: *perfecta vitae sufficientia* ex apta omnium artium industriarum scientiarumque cultura exsurgens.

Finis igitur proprius et proximus societatis civilis complectitur multa: efficere ne iniuriae inferantur, vindicare iniurias illatas (3), regere contractus, curare commercia, fovere industrias, promovere artes, provehere

---

(1) Vide super. pag. 31. — Uniuntur, ait Philosophus, Politic. l. III. c. 5. n. 13., τοῦ μὴ ἀδικεῖν σφᾶς αὐτοὺς χάριν, ad vitandas mutuas iniurias.

(2) De regim. princ. l. 1. c. 1. Integrum locum adduximus super. pag. 32. adnot. 1.

(3) Vide quae de iniuriis diximus in vol. II. pag. 242-252. Cf. etiam vol. II. thes. VII.

scientias etc. Quae omnia facile revocantur ad duo illa bona, nempe ad *externam pacem* et ad *perfectam vitae sufficientiam* (1), cum ea probitate morum, quae ad illa bona obtinenda et ad convenientem humanae naturae conservationem requiritur (2). — Huiusmodi probitas morum constituit honestatem seu virtutem civilem: eam qui habet, est bonus civis. Sed praeter eam multa alia requiruntur, ut quis sit vir bonus simpliciter et sine addito, nimirum bonus qua homo est: ad hoc requiritur, quemadmodum idem ait Suarez (3), « integritas morum cum debito ordine ad Deum, quantum lumen naturale dictat. »

II. Hactenus diximus de fine proprio ac proximo societatis civilis. Quod autem spectat ad finem eius *ultimum*, hic nequit esse alius ab illo, qui est ultimus rerum omnium finis: est scilicet Deus eiusque gloria. Politica nimirum consociatio est et ipsa unum e tot

(1) Ad haec clarius intelligenda cf. Aristotelem, Politic. III. 4. Ibi ait, homines appetere societatem civilem, etiam seclusa omni utilitate (vide super. pag. 55. adnot. 1.): tamen conferre multum ad homines in civili societate congregandos communem utilitatem, quam societas civilis affert tum ad *bene* vivendum tum ad *vivendum*. Ad *bene* vivendum quidem confert societas, quia dum unus praestat unum officium necessarium ad vitam, alius aliud, omnes vivunt bene et cum perfecta sufficientia. Ad *vivendum* autem, quia communis societas multum confert auxilii ad vitam conservandam et ad vitanda mortis pericula. — Lege etiam cap. 5., ubi tradit finem civitatis non esse solam societatem bellicam in ordine ad se defendendum ab iniuriis hostium, neque solam societatem commutationem et commerciorum.

(2) Apte Aristoteles, Politic. III. 5.: φανερὸν ὅτι δεῖ περὶ ἀρετῆς ἐπιμελὲς εἶναι τῇ γ᾽ ὡς ἀληθῶς ὀνομαζομένῃ πόλει, μὴ λόγου χάριν. Manifestum quod civitas, quae revera nominetur civitas, et non ita dicatur verbotenus, virtutis curam habere debere. — Recole verba s. Thomae super. allata pag. 179. adnot. 2., et 1. 2. q. 94. a. 4.

(3) Loc. nuper cit. num. 8.

mediis a Deo institutis, ut homo iuvetur ad Factoris sui sapientiam bonitatemque magis magisque cognoscendam et amandam. Ii igitur, qui praesunt, debent, mediis quidem iustis, pacem ac prosperitatem in civitate procurare: hac vero pace et prosperitate obtenta debent tum ipsi tum cives omnes recte uti. Et recte utentur, si eam a Deo bonorum omnium fonte repetant acceptam, et ad Deum bonorum omnium finem ordinent, ad Ipsum scilicet melius ac perfectius amandum.

In epistola prima ad Timotheum (1) s. Paulus nos adhortatur, ut oremus pro omnibus hominibus, sed specialiter « pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. » Iis verbis, *ut quietam et tranquillam vitam agamus*, innuit praecipuum civilis consortii finem, qui in securitate consistit. Illa autem addit verba, *in omni pietate et castitate*, ut nos moneat de usu, quem de terrena pace per civile consortium obtenta facere debemus. « Mali enim, inquit s. Thomas (2), tunc ad duo ea utebantur. Scilicet, ad cultum daemonum: quia illam prosperitatem falsis diis attribuebant. Item, ad lasciviam, quia tempore pacis vitia carnalia abundabant. Sed sancti e converso ea utuntut in cultu veri Dei et in castitate. Et ideo dicit, *in omni pietate et castitate.* »

Itaque in fine civitatis stabiliendo debemus attente cavere, ne *per excessum* neve *per defectum* erremus. Inter priores, qui per excessum errarunt, sunt illi, quos (ut iam vidimus) memorat Suarez, qui statuebant finem intrinsecum et per se intentum civilis societatis esse

(1) Cap. II. v. 2.

(2) In comment. in h.

proxime ipsam aeternam felicitatem vitae futurae, vel ipsam spiritualem et internam felicitatem hominum in hac vita. Inter alios vero, qui per defectum errant, sunt illi, qui de fine civitatis disserentes ne unum quidem verbum habent de fine ultimo, necnon ii, qui scopum politicae societatis collocant in mera bonorum externorum copia, vel in mera securitate, vel in aliquo huiusmodi mere negativo, vel illi rationalistae, qui cum Kant (1) eumdem reponunt in mutua coarctatione et harmonia libertatis. — Quam bene Tullius in oratione pro P. Sextio disseruit de fine politicae societatis: « Quid est igitur propositum his reipublicae gubernatoribus, quod intueri et quo cursum suum dirigere debeant? id quod est praestantissimum maximumque optabile omnibus sanis et bonis et beatis, *cum dignitate otium* (2). Hoc qui volunt omnes optimates, qui efficiunt summi viri et conservatores civitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita convenit, ut otio non prospiciant: neque ullum amplexari otium quod abhorreat a dignitate. Huius autem otiosae dignitatis haec fundamenta sunt, haec membra, quae tuenda principibus et vel capitis periculo defendenda sunt: religiones, auspicia, potestas magistratuum, senatus auctoritas, leges, mos maiorum,

---

(1) De hac Kantii theoria cf. Liberatore, ius sociale num. 42., ubi eam theoriam refellit, tum ex parte principiorum, quibus innititur, tum ex parte ipsius propositionis, quae adstruitur, tum ex parte conclusionum, quae inde derivantur.

(2) *Otium* hoc loco accipitur pro tranquillitate, pace, securitate. Eodem sensu idem Cicero, in l. 1. fam. ep. 28., dixit: « Si antea auditum erit, otium esse in Syria. »

iudicia, iurisdictio, fides, provinciae, socii, imperii laus res militaris, aerarium. »

156. Scholion. Ex iis, quae de origine materia ac fine societatis civilis hactenus disputavimus, definitiones colligi possunt tum *civitatis* tum *status*.

I. Quid est *civitas*? Civitas, ait Philosophus (1), est generum et pagorum communio vitae perfectae et sufficientis: πόλις δὲ ἡ γενῶν καὶ κωμῶν κοινωνία ζωῆς τελείας καὶ αὐτάρκους. Et paulo ante (2): Cui facultas habendi partem in imperio deliberativo et iudiciali, hunc apprime dicimus esse civem illius civitatis, civitatem vero eam multitudinem talium hominum, quae par sit ad sufficientiam vitae, ut simpliciter dicam: ᾧ γὰρ ἐξουσία κοινωνεῖν ἀρχῆς βουλευτικῆς ἢ κριτικῆς, πολίτην ἤδη λέγομεν εἶναι ταύτης τῆς πόλεως, πόλιν δὲ τὸ τῶν τοιούτων πλῆθος ἱκανὸν πρὸς αὐτάρκειαν ζωῆς, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν·

Itaque civitas est multitudo hominum sui iuris seu familiarum, ad securitatem ac perfectam vitae sufficientiam obtinendam (3), consociata.

II. Quid autem est *status*? Status est illa politica societas, quae non est membrum alterius, sed est corpus per seipsam, quae non est pars ulterioris communitatis, sed est totum quid plene sibi sufficiens et in politico ordine independens. E. g. Roma aut Lutetia Parisiorum sunt quidem civitates, non tamen sunt status, sed pars status. Civitas igitur latius patet quam status. Hic enim supra civitatem dicit tranquillissimam securitatem ab

---

(1) Polit. l. III. c. 5. num. 14.

(2) L. cit. cap. I. num. 8. Cf. super. pag. 176.

(3) Hoc. saepe monet Philosophus (praesertim l. cit. cap. 5. n. 11.), civitatem non esse meram συμμαχιαν i. e. meram societatem seu confoederationem belli causa.

iniuriis tum inimicorum tum hostium, plenissimam vitae sufficientiam; praesertim vero dicit *independentiam*, in eo sitam, quod status multis quidem constet vicis civitatibus provinciis tamquam membris seu partibus, ipse vero non sit membrum aut pars altioris civilis consociationis (1). Ex quo fit, ut aliam et aliam potestatem habeant rectores singularum eivitatum vel provinciarum, et totius status moderator: illi scilicet habent potestatem subordinatam et dependentem, hic supremam et independentem.

Haec autem animadverte. Independentia, quae ad statum requiritur, debet esse non solummodo *facti*, sed etiam *iuris*. Nec tamen quaelibet iuris dependentia aufert rationem status. Sunt enim status *tributarii*, qui non idcirco desinunt esse status: eo pacto, quo quis non desinit esse liber, eo quod sit aere alieno gravatus. Rationem igitur status aufert dependentia iuris, ad leges quod spectat: videlicet, si qua civilis societas leges accipiat ab alio, si leges quas fert non habeant ex se vim obligandi, sed confirmatione indigeant expressa vel tacita alterius. Id enim indicat, civilem eam societatem esse membrum alicuius corporis politici, esse partem status, non proprie statum.

(1) « Comme la nature a donné des termes à la stature d'un homme bien conformé, passé lesquels elle ne fait plus que des géants ou des nains, il y a de même, eu égard à la meilleure constitution d'un état, des bornes à l'étendue qu' il peut avoir, afin qu' il ne soit ni trop grand pour pouvoir être bien gouverné, ni trop petit pour pouvoir se maintenir par lui-même. Il y a dans tout corps politique un *maximum* de force qu' il ne saurait passer, et duquel souvent il s'éloigne à force de s'agrandir. Plus le lien social s'étend, plus il se relâche; et en général un petit état est proportionellement plus fort qu' un grand. » Ita Rousseau, contr. soc. l. II. ch. 9.: cuius assertionis lege plures quas affert rationes.

§. IV. *De principio veluti formali corporis politici.*

a) **De origine politici principatus.**

THESIS LVIII.

Principium veluti formale corporis politici est suprema auctoritas seu potestas. Cuius originem quod attinet, accurate distinguendum est inter politicum primatum inspectum secundum se vel in genere atque eumdem in concreto seu in particulari consideratum.

157. Praenotiones. Quid est civilis potestas seu auctoritas? Est ius movendi efficaciter cives ad proprium civilis societatis finem obtinendum. Id autem praestat praecipiendo certas actiones, vetando alias, alias permittendo, iudicando de actionibus civium, puniendo legum violatores, eorumdemque custodes praemiis afficiendo (1).

Duplex autem distinguitur civilis potestas: alia *suprema* et *independens*, alia *subordinata* et *dependens*. Distinctio haec est breviter declaranda.

---

(1) Apte De Lugo, de iust. et iure disp. II. sect. 1. num. 1.: « Dominium est duplex, scilicet *iurisdictionis* et *proprietatis*. Dominium iurisdictionis est potestas gubernandi subditos, hoc est, praecipiendi, vetandi, permittendi, iudicandi, puniendi, praemiandi etc. Haec autem facultas oritur saepe ex dominio proprietatis vel ex consensu subditorum transferentium illam facultatem in aliquem superiorem. Dominium proprietatis est praecipua et potissima species iuris in re etc. » — Cf. super. vol. II. pag. 33. Vide etiam vol. 1. thes. XXX. schol.: quo in scholio diximus de *actibus* legis, qui sunt praecipue isti quatuor, *imperare, prohibere, permittere, punire*.

Est *suprema* et *independens*, quando in ordinandis et movendis in commune bonum civium actionibus nulli altiori in eodem ordine auctoritati humanae est subiecta, ita ut eius determinationes obligativam vim et efficaciam habeant *ex se*, non autem ex consensu expresso vel tacito seu ex confirmatione alicuius altioris in eodem ordine potestatis humanae, a qua possint etiam invalidari aut temperari. Ad rem Suarez (1): « Potestas aliqua tunc *suprema* dicitur, quando superiorem non recognoscit: nam vox illa *suprema* negationem superioris denotat, cui alter, qui supremam potestatem habere dicitur, obedire teneatur.» Haec suprema potestas aliis nominibus vocatur, *principatus civilis, primatus politicus, maiestas summa, supremum civilis iurisdictionis dominium.* — Ex quibus patet, quid sit civilis auctoritas *dependens* et *subordinata*, qualis est ea quae convenit praefectis (2), seu rectoribus civitatum, municipiorum, provinciarum, ex quibus *status*, seu societas civilis prorsus sibi sufficiens atque independens, coalescit.

Iamvero nunc inquirimus de *origine* auctoritatis civilis *supremae* et *independentis*. Undenam ea est? Quisnam est eius auctor et institutor? Estne Deus, an vero sunt homines, qui eam excogitaverunt et induxerunt

---

(1) Defens. fid. l. III. c. 4.

(2) Ut Suarez ait, op. et l. cit. c. 1., « sub supremo principatu esse possunt plures gubernatores in diversis provinciae partibus; necesse est autem, ut omnes uni subordinentur, in quo sit suprema potestas. Nam si plures essent, nec inter se nec alteri subordinati, fieri nullo modo posset, ut unitas seu concordia et obedientia cum iustitia et pace conservarentur, ut satis notum est.» Cf. super. pag. 83. Non haberetur certe una societas unusque status, sed tot parvi status, ad summum uniti in confoederatione aliqua sive belli sive commercii causa.

per cessionem principi aut communitati factam iurium, quibus pollent? Fuitne civilis haec auctoritas imposita a Deo hominibus, an fuerunt homines ipsi, qui se libero consensu seu pacto ei submiserunt?

158. Demonstratio. Ut quaestio haec de origine civilis primatus recte solvatur, distingui accurate debet inter politicum primatum consideratum *secundum se* vel *in genere*, et inter politicum primatum consideratum *in concreto* vel *in particulari* (1). — Consideratur *per se* seu *praecise*, quando spectatur potestas ipsa suprema seu ipsum supremum ius ordinandi atque regendi civiliter rempublicam, per leges iudicia poenas, abstrahendo a determinata regiminis forma, sive simplici, monarchica aristocratica democratica, sive ex his simplicibus mixta, sub qua in concreto existit, itemque a subiecto vel persona illa particulari, in qua a parte rei residet. — Consideratur *in particulari* seu *in concreto*, quando spectatur subiectum ipsum seu ipsa persona, sive physica sive moralis, quae supremam auctoritatem possidet, necnon forma ipsa, qua auctoritas illa possidetur.

Hinc quaestio de origine politici principatus est duplex, *generalis* altera, altera *particularis* (2). — Quaestio

---

(1) « Considerari potest haec potestas vel *praecise* et *abstracte*, vel *ad certam speciem politicae gubernationis determinata* . . . . . Potest politicus principatus vel per se et praecise considerari, ut potestas quaedam regendi civiliter rempublicam, abstrahendo ab hoc vel illo modo regiminis tam simplici quam mixto, vel prout determinatus ad aliquam regiminis speciem. » Ita Suarez, op. et l. cit. c. 2. num. 4.

(2) Simile quid in multis aliis quaestionibus contingit. — E. g. aliud sane est inquirere modo generali, undenam fiat, ut homines lingua aliqua utantur ad suos conceptus exprimendos: aliud autem est inquirere in particulari, undenam fiat, ut homines hac in regione

prior generalis huc redit: undenam factum sit, ut in humano genere extiterit et existat haec suprema potestas seu hoc ius supremum regendi civiliter rempublicam, seu ut in humano genere extiterint semper et existant supremi rectores et principes civiles. Quaestio altera particularis est haec: quaenam sit causa, quae praedictam potestatem seu iùs actuavit in hoc particulari subiecto, potius quam in illo, e. g. in Petro potius quam in Paulo, sub hac determinata ferma, potius quam sub illa, e. g. monarchica potius quam aristocratica?

THESIS LIX.

Politicus principatus, si secundum se et in genere consideretur, est immediate ab ipso Deo naturae auctore volitus et institutus, eiusque divina naturali lege existit.

159. DEMONSTRATIO. Ad *generalem* de origine politici principatus quaestionem solvendam hac in thesi accedimus, statuimusque eum, si *praecise* tantum et *abstracte* spectetur, esse immediate ab ipso Deo naturae auctore, eiusque divina naturali lege existere.

I. Argumentum praecipuum duobus innititur principiis, iam in superioribus thesibus praestitutis. Primum

---

hac lingua, in illa vero alia regione lingua illa alia utantur. Priori quaestioni nemo non respondet, id oriri immediate ab ipsa natura. Ad alteram vero solvendam quaestionem respondendum erit, id non pendere immediate ab ipsa natura (secus enim nulla foret diversitas, sed omnes ubique eadem lingua uterentur, cum natura sit in omnibus ubique eadem), sed ab aliquo facto historico vel ethnographico immediate dependere.

principium est, societatem civilem esse societatem naturalem, ab ipso Deo volitam atque institutam (1): alterum principium est, ab ipsa natura societatis civilis omnino exigi supremam auctoritatem (2). Ex his enim principiis ita arguitur (3).

Ille, qui est immediatus auctor et institutor societatis alicuius, est eoipso etiam immediatus auctor et institutor eorum, quae ab ipsa illius societatis, cuius auctor est, natura prorsus exiguntur. Atqui Deus est immediatus auctor et institutor societatis civilis, quippe quae est societas naturalis: a natura vero civilis societatis exigitui suprema auctoritas. Ergo Deus est etiam immediatus auctor et institutor supremae civilis auctoritatis in se spectatae. Dixi, *in se spectatae*. Est enim auctor et institutor politici primatus eo modo, quo auctor est et institutor civilis societatis: sed est auctor et institutor immediatus societatis civilis in se spectatae: ergo est etiam immediatus auctor et institutor politici principetus in se considerati.

---

(1) Cr. super. thes. XL. et LV.

(2) Cf. super. thes. XXXVIII.

(3) Sic breviter argumentum proponit Bellarminus, de Laicis, l. III. c. VI.: « Politica potestas in universum considerata, non descendendo in particulari ad monarchiam, aristocratiam, vel democratiam, immediate est a solo Deo. Nam consequitur necessario naturam humanam. » Et Suaresius, defens. fidei l. III. c. II. num. 6.: « Hanc potestatem esse immediate a Deo facile concluditur, quia quae consequuntur naturam, immediate dantur a proprio et immediato auctore eiusdem naturae. Sed haec potestas est proprietas quaedam consequens humanam naturam, ut in unum politicum corpus congregatam. Ergo datur immediate a Deo, ut est auctor et provisor talis naturae. » Quod argumentum saepius inculcat sive in opere citato, sive in libro III. de legibus, illo innixus principio, *qui dat formam dat consequentia ad formam.*

Ad hoc illustrandum argumentum verbis utemur Leonis XIII in epistola encyclica, *Diuturnum illud teterrimumque bellum*: « Homines in civili societate vivere natura iubet, seu verius auctor naturae Deus: quod perspicue demonstrant et maxima societatis conciliatrix loquendi facultas et innatae appetitiones animi perplures et res necessariae multae magnique momenti, quas solitarii assequi homines non possunt, iuncti et consociati cum alteris assequuntur (en primum principium, *hominem ab ipsa natura esse ordinatum ad societatem civilem, eamque proinde esse societatem naturalem*). Nunc vero neque existere neque intelligi societas potest, in qua non aliquis temperet singulorum voluntates, ut velut unum fiat ex pluribus, easque ad commune bonum recte atque ordine impellat (en alterum principium, *supremam potestatem exigi a natura societatis civilis).* Voluit igitur Deus, quod in civili societate essent, qui multitudini imperarent. » Et in alia eiusdem Summi Pontificis epistola encyclica, *Immortale Dei*, haec leguntur: « Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad coniunctionem, congregationemque hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest (en primum de quo diximus, principium). Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad commune propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem qua regatur: quae non secus ac societas, a natura propterea que a Deo ipso oriatur auctore (en alterum principium). Ex quo illud conse-

quitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. »

Hinc vides, quo sensu intelligendum sit, potestatem supremam politicam, si in se consideratur, esse immediate ab ipso Deo, seu, quod perinde est, Deum esse immediatam causam et auctorem primatus civilis in se spectati. Non hoc significatur tantummodo, Deum, tanquam primam causam et universalem, tribuere illam potestatem : sed hoc praeterea significatur, Deum esse causam proximam, sua voluntate conferentem talem potestatem : non quidem potestatem dando per specialem actionem vel donationem a creatione distinctam, sed eam dando ut ex natura rei necessario connexam cum natura societatis civilis, quam Deus ipse vult et condit, seu per modum proprietatis consequentis naturam, eo modo quo dando formam dat consequentia ad formam (1).

(1) Quae breviter innuimus, sic fusius a Suaresio traduntur, def. fidei l. III c. 2. num. 2. seqq.: « Declarare oportet, quid sit, potestatem aliquam esse immediate a Deo, seu, quod perinde est, Deum esse immediatam causam et auctorem alicuius potestatis. 1°.) Inprimis enim requiritur, ut Deus sit causa proxima, sua voluntate conferens talem potestatem. Non enim satis est, ut Deus tamquam prima causa et universalis potestatem tribuat: nam licet illo etiam modo possit Deus aliquo modo dici immediate efficere vel donare, quidquid ab ipso tamquam a prima causa pendet, sive ratione proximae virtutis sive ut immediatum suppositum, ut Philosophi distinguunt; nihilominus hic modus immediatae effectionis in praesenti non satis est. Quia nulla est potestas, quae hoc modo non sit a Deo, ut a prima causa, ac proinde immediate in illo genere: atque ita potestas etiam data immediate ab hominibus, a Rege vel Pontifice, datur etiam a Deo ut prima causa immediate influente in illum effectum, et in actum voluntatis creatae, per quam proxime donatur. At vero talis

Porro nullum habet robur id, quod ad allati argumenti vim infringendam solet obiici: nempe, argumentum *nimis* ac proinde *nihil* probare. Cum enim (sic obiiciunt) de ratione cuiusvis societatis sit auctoritas, posset idem argumentum institui de quacumque societate, e. g. litteraria etiam aut mercatoria, ac de ea af-

---

potestas non dicitur simpliciter esse immediate a Deo, sed solum secundum quid: nam proxime ab homine datur et ab illo pendet. Tunc ergo dicitur potestas absolute data immediate a Deo, quando solus Deus per voluntatem suam est causa proxima et per se donans talem potestatem et hoc modo in praesenti loquimur, alioquin frivola et inutilis esset disputatio. 2.) Imo ulterius duos modos distinguere oportet, quibus Deus potest et solet immediate, idest sola sua potentia et voluntate, aliquam potestatem conferre. Unus modus est dando potestatem, ut ex natura rei necessario connexam cum aliqua natura rei, quam Deus ipse condit, quod in physicis facultatibus facile potest considerari: nam Deus creando animam dat illi immediate intellectum et voluntatem, quia licet huiusmodi potentiae ex anima ipsa naturaliter fluant, tamen quia solus Deus animam immediate creat, dicitur Deus etiam immediate conferre potentias, quae illam consequuntur. Idem ergo est servata proportione in morali potestate, nam potestas patris in filium moralis est, et a Deo ipso ut auctore naturae immediate confertur, non ut peculiare donum a natura omnino distinctum, sed ut necessario consequens illam supposito generationis fundamento: sicut e contrario subiectio filii ad patrem naturalis est et a Deo immediate, non ex peculiari institutione addita naturae, sed ut necessario consequens ad talem naturam rationalem sic productam. Alio modo datur a Deo immediate potestas per se (ut ita dicam) et peculiari donatione, non ut necessario connexa cum alicuius rei creatione: sed ut voluntarie a Deo superaddita alicui naturae vel personae. Cuiusmodi possumus exempla quasi physica et moralia adhibere: nam potestas proxima faciendi miracula quasi physica est, et tamen Deus illam immediate confert, cui vult, non ex aliquo debito, sed ex consilio voluntatis suae. Potestas quoque iurisdictionis, Petro v. g. data, moralis fuit, et tamen Deu

firmari, quod auctoritas ipsius propria est immediate a Deo: nimium profecto est, id asserere. — Responsio patet. Argumentum, quod attulimus, duplici principio innititur: scilicet, non in eo tantum, quod de ratione civilis societatis est auctoritas, sed etiam, immo maxime in eo, quod civitas est societas naturalis. Quare idem argumentum nequit eodem modo aptari iis societatibus, quae sunt *liberae* seu *pactitiae*, quamvis eae quoque nequeant sine propria auctoritate consistere. De auctoritate harum artificialium societatum propria dici potest, quod ea sit a Deo tamquam a prima causa et universali cuiuslibet potestatis. Potest utique illud idem argumentum repeti eodem modo de *familia*, quippe quae est et ipsa societas naturalis.

II. Argumentum, quod attulimus, potest valida confirmatione roborari. Haec enim thesis, ait Suarez (1), « declaratur maxime ex potestate, quam princeps politicus habet ad vindictam de malis sumendam, *etiam*

---

illam immediate, directe ac per se contulit. Ratio autem distinctionis non est alia nisi quia potestates ipsae possunt esse diversarum rationum, vel ordinum, et Deus potens est ad operandum et connaturali et praeter vel supernaturali modo. » Cf. etiam de leg. l. III. c. 3. num. 5., ubi haec habet: « Haec politica potestas datur a Deo per modum proprietatis consequentis naturam, eo modo quo dando formam dat consequentia ad formam. Probatur: quia Deus non dat hanc potestatem per specialem actionem vel concessionem a creatione distinctam: alias de tali concessione deberet per revelationem constare, quod falsum esse constat: alioquin non esset potestas naturalis. Ergo datur ut proprietas consequens naturam, nimirum, medio dictamine rationis naturalis ostendentis Deum sufficienter providisse humano generi, et consequenter illi dedisse potestatem ad suam conservationem et convenientem gubernationem necessariam. »

(1) Defens. fid. l. III. c. 1. n. 7.

illos vita privando, si oportuerit: nam hoc sine divino nutu fieri non potuisset, cum solus Deus sit dominus vitae hominis, et hoc significavit Paulus (1) dicens, *non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui male agit.*»

Etenim, ut iam arguebamus (2) contra Hobbesium (qui principi civili non denegat ius etiam gladii contra malefactores), privatus non habet ius *puniendi* alios, nec poenis *medicinalibus* ad eos corrigendos, nec poenis *exemplaribus* ad ceteros deterrendos, nec poenis *expiatoriis* ad ordinem violatum redintegrandum. Potest quidem defendere se ac bona sua contra iniustum aggressorem: potest exigere restitutionem seu reparationem damni illati. Sed, ut iam diximus alio loco (3), haec tria, *punitio* violationis ordinis, *defensio* contra iniustum aggressorem, *reparatio* damni illati differunt et magnopere differunt inter se. Si igitur privatus caret, princeps habet ius puniendi, quomodo potestas in principe residens est a privatis? quomodo nil aliud est nisi summa iurium (ut Hobbes, Locke, Rousseau, eorumque asseclae contendunt), quae privatus quisque libero consensu vel pacto, iis se iuribus ultro exspoliando, remittit seu cedit principi aut communitati? Nonne igitur alia debet esse origo huius iuris puniendi? Hoc scilicet ius est a Deo: et si hoc ius puniendi est a Deo, erunt etiam a Deo iura cetera quae in se continet politicus primatus.

Quae ratiocinatio maiorem adhuc habet vim, si loquamur *in specie* de iure puniendi *poena capitis*, seu de *iure gladii*. Hoc ius principi civili inesse, ostendemus

(1) Rom. XIII. 4.

(2) Vide super. thes. XLI. pag. 46. seqq.

(3) Vide super. vol. II. thes. VII., praesertim schol.

suo loco. Tali autem iure admisso, origo ipsius debet sane repeti a concessione non hominum (1), qui non habent dominium in propriam vitam (nemo autem concedit aut dat id, quod non habet), sed Dei, qui solus est dominus vitae hominis. Ipse est, qui cum ius gladii essentialiter habeat, eo armat principem civilem in legis suae tutelam ac vindictam.

Sunt qui, duce Locke (2), ad huius argumenti vim eludendam asserunt, quemlibet hominem *in statu naturae extrasociali* (3) fuisse tutorem ac vindicem legis naturalis. In eo, quem ipsi confingunt, statu unicuique commissum erat, ut sceleratos puniret. Hoc iure, quando e statu naturali libere transiit ad statum civilem. quisque se spoliavit, illudque concessit communitati Nil ergo mirum, si inter iura, quorum summa constituit primatum politicum, reperitur quoque ius puniendi scelestos, etiam poena capitis. Hoc ius non est explicandum aut repetendum ex cessione iuris quod quisque haberet in suam vitam, sed ex cessione iuris quod ante societatem civilem libere conflatam quisque habebat in impios ad eos puniendos de naturalis legis violationibus. — Sed primo quidem nequit admitti status naturae extrasocialis: natura enim ipsa, ut fuse ostendimus, de-

---

(1) Iam super. pag. 46. verba adduximus Beccariae: « Chi è mai colui, che abbia voluto lasciare ad altri l'arbitrio di ucciderlo?.... E se ciò fu fatto, come si accorda un tal principio coll'altro, che l'uomo non è padrone d'uccidersi? E doveva esserlo, se ha potuto dare altrui questo diritto o alla società intera. » Hinc Beccaria, qui cum Hobbes et Rousseau censet iura principis esse a populo, denegat principi civili ius gladii.

(2) Essay on civil government, ch. 1.

(3) Cf. super. thes. XLII.

stinat hominem ad vitam socialem. Insuper, si daretur status ille naturae extrasocialis, in eo privati homines haberent ius defendendi se ac bona sua contra iniustos aggressores, non vero ius puniendi impios. Quis ergo tale ius haberet? nemo in tali statu. Inde autem non concludas, naturam non esse sapientem aut providam, sed potius naturam apprime sapientem et providam non ordinasse hominem ad vitam extrasocialem.

III. Aliam addam confirmationem ipsis Leonis XIII. verbis, in epist. enc. *Diuturnum illud* etc.: « Hac sententia non modo verior, sed ne *utilior* quidem reperiri ulla potest. Etenim potestas rectorum civitatis, si quaedam est divinae potestatis communicatio, ob hanc ipsam causam continuo adipiscitur dignitatem humana maiorem: non illam quidem impiam et perabsurdam, imperatoribus ethnicis divinos honores affectantibus aliquando expetitam, sed veram et solidam, eamque dono quodam acceptam beneficioque divino. Ex quo subesse cives et dicto audientes esse principibus, uti Deo, oportebit non tam poenarum formidine, quam verecundia maiestatis, neque assentationis causa, sed conscientia officii. Qua re stabit in suo gradu longe firmius collocatum imperium. Etenim istius vim officii sentientes cives, fugiant necesse est improbitatem et contumaciam, quia sibi persuasum esse debet, qui politicae potestati resistunt, hos divinae voluntati resistere; qui honorem recusant principibus, ipsi Deo recusare. »

160. Scholion. Quid igitur est civilis auctoritas? Non est aggregatio potestatum seu iurium, quae privati libere deponunt, dum societatem civilem ineunt, ceduntque communitati. Verum est ius seu collectio iurium, quae Deus tamquam causa proxima voluntate

sua confert, utpote quid requisitum a natura consociationis politicae, quam ipsemet vult et condit.

Quaestio esse poterit de *subiecto*, cui Deus *primo* et *immediate* confert illiusmodi iura: utrum necne Deus ea conferat primo et immediate communitati? Sed de hoc disputare, pertinet ad alias theses, in quibus de origine politici principatus *in particulari* agemus, et theoriam, quam hac in re plerique veterum admiserunt, exponemus et examinabimus.

THESIS LX.

Quaevis igitur theoria, quae civilem principatum in se inspectum ab humana conventione derivat, est reiicienda.

161. DEMONSTRATIO. Theoria, *du contrat social*, aliaeque huic similes theoriae in hac omnes conveniunt assertione: Quod sint rectores seu principes civiles, hoc est adinventio hominum: homines fuerunt, qui excogitaverunt principatum politicum, eumque induxerunt per cessionem communitati factam omnium iurium, ex quorum summa seu aggregatione ipse resultat (1). Huius assertionis falsitas ex praecedente thesi luculenter apparet. Hinc pauca tantum, clarioris explicationis gratia, addemus.

---

(1) « Qui civilem societatem a libero hominum consensu natam volunt, ipsius imperii ortum ex eodem fonte petentes, de iure suo inquiunt aliquid unumquemque cessisse, et voluntate singulos in ejus se contulisse potestatem, ad quem summa illorum iurium pervenisset.» Ex epist. enc. nunc cit.

Res ita se haberet in duplici hac hypothesi: videlicet, si consociatio in unum politicum corpus esset adinventio seu institutio humana, vel si possent homines iungi seu congregari in unum politicum corpus, nec tamen subiici politicae potestati, sed eam pro libito admittere vel excludere: aliis verbis, si vel societas civilis non esset naturalis, vel posset societas civilis esse sine capite et gubernatore. Atqui neutra hypothesis potest admitti: civitas est naturalis et nequit sine capite consistere.

Ad rem Bellarminus (1): « Politica potestas, in universum considerata, est de iure naturae: non enim pendet ex consensu hominum: nam *velint nolint debent regi ab aliquo*, nisi velint perire humanum genus, quod est contra naturae inclinationem. At ius naturae est *ius divinum*. Iure igitur divino introducta est gubernatio. » Item Suarez (2): « In tali communitate (politica), ut sic, est haec potestas ex natura rei, ita ut non sit in hominum potestate ita congregari, et impedire hanc potestatem. Unde si fingamus homines utrumque velle, scilicet, ita congregari veluti sub conditione, ut non manerent subiecti huic potestati, esset repugnantia, *et ideo nihil efficerent*. Quia sine gubernatione politica vel

(1) De laicis, l. III. c. 6. — Paulo inferius subdit: « Potestas principum, in genere considerata, est etiam de iure naturae et divino: nec posset genus humanum, etiamsi totum simul conveniret, contrarium statuere, nimirum, ut nulli essent principes vel rectores. »

(2) De legib. l. III. c. 2. n. 4. — Quando s. Thomas ait, 2. 2. q. 10. a 10., « dominium et praelationem introducta esse *iure humano,* » contradistinguit ius humanum non *a iure naturali,* sed *a iure quod est ex gratia,* et ius humanum intelligit illud, *quod procedit a ratione naturali.* Potestatem politicam non tolli, sed magis firmari per supernaturalem Fidei revelationem, ostendit s. Thomas, 2. 2. q. 104. a. 6.

ordine ad illam non potest intelligi unum corpus politicum. »

Concludemus cum s. Ioanne Chrysostomo (1), qui explicans verba s. Pauli, *Non est enim potestas, nisi a Deo*, praeclare exponit, quo sensu dici possit, ac debeat, *principes constitui a Deo*: « Non est enim potestas, inquit, nisi a Deo. Quid dicis? omnisne princeps a Deo ordinatus est? Non hoc dico, inquit: neque enim *de singulis principibus* mihi nunc sermo est, sed *de re ipsa*. Nam quod principatus sint et quod alii imperent, alii subiecti sint, neque omnia casu ac temere circumferantur, populi quasi fluctibus hinc et inde circumactis, divinae esse sapientiae dico. Ideo non dixit: non enim est princeps nisi a Deo: sed de reipsa loquitur dicens: *non enim est potestas nisi a Deo.* » Itaque *principes constitui a Deo,* dici potest ac debet hoc sensu, nempe spectando *rem ipsam in genere*, non autem *descendendo ad hanc vel illam personam* (2). — Hactenus de origine politici principatus *in se* considerati: agendum iam est de origine eiusdem *in particulari* inspecti.

---

(1) In ep. ad Rom. cap. XIII. hom. 23. (Migne, Patrol. gr. tomo 60. pag. 615). Similia habet s. Io. Damascenus, epist. ad Rom. cap. XIII. (Migne, Patrol. gr. tomo 95. pag. 546). — Recole etiam pulchra illa s. Ioannis Chrysostomi verba, iam super. pag. 37. allata: « Magistratus quidem constituere fuit Dei opus: quod autem improbi ad eos provehantur, et eis non ut decet utantur, est hominum improbitatis. »

(2) Pro hac et sequentibus thesibus cf. Balmes, *il Protestantesimo* ecc. cap. 49. seqq. Cf. etiam Hergenröther, *Chiesa Catt. e Stato Crist.*: « L'origine del potere deve accuratamente distinguersi da colui che tiene il potere, il potere in se stesso dalla persona che lo sostiene. Tutti convengono che l'autorità viene da Dio, ma non la sua forma concreta, nè colui che la sostiene. »

THESIS LXI.

Regimen societatis civilis est monarchicum vel aristocraticum vel democraticum, prout summa potestas tota residet in persona physica aut in coetu optimatum aut in ipsa communitate. Quae simplices gubernii formae, si simul contemperentur, forma regiminis est mixta.

162. Declaratio. Auctoritas suprema, una semper et eadem permanens cum triplici potestate leges ferendi iudicandi et exsequendi (1), potest tamen variis modis seu formis existere a parte rei. De his formis quaeritur, quaenam eae sint.

« Tres sunt, ait Bellarminus (2), formae bonae gubernationis: *monarchia,* id est unius principatus, cuius contrarium vitium est tyrannis: *aristocratia,* id est regimen optimatum, cui opponitur oligarchia, hoc est factio paucorum: et *democratia,* hoc est populi totius imperium, quod in seditiones non raro degenerat. — Docent hoc principes philosophorum, Plato in Politic. et Aristoteles (3), nec sine magna ratione id docent. Nam si multitudo gubernanda est, fieri non potest, quin aliquo modo ex tribus gubernetur: aut enim unus praeficietur reipublicae, aut aliqui de multis, aut omnino omnes. Si unus, monarchia erit: si aliqui de multis, aristocratia: si omnes omnino, democratia. — Quamquam au-

(1) Vide super. pag. 21. num. 114. schol.

(2) De Rom. Pont. statim ab init. — Cf. s. Thomam, 1. 2. q. 95. a. 4.

(3) Politic. III. 5.; Ethic. VIII. 10.

tem tres tantum sint formae *simplicis* gubernationis, possunt tamen inter se illae quasi permisceri, ex qua permixtione quatuor aliae formae *mixti* regiminis producentur. Una temperata ex omnibus tribus: altera ex monarchia et aristocratia: tertia ex monarchia et democratia: postrema ex democratia et aristocratia.»

Brevius formas regiminis enumerat Suarez (1): « Ut est moralis doctrina philosophis communis, triplex potest esse regimen reipublicae humanae, *monarchicum* unius principis supremi qui sit una singularis persona, *aristocraticum* unius supremi consilii seu tribunalis ex pluribus optimatibus coacti, et *democraticum* per totius populi suffragia: qui tres modi *simplices* sunt; ex illis autem possunt alii componi, qui vel duos illorum vel etiam omnes participent, quae gubernationes *mixtae* solent appellari.»

Paulo aliter sic auctores haud pauci loquuntur. Formarum, quas regimen civile assumere potest, obvia divisio est in *monarchiam* et *polyarchiam*. Illa est potestas politica residens tota in subiecto physice uno: haec est potestas politica residens in subiecto physice multiplici et solum moraliter uno. Nec datur medium: siquidem nihil est medium inter unum et plura, inter simplex et eompositum. Aristocratia, democratia et formae mixtae sunt totidem polyarchiae subdivisiones (2). Pro di-

---

(1) Def. fid. l. III. c. 2. Cf. de leg. l. III. c. 4.

(2) Montesquieu, *esprit des lois* l. II. c. 1., ait, tres esse gubernationis species, *democraticam, monarchicam, despoticam.* « Strana divisione in verità, inquit Taparelli, *saggio* etc. adnot. LXV., ove il *vizio* di governo viene annoverato fra le sue forme. Se un naturalista dovesse darci con pari logica la descrizione del genere umano, ci direbbe che tutta la specie umana si divide in msachi femmiue

versa autem ratione formae, qua societas civilis regitur, vocatur *aequalis* vel *inaequalis*, ut iam alio loco dictum est (1).

Hoc aliud oportet addere. — Monarchia, aristocratia democratia hanc admittunt divisionem: in *absolutam* seu *puram* et *repraesentativam*. E. g. aristocratia est absoluta seu simplex, si optimates per seipsos immediate dant suffragia legesque ferunt: est repraesentativa, si ipsi eligunt aliquos, per quos tamquam per suos vicesgerentes suffragia dant legesque condunt. Haec autem facile est ad monarchiam et democratiam applicare.

163. SCHOLION I. Liquet ex dictis, quidnam sit regiminis forma, quae dicitur *constitutionalis*.

In hac forma potestas legislativa exercetur a duplici optimatum et deputatorum collegio, necnon a rege vel praeside, cuius sanctio ad leges firmandas requiritur. Iudiciaria autem potestas exercetur ab alio coetu a prioribus distincto, i. e. a coetu magistratuum seu iudicum. Executiva vero potestas exercetur a rege seu praeside:

---

e zoppi. » Hoc vocabulum δεσπότης respondet latinae voci *herus*. Adhibetur autem ad significandum eum, qui sibi assumit aut exercet in alios auctoritatem oppressivam. « Debet imperium iustum esse, neque *herile*, sed quasi paternum, quia Dei iustissima in homines potestas est et cum paterna bonitate coniuncta: gerendum vero est *ad utilitatem civium*, quia qui praesunt ceteris, hac una de causa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. » Ita Leo XIII. in ep. iam cit. *Immortale Dei.* — Imperium gerendum est ad utilitatem civium: ergo debet esse, non herile seu despoticum, sed quasi paternum. Porro quodcumque regimen, non autem tantummodo regimen monarchicum, potest evadere despoticum.

(1) Cf. super. pag. 14. — Vide ea, quae ibi diximus de conventibus seu comitiis in societate aequali necessariis, de unanimitate reali vel artificiali etc.

hic tamen non potest eam exercere nisi per suos ministros, qui, secus ac ipse rex vel praeses, de suis actibus seu de modo leges iudiciaque exsequendi rationem reddere debent (sunt, ut dici solet, *responsabiles*) optimatibus et deputatis, a quibus possunt iudicari et puniri. — Descriptus modus potestatem praesertim legislativam exercendi est character proprius seu propria nota gubernii seu formae constitutionalis. In hunc autem adhibetur finem et scopum, ut impossibilis reddatur auctoritatis abusus. — En brevis adumbratio formae constitutionalis (1), quae sic appellatur, quia munera seu partes uniuscuiusque ex illis personis, quae divisim modo descripto exercent supremam auctoritatem, continentur in codice legum fundamentalium, qui dicitur *constitutio* seu *statutum* (2).

Haec forma constitutionalis non est nova forma a ceteris distincta. Quaeres, ad quam ex formis in hac thesi enumeratis pertinet? — Plures fieri possunt hypo-

---

(1) « Scopus est, ut impossibilis reddatur potestatis abusus. Medium denique divisio functionum auctoritati competentium; ex quo mutua earum limitatio oriatur. Hinc collegio *deputatorum* opponitur collegium *optimatum;* et utrisque, ne legibus sciscendis exsecutivam potestatem destruant, obstaculum adiungitur regiae sanctionis, quae ad leges firmandas requiritur. Potestas exsecutiva limites accipit propter *responsabilitatem,* qua Ministri rationem reddere tenentur potestati legislativae de iis, quae operantur; a qua proinde iudicari et puniri possunt. Sed ne functio illa potestatis nimio periculo exponatur, eius caput, nempe rex, *inviolabile* omnino fit. Attamen per se nihil facere potest sine consensu ministrorum. » Ita Liberatore, ius soc. n. 70.

(2) « Une carte, un roi et deux chambres, voilà tout le méchanisme du gouvernement réprésentatif. » Cousin, *cours d'hist. de la phil. moral.* lect. IX.

theses. Si suprema auctoritas censenda sit permanere penes populum, qui cum nequeat eam exercere per se, eligat personas illas, per quas tamquam per suos vicesgerentes eam exerceat, tunc forma regiminis erit *democratica repraesentativa.* Si suprema auctoritas censenda sit permanere in rege, qui tamen velit eam exercere et se obliget ad eam exercendam praedicto modo, i. e. per coetus illos et per eos ministros, tunc forma regiminis erit potius *monarchica repraesentativa.*

164. SCHOLION II. Oportet etiam, ut de duplici modo successionis *per haereditatem* aut *per electionem* (quae maxime de monarchia valent) praecipua doctrinae capita tradamus. Trademus autem ex Liberatore (1), cuius en verba.

I. *Successio per haereditatem.* — Ius haereditarium habetur, cum regnum ita constitutum est, ut personae, quibus suprema potestas committitur, ex determinata familia certo ordine designatae sint, atque aliae aliis vita functis succedant. Innumerae hac in re existere possunt varietates, quae ex diversorum populorum statutis pendent; ac proinde cum a voluntate libera proficiscantur, ius naturae praetergrediuntur. De his igitur disserere ad nos non pertinet; sed tria dumtaxat adnotamus, quae principiis naturalibus sunt magis affinia.

a) Primum est, non posse pro libito ipsius imperantis mutari ordinem successionis, si leges *fundamentales* regni aliquid hac in re determinent. Nam leges eiusmodi conditionibus quibusdam adstringunt exercitium supremae potestatis, et subiectum definiunt, ad quod illa pertinere debeat. In hoc casu populi consensus accedat necesse est.

---

(1) Ius soc. num. 75. seqq.

b) Secundo, etsi rationi congruentius sit, ut mares dumtaxat iure successionis ornentur, exclusis feminis (1), quae certe minus aptae sunt ad partes implendas imperii, et maribus vi naturae subduntur; tamen ius naturae non prohibet, quominus feminae etiam summa potestate potiantur. Nam persona publica, prout publica est, a sexu abstrahit, et tantum capacitatem regendi multitudinem requirit. Haec autem capacitas in ente ratione praedito inest; sive mas sit sive femina. Potissimum vero eiusmodi successio feminarum inconveniens dici nequit in iis gubernandi formis, in quibus suprema potestas non proprie apud principem residet, sed apud comitia quaedam generalia, et adiumento plurium exercetur.

c) Tertia observatio sit, modum transmittendi potestatem per ius haereditarium, valde consentaneum esse bono sociali ob multiplicem rationem. Nam maiori stabilitate auctoritatem obfirmat, ad eius exercitium tantopere necessaria; aditum praecludit tumultibus ac partium studiis, quae societatem ad extremam perniciem adducere solent; altiorem reverentiam principi conciliat propter avitam nobilitatem et sanguinis splendorem; tum eius educationem accuratiorem reddit, ipsumque animosiorem ac diligentiorem quoad socialem felicitatem procurandam, cum sibi et propriae familiae perpetuo coniunctam rempublicam contueatur.

II. *Successio per electionem.* — Quod si hic mos transmittendi potestatem iure haereditario alicubi non vigeat, tunc electione opus est. Haec autem habetur,

---

(1) Vetustissima est lex Salica, quae ad succedendum ad thronum non admittit nisi solos viros secundum primogeniturae lineam, exclusis mulieribus earumque descendentibus.

cum, principe vita functo, primores aut populus aut pars populi, cui commissum sit suffragium, certam personam designant, quam gubernandae reipublicae idoneam putant, et quae, acceptatione peracta, summo imperio instructa consetur.

Hac in re non aliud dicendum occurrit, nisi pessimam esse electionem, quae plebis tantum iudicio committitur. Nam, ad bonos scientesque homines deligendos, qui reipublicae gubernandae apti sint, scientia et prudentia requiritur, qua plebs fere prorsus orbatur. Praeterea plebs nimia animi mobilitate laborat et facile exponitur deceptioni; tum propter inopiam, qua saepe premitur, largitionibus allici solet ad suffragium pro iis ferendum, qui minus eligi mererentur.

THESIS LXII.

I. *Ex recensitis formis nulla per se est, quam naturalis lex antecedenter praedeterminet ac praeexigat tamquam necessariam: siquidem nulli ex praedictis formis hoc per se competit, ut ipsa sola fini civitatis assequendo sit apta, aliae vero sint impares.* II. *Qua in re illud iuvat meminisse, convenientem finis assecutionem seu bonitatem gubernii non tam pendere a forma regiminis quam a gubernantium bonitate.*

165. Demonstratio. Lex naturalis exigit, aliqua quidem *antecedenter* ad facta humana et contingentia, e. g. quod Deus colatur, alia vero *consequenter*, e. g. quod promissione facta centum aureorum, haec pecuniae summa solvatur ei, cui promissa est. — Hinc quaestio

oritur: utrum, cum multae sint regiminis formae possibiles, lex naturalis, quae vult principatum civilem esse, inter varias illas regiminis formas praeeligat unam, eamque antecedenter ad facta humana et contingentia praedeterminet, tamquam illam in qua civilis principatus actuari debeat. Ita se gerit cum familia, pro qua praedeterminat formam monarchicam: anne simili pacto se gerit cum civitate? En quaestio solvenda hac in thesi, quae duas habet partes.

I. Ad priorem huius theseos partem quod attinet, illud recolatur fundamentale principium, quod iam alio loco (1) statuimus: Quiquid vere exigitur a fine, quem natura ex opere aliquo intendit, seu quidquid est ad intenti finis consecutionem necessarium, illud praecipitur a lege naturae: nec solummodo quidquid est eo sensu necessarium, quod absque ipso finis intentus nullo pacto obtineatur, sed etiam quidquid est alio hoc sensu necessarium, quod absque eo finis non bene, non convenienter, non ut par est, obtineatur.

Ex hoc enim principio sic arguimus. — Eatenus lex naturalis unam ex praedictis formis antecedenter praeexigeret ac praestabiliret ut necessariam, quatenus *solummodo* forma illa esset ex se apta convenienti consecutioni finis in civitate intenti, aliae vero formae essent ex se impares et ineptae. Atqui nulla est forma, de qua id dici cum veritate possit. Ergo lex naturalis nullam, *per se* loquendo, ex recensitis formis antecedenter praedeterminat ac praeexigit, tamquam necessariam. — Patet *maior* ex fundamentali illo, quod praemisimus, principio. — *Minor* autem demonstratur du-

(1) Vide super. thes. XLIV. pag. 79. seqq.

pliciter. *Primo*, ex eo quod tum sub monarchia tum sub polyarchia plures civitates extiterunt et floruerunt. *Secundo*, ex eo quod ad illam securitatem ac prosperitatem, quae finis est civilis consortii, obtinendam, tria in supremo ordinatore requiruntur et sufficiunt: i. e. *lumen intelligentiae* ad cognoscendum quid multitudini sociali expediat, *rectitudo voluntatis* ad illud quod expediens visum est sincere amandum, et *vis exsecutionis* ad illud idem fortiter exigendum. Atqui haec tria possunt quidem esse e. g. in coetu paucorum optimatum, non tamen in eo *tantummodo* et *exclusive*, sed possunt etiam reperiri in uno homine aut in coetu multorum patrumfamilias (1).

Notentur tamen illae voces, *antecedenter praedeterminat praeexigit*, itemque illae aliae, *per se loquendo*.

a) Scilicet spectamus societatem civilem *in fieri* seu *quatenus constituitur* (2): et inquirimus, utrum *antecedenter* ad cetera facta humana et contingentia lex naturae praecipiat retineri aliquam specialem formam. Quod autem *consequenter* ad facta humana et contingentia (e. g. electionem a communitate legitime factam unius in monarcham) lex naturae exigat, ut forma illa (e. g. monarchica legitime per electionem constituta) servetur; id non provenit ex eo quod sola illa forma sit apta convenienti finis assecutioni, sed ex aliis rationibus, puta, quia legitima pacta sunt implenda, quia donatio absoluta semel valide facta revocari non potest praesertim si onerosa fuit, quia publica pax et securitas semel iam in civitate constituta non debet perturbari etc. —

---

(1) Cf. Liberatore, ius soc. num. 97.

(2) Cf. super. pag. 11.

b) Loquimur *generaliter* de societate civili, non autem *in particulari* de hac vel illa societate civili in hisce vel illis adiunctis. Fieri enim potest, ut propter adiuncta particularia, in quibus societas aliqua reperitur (e. g. civitas in anarchiam prolapsa, quae nunc surgit iterum seu reconstituitur), ita una forma, utpote validior et efficacior, sit apta paci ac securitati restituendae et conservandae, ut ceterae formae in iis adiunctis sint ineptae. — *c)* Debemus etiam formas regiminis spectare *ut sunt in se*, eas scilicet liberando a vitiis, quae cum ipsis necessario non connectantur, quaeque tamen ab hominibus per abusum possint ipsis affigi et reapse affigantur. Quod cum adnotamus, speciatim respicimus formam *constitutionalem,* ac maxime *democraticam repraesentativam* (1), de quibus iam paulo ante diximus.

Haec si ob oculos habeantur, veritas prioris partis theseos huius clare patebit. Ad quam tamen confirmandam, verba addemus Leonis XIII. in epist. encyclica, *Immortale Dei*: « Ius autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere potest, modo sit utilitatis bonique communis reapse efficientem. » Et in alia epist., *Diuturnum illud teterrimumque bellum,* haec leguntur: « Nihil est, cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo iustus sit et in communem utilitatem intentus. Quamobrem, *salva iustitia*, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio, aut maiorum institutis moribusque magis apte conveniat. »

---

(1) Cf. Liberatore, ius soc. num 72.

II. Nec minus perspicua est altera huius theseos pars. Undenam pendet bonitas gubernii seu conveniens consecutio finis? Non tam dependet ex hoc, quod persona quae curam communitatis habet sit unus homo vel unus hominum coetus, quam ex hoc alio, quod persona illa (sive unus homo sit sive unus hominum coetus) sit bona, i. e. prudens iusta temperans ac fortis: quod non suum commodum neque unius vel paucorum, sed commune bonum reapse intendat: quod intelligat, non posse omnino seponi finem illum, qui cum sit finis ultimus hominis rerumque omnium, est etiam finis ultimus ipsius civilis consociationis (1): quod in condendis legibus temporalibus « illam ipsam consulat aeternam, de qua nulli animae iudicare datum est, ut secundum eius incommutabiles regulas quid sit pro tempore iubendum vetandumve discernat (2)»: quod in civitate gubernanda sibi tamquam exemplum proponat supremum mundi gubernatorem Deum, cui severissimam aliquando rationem reddet.

Ex his profecto bonitas gubernii dependet. Haec si adsint, quodcunque tandem sit gubernii genus seu forma, finis cumulate obtinebitur (3).

---

(1) « Civilem societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet umquam incommodi, sed omnes quascumque possit opportunitates afferat. » Ita Leo XIII. in epist. cit. — Et per haec confirmantur ea, quae de fine ultimo societatis civilis diximus.

(2) Lib. 1. de vera relig. cap. 21.

(3) Vide quae idem summus Pontifex statim subdit post verba in priori theseos huius parte allata.

166. Scholion I. Falsum igitur est id, quod nostra hac aetate affirmant permulti, democratiam esse unicam formam legitimam, i. e. a naturali lege admissam seu approbatam.

I. Curnam, quaerimus, a naturali lege reiicerentur aliae formae, democratia tantum recepta?

Respondent: quia aliae formae, ac praesertim monarchia, fiunt corruptae, evadunt perversae. — Verum haec corruptio vel perversio, ut in monarchia et aristocratia, ita contingere potest etiam in democratia. Παρεκβάσεις δὲ τῶν εἰρημένων τυραννὶς μὲν βασιλείας. ὀλιγαρχία δὲ ἀριστοκρατίας. δημοκρατία δὲ πολιτείας. Digressiones autem ab iis, quae dictae sunt reipublicae administrandae formae, sunt tyrannis quidem a regno, oligarchia autem ab aristocratia, democratia vero a politia. Ita Aristoteles (1): pro quo, ut ex adductis verbis patet, δημοκρατία est perversio sive corruptio democratiae, nimirum *ochlocratia*. Quod nos dicere solemus, democratiam, Philosophus potius appellat, *politiam*, i. e. politiam (ea enim est vox generalis) peculiari modo. — Haec autem corruptio vel perversio non oritur *per se,* ex intrinseca ratione et natura formae monarchicae vel aristocraticae vel etiam democraticae, sed *per accidens*, ex abusu (2) seu malitia eorum, qui in aliqua ex praedictis formis gubernium possident. Qui scilicet vel obliviscuntur huius principii, vel illud in praxim non deducunt (3): « Neque ullo pacto committendum, unius ut, vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad commune om-

(1) Politic. l. III. c. 5. num. 4, edit. Didot.

(2) Nil est tam in se bonum et sanctum, quo homines ob suam malitiam abuti nequeant, et de facto non abutantur

(3) Verba sunt Leonis XIII. in epist. nuper cit

nium bonum constituta sit. » Audiatur rursus Philosophus (1): Ἡ μὲν γὰρ τυραννίς ἐστι μοναρχία πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τοῦ μοναρχοῦντος, ἡ δ'ὀλιγαρχία πρὸς τὸ τῶν εὐπόρων, ἡ δὲ δημοκρατία πρὸς τὸ συμφέρον τὸ τῶν ἀπόρων· πρὸς δὲ τὸ τῷ κοινῷ λυσιτελοῦν οὐδεμία αὐτῶν. Tyrannis enim monarchia est ad eius qui solus imperat utilitatem spectans: oligarchia ad commodum divitum: democratia ad egentium: reipublicae utilitatem nulla earum habet sibi propositam.

Aiunt, alias formas, praesertim vero monarchicam, esse arbitrarias. — Non sunt arbitrariae in hoc sensu, quod ii, qui in praedictis formis gubernium tenent, nulli altiori legi subiiciantur. Est lex divina naturalis, quae suis praeceptis, ut individuum sic etiam civitates regit: sunt leges regni fundamentales, quibus monarcha quoque subditur. Quare effatum illud, *quod principi placuit, legis habet vigorem*, si absolute et simpliciter sumatur, est falsum (2). Itaque nullus rector societatis est aut esse potest exlex. Ceterum, si monarchia et aristocratia essent censendae arbitrariae, pari ratione eodemque iure dici deberet arbitraria democratia.

Dicunt, cives sub aliis formis gubernii, praesertim vero sub monarchia, esse servos. — Cives in monarchia ut in aliis formis, non sunt servi, sed subditi. Ad rem Bellarminus (3): « Differt *politica* subiectio a *servili*, quod subiectus *serviliter* est et operatur propter alium, subiectus *politice* est et operatur propter se, servus regitur non in sui, sed in domini sui commodum, civis

(1) Loc. nuper cit.

(2) Cf. vol. I. cap. IV. art. I., in quo tradidimus et explicavimus definitionem legis.

(3) De laic. l. III. c. 7.

regitur in commodum suum, non in commodum magistratus. Sicut e contrario Princeps politicus, dum regit populum, non suam (1), sed populi utilitatem quaerit; Tyrannus autem et Dominus non populi, sed suam quaerit. Itaque revera, si qua est servitus in politico principatu, magis proprie servus dici debet, qui praeest, quam qui subiectus est. » Eadem habet s. Thomas (2) et exinde concludit, quod in statu ipso innocentiae fuisset subiectio aliqua politica, non autem subiectio servilis.

Dicunt tandem, quod cives sub aliis formis, ac praesertim sub monarchia, desinunt esse personae (3). — Persona definitur suppositum rationale: est nempe substantia singularis, quae ratione pollet, quaeque per se integrum quoddam est atque singulare. Hoc pacto in Ontologia solet persona definiri. Iamvero ea omnia civis retinet sub monarchia: si amitteret, eodem prorsus pacto amitteret sub democratia. — Neque instes: desinit esse persona, quia desinit esse liber atque independens, et sic prolabitur in conditionem bruti. Nam primo quidem haec, si vim haberent, de quacumque valerent regiminis

---

(1) Recte tamen advertit Aristoteles, Politic. l. III. c. 4. num. 5., quod sicut gubernator navis habet pro fine bonum navigantium, sed tamen quia est unus e navigantibus, habet etiam per accidens pro fine bonum proprium; ita princeps politicus habet etiam pro fine bonum suum, non tamen quia est princeps politicus, sed in quantum est unus ex civibus, quorum omnium bonum ipse procurat.

(2) In 1. p. q. 96. a. 4.

(3) Vidimus, hoc idem obiici contra servitutem sensu etiam recto intellectam. — Si servus sub potestate domini non idcirco desinit esse persona, ut suo loco vidimus; multo minus id continget de cive sub regimine etiam monarchico. Cf. pag. 143.

forma, etiam democratica (1). Praeterea conditio bruti est haec: non habere dominium eorum, quae agit, sed ad ea agenda necessitari physice: esse propter hominem, eiusque servituti totaliter seu quoad ipsum esse subiici. At homo sub lege etiam monarchae servat dominium suorum actuum et libere operatur: semper est propter Deum, finem suum ultimum, ad quem sub directione et morali vinculo legis semetipsum libere ordinat.

II. Audivimus, quae adversus monarchiam opponuntur. Liceat nunc nobis aliquas in democratiam animadversiones subiicere.

Quid est democratia? Est gubernium omnium. « Sed quaerit Taparelli (2), ubinam est, ubinam fuit, ubinam esse potuit verum gubernium omnium? » Nam, verbis utar Suaresii (3), « esset infinita confusio et morositas, si suffragiis omnium leges essent condendae. » Quid, quod ipsemet Rousseau (4) coactus est haec fateri: « Tout bien examiné, je ne vois pas qu' il soit désormais possible au souverain (5) de conserver parmi nous l'exercice de ses droits, si la cité n' est très-petite. »

---

(1) « Le peuple anglais, ait Rousseau, *Du contr. soc.* l. III. ch. 15., pense être libre, il se trompe fort: il ne l'est, que durant l'élection des membres du parlement: sitôt qu'ils sont élus, il est esclave, il n' est rien. » Scilicet, cives, etiam sub democratia, tenentur obedire legibus, quas ipsi non tulerunt, quae ipsis maxime displicent, et quae latae sunt ab eis, quos saepe non elegerunt, cum ipsi suffragia alteri candidato non electo dederint. Si ergo ex debito servandi leges amittitur personalitas, haec amittitur etiam sub democratia.

(2) *Saggio* ecc. dissert. II. cap. 9. num. 506.

(3) De leg. l. III. c. 4. n. 1.

(4) *Du contr. soc.*, l. III. c. 15.

(5) Iam vidimus, quisnam ad mentem Rousseavii sit *le souverain* Est populus: vide super. pag. 64. adnot. 1.

At si civitas sit non solum parva, sed minima, quot quantasque iniurias patietur a vicinis statibus! Quam cito cadet sub eorum imperium ditionemque! Ubi ergo securitas? ubi prosperitas?

Haec, dices, valent de democratia *pura*. Sed democratia sit *repraesentativa*. Populus eligat aliquos, qui potestatem nomine ipsius exerceant. Quam bene tunc omnia procedent: « simples officiers du souverain, ils exercent en son nom le pouvoir, dont ils les a faits dépositaires, et qu' il peut limiter, modifier et reprendre, quand il lui plait (1). » Quare comitiis detur semper initium duabus hisce quaestionibus : « s' il plaît au souverain de conserver la présente forme de gouvernement : s' il plaît au peuple d'en laisser l'administration à ceux qui en sont actuellement chargés (2). » Tria tantum brevitatis causa animadvertam. — *a)* Quantus tunc patebit aditus perpetuis mutationibus! Democratiae indoles secum fert *instabilitatem*, cum qua securitas consistere vix potest. — *b*) Insuper si electio iudicio plebis commissa est, quam facile suffragia non boni ac prudentes, sed stulti atque etiam iniqui obtinebunt! — *c*) Quot tandem erunt electores? Ut ait Caesar Cantù (3), in

---

(1) *Du contr. soc.*, l. III. c. 1.

(2) Ibid. c. 18.

(3) *St. univ.* t. 5. pag. 24. — Apte Gerdil, *du souverain* p. 30. : « Dans la démocratie, suivant la définition d'Aristote, le citoyen est celui, qui a droit de suffrage. Le commentateur Burlamaqui dit qu' une société bien règlée ne doit pas admettre a ce rang une vile populace, c'est-à-dire que dans un gouvernement même démocratique bien constitué, il y a un peuple qui commande et un peuple qui est assujetti à l'autorité de l'autre partie, sans y avoir aucune part. Cela prouve bien qu 'il n 'y a aucun gouvernement où l'au-

omni legislatione (praeter mulieres ac filiosfamilias) distinguuntur ii qui capaces sunt et ii qui non sunt capaces exercendi iura politica et civilia. Sed tunc quo tandem redit democratia? Quare non immerito Liberatore (1): « Saepe contingit, ut populare regimen nomine tenus dicatur democratia, sed reapse non sit nisi aristocratia magis minusve ampla, » et aliquando etiam oligarchia.

Democratia, dices, hoc boni saltem habet, quod in ea abusus auctoritatis vix possit habere locum: cum enim auctoritas sit in tota collective communitate, non potest exerceri nisi in bonum totius communitatis. — Sed animadverte, factiones in populo esse posse ac solere. Cum legum constitutio a maiori suffragiorum numero dependeat, si qua factio maiorem pro se civium numerum habeat, ea poterit leges condere in propriam utilitatem conducentes, et sic reliquum populum opprimere. Quare abusus auctoritatis potest in democratia habere locum aeque ac in aliis regiminis formis.

Itaque virtus in medio est: in forma aliqua mixta ac recte temperata, quae provideat nimiae stabilitati monarchiae et nimiae consulat democratiae mutabilitati, quae non omnia concedat voluntati unius neque omnia relinquat arbitrio multitudinis, quae non unum solummodo ad gubernium admittat neque omnes indiscriminatim reddat gubernii participes, in qua et princeps melius referat supremi rectoris Dei imaginem et mul-

---

torité souveraine soit *le résultat* d'un pacte actuel de tous ceux qui composent la société: sans quoi la *vile populace* devrait aussi entrer dans ce pacte, d'où les lois et le gouvernement seraient censés tirer leur autorité. »

(1) Ius soc. num. 63.

titudo civium magis sit coetus hominum vere liberorum. — Sed quaestio haec, i. e. de optima regiminis forma, paulo accuratius pertractanda est. Sit igitur

167. SCHOLION II. Quaeritur, quaenam regiminis forma sit *melior* seu *aptior?* — Inprimis ex eo, quod aliqua regiminis forma sit melior et aptior, non sequitur alias formas esse malas et ineptas; itemque non sequitur illam praescribi, alias vero reprobari a naturae lege. Immo contrarium sequitur, i. e. alias etiam per se esse bonas et aptas: si qua est melior et aptior, hanc naturae lex commendabit, alias tamen omnes admittendo et approbando.

Hac animadversione praemissa, solutionem quaestionis brevissime innuimus. Quaenam sit optima regiminis forma, quaeri potest dupliciter: *universim* et *absolute* (1), *in concreto* et *relative ad singulos populos.*

I. Primo, rem *universim* et *absolute* consideremus.— « Nos, ait Card. Bellarminus (2), b. Thomam, aliosque theologos catholicos sequuti, ex tribus simplicibus formis gubernationis monarchiam ceteris anteponimus: quamquam propter naturae humanae corruptionem, utiliorem esse censemus hominibus hoc tempore monarchiam temperatam ex aristocratia et democratia, quam simplicem monarchiam, modo tamen primae partes monarchiae sint, secundas habeat aristocratia, postremo loco sit democratia. »

Paulo autem inferius sic mentem suam explicat: « Quae sane gubernatio id requirit, ut sit quidem in

(1) « Prima quaestio, ait Tongiorgi, eth. num. 452., nullius frugis est; nam in rebus humanis non debet quaeri quid generatim, et in se conveniat, sed quid conveniat in particulari et consideratis adiunctis.»

(2) De Rom. Pont., ab init.

republica summus aliquis princeps, qui et omnibus imperet et nulli subiiciatur: praesides tamen provinciarum vel civitatum, non sint regis vicarii sive annui iudices, sed veri principes, qui et imperio summi principis obediant, et interim provinciam vel civitatem suam, non tamquam alienam, sed ut propriam moderentur. Ita locum haberet in republica, tam regia quaedam monarchia, quam etiam principum optimatum aristocratia. Quod si his adderetur, ut neque summus ille rex, neque principes minores haereditaria successione dignitates illas acquirerent, sed ex universo populo optimi quique ad eas eveherentur, iam esset etiam suus quidam locus democratiae in republica attributus. »

Hanc esse optimam et in hac mortali vita maxime expetendam formam regiminis, duobus comprobat argumentis.—Eiusmodi gubernatio habet ea omnia bona, quae insunt in monarchia, et est praeterea in hac vita *gratior* et *utilior*: gratior, cives enim omnes sunt aliquo modo illius participes: utilior, remotius enim redditur periculum condendi malas leges aut vexandi subditos, si plurium consilio rex iuvetur et limite aliquo in operando coerceatur.—Eiusmodi regnum, quale paulo ante descriptum est, Deus in ecclesia sua tam veteris quam novi testamenti instituit: in ecclesia novi testamenti (ut de hac tantummodo loquamur) est summi Pontificis monarchia, atque Episcoporum (qui veri principes et pastores, non vicarii Pontificis maximi sunt) aristocratia, ac demum suum quemdam locum habet democratia, cum nemo sit ex omni Christiana multitudine, qui ad episcopatum vocari non possit, si tamen dignus eo munere iudicetur.

II. Secundo, rem spectemus *in concreto* et *relative ad singulos populos*. — Quaenam regiminis forma sit

aptior et convenientior alicui societati civili in particulari, desumendum est *primo* ex legitimitate possessionis, ita ut illa forma censenda sit melior illi societati, quae pro illa societate est legitima. Etenim solummodo *ius* potest efficaciter secundum naturae ordinem movere voluntatem civium, et tranquillitatem in societatem progignere.

Hac legitimitate supposita, quaenam regiminis forma sit aptior alicui societati, hoc diiudicandum est *secundo* ex conformitate cum historia, traditionibus, consuetudinibus, indole, cultura, moribus illius societatis civilis, de qua in particulari agitur. « Absurda, ait Liberatore(1), esset hypothesis, qua natio americana *Statuum Unitorum* sub monarchia concipiatur. Contra aliae sunt gentes, quibus regimen populare minus accommodatur, propter nimium phantasiae aestum, novitatis studium, loquacitatem, invidentiam, aliosque defectus; vi quorum apud eos democratia non tranquillitatem et ordinem, sed confusionem, tumultum, studia partium, medium opprimendi alios, in summa veram tyrannidem importaret. »

Concludam cum Tullio (1), qui, enumeratis variis regiminis formis, ait : « Regio autem ipsi praestabit id, quod erit aequatum et temperatum tribus optimis rerumpublicarum modis. Placet enim esse quiddam in republica praestans et regale : esse aliud auctoritate principum partum ac tributum : esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis. »

(1) Ius soc. num. 65.

(2) De Republ. I. Lege ea quae praecedunt et ea quae subsequuntur. Sunt enim dicta pulcherrima, ut e. g. illud : « Cum enim par habetur honos summis, et infimis, qui sint in omni populo necesse est, ipsa aequitas iniquissima fit. »

Thesis lxiii.

Quod igitur suprema potestas in uno homine resideat vel in pluribus, quod tota in eo sit vel ex parte, quod per haereditatem ab eo transmittatur vel secus, haec omnia non sunt immediate ab ipsa naturae lege, sed ab aliquo facto humano et contingente immediate oriuntur ac pendent.

168. Demonstratio. Breviter absolvemus hanc thesim, quippe quae non est nisi corollarium, illudque satis evidens, theseos praecedentis.

Determinatio specialis formae, sub qua suprema auctoritas in concreto actuetur, vel fit immediate ab ipsa naturali lege, vel est a lege naturae mediante aliquo facto, seu consequenter ad aliquod factum humanum et contingens. Atqui, ut ex thesi praecedente patet, non fit immediate ab ipsa naturali lege (1). Ergo est a lege naturae mediante aliquo facto humano et contingente.

Itaque quod aliqua societas regatur forma *monarchica* potius quam *polyarchica*, quod regatur forma monarchica *absoluta* potius quam *temperata*, quod regatur forma *haereditaria* potius quam *electiva*, haec omnia non sunt immediate ab ipsa natura, sed ab ea sunt mediate i. e. consequenter ad factum aliquod humanum et contingens.

---

(1) Huc possunt applicari verba Suaresii, def. fid. l. III. cap. 2. « Si determinatio fieret ab ipsa naturae lege, immutabilis esset, et omnis mutatio in ea facta per homines fuisset iniqua: imo omnes civitates, regna vel respublicae deberent eamdem institutionem servare »

Ratio vero est illa, quam in praecedente thesi iam assignavimus: lex naturae antecedenter ad facta humana et contingentia non praedeterminat quoad civitatem aut praeexigit, nisi illa, quae ad convenientem assecutionem finis in civitate intenti exiguntur. Atqui, per se loquendo, finis a natura in civitate intentus potest convenienter obtineri tum in *monarchia* tum in *polyarchia*, tum in monarchia *absoluta* tum in monarchia *temperata*, tum in *haereditaria* tum in *electiva*.

Quod determinatio formae specialis dependeat ab aliquo facto humano et contingente, verissimum quidem est, sed nimis generice dictum. — Quodnam autem est huiusmodi factum? estne unicum, an multiplex? Huic quaestioni ut respondeamus, exponemus inprimis historice theoriam, quam hac in re plerique veterum sequebantur, eamque postea examini subiiciemus.

THESIS LXIV.

Theoria, qua plerique veterum statuebant subiectum naturale, in quo maiestas summa primo resideat, esse communitatem, cuius ex consensu ad alia transeat subiecta, longe differt a sententia illorum recentiorum, qui aiunt, esse de natura civilis auctoritatis, ut nonnisi in multitudine inhaereat.

169. Demonstratio. Haec thesis tribus constabit partibus. — I. Exponemus historice theoriam, quam plerique veterum admiserunt. — II. Perpendemus theoriam de contractu sociali, cui recentiores haud pauci adhaerent. — III. Ostendemus multiplex et essentiale discrimen inter utramque theoriam.

I. Pars prior. Exponitur theoria a plerisque veterum admissa, ad originem politici principatus explicandam: eam hac in thesi proponimus *historice*, alia vero in thesi examini subiiciemus.

1.°) Veteres admittunt hominem esse natura sua socialem (1).

2.°) Addunt, hanc naturalem hominis sociabilitatem, ipso naturali ordine sic exigente, actuari, primo quidem, sed incomplete in familia, dein vero, et complete in civili consortio, quasi in familia familiarum, ita ut utraque societas, domestica et civilis, sint vere et proprie societates naturales, a Deo volitae et institutae, cum fine, auctoritate, officiis et iuribus a naturali lege praestabilitis (2).

3.°) Distinguunt autem accurate inter auctoritatem civilem *in se* spectatam, et auctoritatem *in concreto* consideratam (3).

4.°) Veteres affirmant indubitanter auctoritatem supremam *in se* spectatam, esse immediate a Deo, tamquam naturae auctore (4).

---

(1) Cf. thesis XXIX., ubi loca attulimus ex s. Thoma, de regim. Princ. l. 1. c. 1., et Card. Bellarmino, de Laicis c. V. — Ut aliud addamus testimonium, « observandum est, inquit Billuart tract. de leg. l. 4., hominem inter animalia nasci maxime destitutum pluribus tum corpori, cum animae necessariis, pro quibus indiget aliorum consortio et adiutorio, consequenter eum ipsapte natura nasci animal sociale. »

(2) Cf. theses XL., ubi locum adduximus ex Suaresio, de leg. l. III. c. 1. num. 3., et hanc conclusionem deduximus cum s. Thoma, l. IV. Politic. lect. 1.: « igitur homo est naturaliter animal domesticum et civile. »

(3) Cf. thesis LVIII., ubi locum adduximus ex Suaresio def. fide l. III. c. 2. n. 4.

(4) Cf. thesis LIX., ubi loca plura attulimus ex Bellarmino et

5.°) Quod spectat ad auctoritatem *in concreto* consideratam, *plerique* veterum affirmant, subiectum cui Deus *primo* et *immediate* dat supremam auctoritatem, et in quo proinde suprema potestas *primo* et *immediate* residet, esse communitatem. Hinc formam democraticam concipiunt tamquam formam *originariam*, *primitivam* et *immediatam* (1), alias vero formas concipiunt tamquam *secundarias* et *mediatas*. — « Haec potestas, inquit Bellarminus (2), immediate est tamquam in subiecto in tota multitudine.» — Item Suarez (3): « Ius naturale dat per se et immediate hanc potestatem communitati. »

6.°) Illi tamen inter veteres, qui id affirmant, statim etiam addunt, communitatem posse, et, moraliter

---

Suaresio. — Hic doctor in opere, def. fidei l. III. c. 1. num. 6., ait: « Principem politicum potestatem suam a Deo ipso recipere. Quod etiam *absolute* loquendo *de fide* est: nam expresse Paulus pro ratione obedientiae debitae tali Principi adiunxit, *non est enim potestas nisi a Deo, quae autem sunt a Deo, ordinata sunt,* et infra, *Dei enim minister est.* » Et addit plura alia loca ex Scriptura et ss. Patribus.

(1) Sicut eam concipiebant tamquam *primitivam* et *originariam*, cui scilicet aliae succederent; ita eamdem concipiebant tamquam *ultimam* et *reliquam*, quae obtineret quando nullum iam in statu gubernium esset. Desinente quovis alio subiecto, concipiebant redire auctoritatem in totam communitatem tamquam in subiectum suum naturale et primitivum.

(2) De Laicis l. III. c. VI.

(3) Def. fidei l. III. c. 2. n. 9. seqq. Cf. etiam de leg. l. III. c. 2. n. 3. seqq. In seq. cap. 3. num. 6. rem explicat hoc utens exemplo: « Sicut homo, eo ipso quod creatur et habet usum rationis, habet potestatem in seipsum et in suas facultates et membra ad eorum usum, et ea ratione est naturaliter liber, id est, non servus sed dominus suarum actionum; ita corpus politicum hominum, eo ipso quod suo modo producitur, habet potestatem et regimen suiipsius et consequenter habet etiam potestatem et regimen super membra sua et peculiare dominium in illa. »

loquendo, debere se se privare suprema auctoritate (neque tam loquuntur de usu seu exercitio supremae auctoritatis, quae radicitus maneat in communitate, quam de ipsis iuribus constitutivis supremae potestatis) ita ut ea transeat in unum vel plures homines. Aiunt enim ius naturale dare quidem primo et immediate hanc potestatem communitati, non tamen absolute praecipere, ut in communitate semper maneat, quin imo persuadere contrarium. — « Ius naturae, ait Suarez (1), non obligat, ut suprema potestas vel per ipsam totam communitatem semper exerceatur vel in ipsa semper maneat: immo, quia moraliter difficillimum esset ita fieri (esset enim infinita confusio et morositas, si suffragiis omnium leges essent condendae), ideo statim

---

(3) De leg. l. III. c. 4. n. 1. — Billuart, loco nuper cit., sic pergit: « Societas, quam natura naturalisve ratio dictat ipsi necessariam, diu subsistere non potest, nisi aliqua publica potestate gubernetur, iuxta illud Proverb., *ubi non est gubernator, populus corruet.* Ex quo sequitur, quod Deus, qui dedit talem naturam, simul ei dederit potestatem gubernativam et legislativam : qui enim dat formam, dat etiam ea, quae haec forma necessario exigit. Verum, quia haec potestas gubernativa et legislativa non potest facile exerceri a tota multitudine (difficile namque foret, omnes et singulos simul convenire toties quoties providendum est de necessariis bono communi, et de legibus ferendis), ideo solet multitudo transferre suum ius seu potestatem gubernativam vel in aliquos de populo ex omni conditione, et dicitur Democratia, vel in paucos optimates, et dicitur Aristocratia, vel in unum tantum, sive pro se solo sive pro successoribus iure haereditario, et dicitur Monarchia. Ex quo sequitur omnem potestatem esse a Deo, ut dicit Apost. Rom. 13., immediate quidem et iure naturae in communitate, mediate autem tantum et iure humano in regibus et aliis rectoribus, nisi Deus ipse immediate aliquibus hanc potestatem conferat, ut contulit Moysi in populum Israel, et Christus Summo Pontifici in totam Ecclesiam. » — Cf. Bellarminum, de Laicis l. III. c. VI.

determinatur haec potestas ab hominibus ad aliquem ex praedictis modis gubernationis. » — Unde apparet, quo sensu formam democraticam vocent formam *naturalem*. Non sic eam appellant sensu *exclusivo*, ac si lex naturalis reiiceret seu prohiberet alias formas, et praeciperet ut suprema auctoritas immutabiliter permaneat in communitate. Sed sic eam appellant sensu *mere affirmante*, quatenus nimirum, ut Suarez (1) ait, « monarchia et aristocratia introduci non potuerunt sine positiva institutione divina vel humana, quia sola naturalis ratio nude sumpta non determinat aliquam ex dictis speciebus, ut necessariam... At vero democratia esse posset absque institutione positiva, ex sola naturali institutione seu dimanatione cum sola negatione novae seu positivae institutionis. » Et paulo inferius : « Potestas haec, prout a Deo immediate datur communitati, iuxta modum loquendi Iurisperitorum (2), dici potest de iure naturali

---

(1) Def. fidei l. III. c. 2. n. 8. Et num. sequenti ad rem illustrandam hoc addit exemplum : « Exemplum est de libertate hominis quae servituti opponitur: est enim de iure naturali, quia ex vi solius naturalis iuris homo nascitur liber, nec potest sine legitimo aliquo titulo in servitutem redigi: ius autem naturae non praecipit, omnem hominem semper manere liberum, seu (quod perinde est) non simpliciter prohibet, hominem in servitutem redigi, sed solum ut id non fiat vel sine libero illius consensu vel sine iusto titulo et potestate. Sic ergo perfecta communitas civilis iure naturae libera est, et nulli homini extra se subiicitur, tota vero ipsa habet in se potestatem, quae si non mutaretur, democratica esset, et nihilominus, vel ipsa volente, vel ab alio habente potestatem et titulum iustum potest tali potestate privari, et in aliquam personam vel senatum transferri. » Eadem fere habet de leg. l. III. c. III. num. 7.

(2) Cf. super. vol. 1. pag. 291. — Hinc vides hanc theoriam non contradicere thesi LXII, in qua diximus, ex recensitis formis nullam per se esse, quam lex naturalis praedeterminet ac praeexigat ut ne-

negative, non *positive*, vel potius de iure naturali *concedente*, non simpliciter *praecipiente.* »

7.°) Affirmant, quod semel ac communitas supremam potestatem in unum vel plures homines transmisit, ac proinde semel ac certa alia regiminis forma, monarchica vel polyarchica, est legitime constituta, iam communitas non potest sibi rursus vindicare auctoritatem et formam stabilitam immutare. « Postquam populus, inquit Suarez (1), suam potestatem in regem transtulit,

---

cessariam. « Sicut ratio naturalis, ita Suarez def. fid. l. III. c. 2. num. 8., non determinat ut necessariam, monarchiam vel aristocratiam, ita nec democratiam, imo multo minus istam, quia omnium imperfectissima est, ut Aristoteles testatur, et est per se evidens. » Quaeres, si imperfectissima omnium est, quomodo supponi potest, naturam ab illa initium ducere? Respondent veteres, hoc esse naturae proprium ut ab imperfecto ad perfectiora progrediatur: quare argumentum exinde desumunt ad veritatem suae theoriae ostendendam. Cf. super. vol. II. pag. 203.

(1) Def. fid. l. III. c. 3. n. 2. — Hisce verbis respondet Suaresius obiectioni Iacobi regis Angliae contra doctrinam Bellarmini. Obiectio erat haec (in praefatione monitoria praemissa libro, *apologia pro iuramento fidelitatis*): « Ubi vero fasces regios populo submitti debere disputat, hoc seditionum fundamento utitur, ut probet non regibus auctoritatem a Deo immediate, perinde ac pontificibus esse concessam. Nam rex quilibet, inquit, a populo suo eligitur: immo et populus numquam ita suam potestatem in regem transfert, quin illam sibi in habitu retineat, ut in certis casibus etiam actu recipere possit. Egregium profecto theologiae axioma et a factiosis ac rebellibus avidissime arripiendum, qui in Principes insurgere seque in libertatem vindicare, quandocumque ipsi voluerint, eo iure freti possunt. » Respondet autem Suaresius, negando, « ex ea doctrina occasionem rebellionum aut seditionum contra legitimos principes populo dari. » Et hic sequuntur verba, quae nos iam in textu adduximus. — Quibus addit haec alia: « Quod vero Bellarminus ex Navarro dixit, populum nunquam ita suam potestatem in principem transferre, quin eam in habitu retineat, ut ea in certis casibus uti

non potest iuste eadem potestate fretus suo arbitrio, seu quoties voluerit, se in libertatem vindicare. Nam si potestatem suam regi concessit, quam ille acceptavit, eo ipso rex *dominium* acquisivit; ergo quamvis rex habuerit a populo illud dominium per donationem vel contractum, non ideo licebit populo dominium illud regis auferre, nec libertatem suam iterum usurpare. Sicut particularis persona, quae suae libertati renuntiavit, et se in servum vendidit, aut donavit, non potest postea suo arbitrio se a servitute eximere. Idem ergo est de persona ficta seu communitate, postquam se alicui principi plene subiecit. Item postquam populus suam potestatem regi contulit, iam se illa privavit; ergo non potest illa fretus iuste in regem insurgere, quia nitetur potestate, quam non habet, et ita non erit usus iustus,

---

possit, neque contrarium est, neque fundamentum populis praebet ad se pro libito in libertatem vindicandum. Quia Bellarminus non simpliciter dixit, retinere populum potestatem in habitu, *ad quoscumque actus pro libito et quoties velit exercendos,* sed cum magna limitatione et circumspectione dixit, *in certis casibus* etc. Qui casus intelligendi sunt, vel iuxta conditiones prioris contractus, vel iuxta exigentiam naturalis iustitiae, nam pacta et conventa iusta servanda sunt. Et ideo si populus transtulit potestatem in regem, reservando eam sibi pro aliquibus gravioribus causis aut negotiis, in eis licite poterit ea uti, et ius suum conservare. Oportebit autem, ut de tali iure, vel antiquis et certis instrumentis vel immemorabili consuetudine sufficienter constet. Et eadem ratione si rex iustam suam potestatem in tyrannidem verteret, illa in manifestam civitatis perniciem abutendo, posset populus naturali potestate ad se defendendum uti, hac enim numquam se privavit. Extra hos vero et similes casus numquam licet populo a legitimo rege sua potestate fretus deficere, et ita cessat omnis seditionis fundamentum aut occasio. » Haec autem *historice* referimus, ut quidnam veteres dixerint ac senserit intelligatur: suis enim locis erunt perpendenda et examinanda.

sed usurpatio potestatis. » Et paulo inferius: « Non licet populo semel subiecto potestatem regis magis restringere, quam in prima translatione seu conventione restricta fuit, quia id non permittit lex illa iustitiae, quae docet, legitima pacta servanda esse, et donationem absolutam semel valide factam revocari non posse neque in totum neque ex parte, et maxime quando onerosa fuit. Imo nec leges principis iustas potest populus sua potestate nixus abrogare, sed solum tacito vel expresso eiusdem principis consensu fretus, ut s. Thomas docuit et nos alibi latius diximus. Unde non est simpliciter verum, regem pendere in sua potestate a populo, etiam si ab ipso eam acceperit, quia poterit pendere *in fieri,* ut aiunt, et postea non pendere *in conservari,* si plene et absolute illam accepit. Quocirca postquam legitime constitutus est, supremam habet potestatem in his omnibus, ad quae illam accepit, etiamsi a populo illam habuerit, quia lex iustitiae hoc exigit, ut declaravimus. » Similiter Molina (1): « Respublica non potest auferre potestatem concessam, vel eam minuere, aut legitimum illius usum impedire. » Afferri autem solet id, quod de Valentiniano narrat Sozomenus (2): « Cum Iovianum mori contigisset, exercitu Romano et iis, qui praecipuas dignitates gerebant, consilium ineuntibus, omnium suffragio Valentinianus eligitur imperator. Qui cum insignia Imperii suscepisset, vociferantibus militibus, ut alterum sibi Imperii consortem adiungeret: Vestri quidem, inquit, arbitrii fuit, commilitones, ut me imperatorem vestrum eligeretis. Sed, posteaquam elegistis, id,

(1) De iust. disp. XXIII.
(2) Hist. eccl. VI. 6.

quod vultis, mei arbitrii est, non vestri. Et vos quidem tamquam subditos quiescere decet, me vero utpote Imperatorem quid agendum sit spectare. Huiusmodi responso dato, tum quidem militibus minime obtemperavit. Paulo post tamen Constantinopolim ingressus fratrem imperatorem renuntiavit. »

8.°) Ex his omnibus colligunt, consensum seu electionem communitatis esse factum illud, ex quo immediate pendet determinatio formae specialis et certi subiecti. Aiunt, talem determinationem non fieri sine interventu humanae voluntatis: aiunt, fieri ex arbitrio humano. Ita Bellarminus (1): « Haec potestas in particulari est quidem a Deo, sed mediante consilio et electione hominum. » Et Suaresius (2): « Haec potestas ex natura rei est immediate in communitate: ergo ut *iuste* incipiat esse in aliqua persona tamquam in supremo principe, necesse est ut ex consensu communitatis illi tribuatur. » Et in compendio etiam Salmaticensi (3) quaestioni huic, an potestas legislativa civilis conveniat principi immediate a Deo, responsio haec datur: « Verius dicitur non *immediate* sed *mediante populi consensu* illam eos a Deo recipere. »

9.°) Hinc regnum saeculare et principatum ecclesiasticum, quem Summus Pontifex in Ecclesia Christi gerit, simul comparantes, plures assignant differentias, sed

(1) De Laicis, l. III. c. 6.

(2) De legib. l. III. c. 4. num. 2. — Et ibidem paulo superius dixerat: « Licet haec potestas absolute sit de iure naturae, determinatio eius ad certum modum potestatis et regiminis est ex arbitrio hnmano . . . . pendet tota haec res ex humano consilio et arbitrio. » — In cap. 4. n. 4., ait consensum reipublicae posse esse vel *exhibitum* vel *debitum*. Quae verba sunt bene notanda.

(3) Tract. III. de leg. cap. 2.

praesertim illam, quae ex diverso a Deo dimanationis modo petitur. « Non est, ait Bellarminus (1), eadem ratio Pontificatus et Regnorum. Nam Regna non sunt immediate a Deo instituta, sed ab hominibus, et ideo ab hominibus mutari possunt in alias regiminis formas. Pontificatus autem a Deo immediate institutus est, et ideo non potest ab hominibus immutari. » Et alio loco (2): « Sunt duae differentiae inter potestatem politicam atque ecclesiasticam. Una, *ex parte subiecti*: nam politica est in multitudine, ecclesiastica in uno homine tamquam in subiecto immediate. Altera, *ex parte efficientis*: quod politica universe considerata est de iure divino, in particulari considerata est de iure gentium, ecclesiastica omnibus modis est de iure divino et immediate a Deo. » Alio etiam loco (3): « Principatus saecularis institutus est ab hominibus estque de iure gentium: at principatus ecclesiasticus est a solo Deo et de iure divino. Ille regit homines, ut homines sunt, et magis ratione corporum quam animarum: iste vero regit homines, ut Christiani sunt, et magis ratione animarum quam corporum. Ille habet pro fine temporalem quietem et salutem populi: iste vitam et felicitatem sempiternam. Ille utitur naturalibus legibus et institutis humanis: iste legibus divinis et sacramentis divinitus institutis. Ille gerit bella cum hostibus paucis et visibilibus: iste cum invisibilibus et infinitis. »

---

(1) De Clericis, l. I. c. 28. — De discrimine inter regnum civile et principatum ecclesiasticum cf. Suarez, de leg. l. III. c. 3. num. 8., def. fid. cap. 3. num. ult.

(2) De Laicis, l. III. c. 6.

(3) De Rom. Pont., l. I. c. 7. — Quid intelligat Bellarminus per *ius gentium*, potest erui ex cap. 29. tract. nuper cit. de Clericis, ubi inquirit, an exemptio clericorum sit iuris divini naturalis.

Ad praedicta doctrinae capita theoria, non omnium quidem (1), sed multorum veterum breviter reduci videtur (2).—Bellarminus edidit (*primo*, sub nomine Matthaei Torti, postea, sub proprio nomine) responsionem ad librum Iacobi regis Angliae (inscriptum, *triplici nodo triplex cuneus*, sive, *apologia pro iuramento fidelitatis*). Inter alia, quae illius libri seu apologiae auctor in medium profert ex Bellarmini scriptis ad invidiam ei conflandam, sunt haec duo: 1.) Bellarminum dixisse (3), reges servos potius esse quam dominos: 2.) eumdem dixisse (4) quod regum auctoritas atque functio non immediate ex Deo descendat, neque ex iure divino, sed ex iure gentium. Ad 1.m haec legitur responsio: « sententiam Bellarmini ex s. Augustino desumptam esse, qui sic ait: Qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare. Ubi qui imperant non dicuntur servi, quasi subiecti sint populis, sed quia laborant regendo et imperando, non propter suam vel utilitatem vel cupiditatem, quod tyrannorum est, sed propter populi utilitatem et propter publicum bonum. » Ad 2.m respondetur, « Bellarminum id asserere ex communi sententia omnium pene scriptorum et ex ipso usu (5). Videmus enim regna in res-

---

(1) Vide locum Card. de Lugo, allatum pag. 186.

(2) De theoria hac veterum cf. Balmes, *il Protestantesimo* ecc. cap. XLIX-LIII.

(3) De laicis, l. III. c. 7. Locum iam attulimus sup. pag. 213. Pro sensu intelligendo illius loquendi modi cf. eumdem Bellarminum, de Rom. Pont. l. 1. c. 7.

(4) De clericis, l. I. c. 28.: de Rom. Pont. l. 1. c. 7. Quae loca attulimus iam pag. praeced. 231.

(5) Item Suarez, def. fid. l. III. c. 2. num. 13.: « Institutio seu determinatio aut translatio huius potestatis ad reges non a Deo immediate facta est, ut *ex usu ipso* constat. »

spublicas et respublicas in regna mutari, et tamen utrumque regimen aeque iustum haberi: quod nullo modo fieret, si regum auctoritas non ex humana voluntate, sed ex divino iure penderet. » — Ut autem hactenus dicta clarius adhuc intelligantur, aliqua addemus.

a) Quaenam est ratio, qua veteres moti sunt ad admittendum, supremam potestatem primo residere in tota civium communitate, tamquam in subiecto immediato? — Ii sic arguunt. De iure naturali existit in civili societate principatus politicus. Ergo vel existit in tota hominum communitate, vel existit in una singulari persona aut senatu determinato. Atqui non hoc secundum. Nam ex vi rationis naturalis nulla potest excogitari ratio, cur haec potestas determinetur ad unam singularem personam vel ad certum personarum numerum infra totam communitatem, magis quam ad alium: omnes enim cives sunt in natura aequales, omnes sunt aequaliter rectores familiae cui praesunt (1). Ergo si de facto invenitur in una persona physica, vel in senatu determinato, hoc erit ex vi alicuius expliciti vel impliciti, exhibiti vel debiti consensus communitatis.

b) Hoc etiam admisso, quod politica potestas non detur a Deo alicui personae sine interventu consensus seu electionis communitatis, cur nihilominus veteres, saltem plerique, non dicebant, praedictam potestatem

(1) « Nam, ita Salmaticenses l. nunc. cit., omnes homines sunt in natura aequales, nec unus est superior, nec alius inferior natura, nulli enim dedit natura supra alterum potestatem: sed haec a Deo data est hominum communitati, quae iudicans rectius fore gubernandam per unam vel plures personas determinatas suam transtulit potestatem in unam vel plures, quibus regatur, ut ait s. Thomas, 1. 2. q. 90. a. 3. ad 2.^m »

dari immediate a Deo personae a communitate electae? Nonne etiam Summus Pontifex a Patribus Cardinalibus eligitur, et tamen immediate a Deo accipit potestatem? — En responsio Suaresii (1): « Duobus modis potest actio aut voluntas humana intervenire in collatione potestatis a Deo ipso ducentis originem. Primo, solum designando vel constituendo personam, quae succedat in dignitate a Deo instituta, eodem prorsus modo, quo instituta est, et sine auctoritate vel potestate illam mutandi augendi vel minuendi. Atque hic modus quoad Pontificiam dignitatem servatus est in lege veteri secundum successionem carnalem: in lege autem nova fit per legitimam electionem, qua persona designatur. De hoc ergo modo successionis verum est, nihil obstare, quominus potestas a Deo immediate conferatur..... Alio ergo modo potest fieri collatio potestatis ab homine per novam donationem vel institutionem

(1) Def. fid. l. III. cap. 2. num. 16. — Suarez, in lib. III. de eg. c. 3. num. 2., haec verba habet: « communis sententia videtur esse, hanc potestatem dari immediate a Deo ut auctore naturae, ita ut homines quasi disponant materiam et efficiant subiectum capax huius potestatis, Deus autem quasi tribuat formam dando hanc potestatem. » At nota, hanc responsionem non dari a Suaresio huic quaestioni: utrum reges immediate a Deo habeant potestatem, an vero immediate a communitate. Alia omnino est quaestio, cui Suarez iis verbis respondet: nimirum, utrum homines quemadmodum sunt per consensum auctores communitatis perfectae; ita sint etiam auctores potestatis, quae in communitate ab ipsis effecta resultat. Id non satis animadverterunt Audisio, op. saep. cit., aliique, qui citata Suaresii verba adducunt. — Nec tamen negamus, alios auctores alio modo rem concipere et efferre, e. g. Salmaticenses, l. cit.: « Principes regendi potestatem habent a Deo, quia, supposita electione a republica facta, Deus illam potestatem, quae in communitate erat, Principi confert. »

ultra designationem personae, et tunc etiamsi talis potestas fundamentum habeat in aliqua donatione divina alteri facta, nihilominus collatio illa, quae postea fit, simpliciter est de iure humano et non divino, et immediate ab homine non a Deo etc. ». Patres quidem Cardinales eligunt Summum Pontificem, quin ei transmittant potestatem, quam scilicet non habent. At secundum sententiam veterum, communitas habet in seipsa potestatem, et hac utitur e. g. ad determinandam formam monarchicam potius quam democraticam repraesentativam, ad constituendum unum potius quam duos coetus pro exercitio legiferae potestatis. Potest communitas auctoritate seipsam privare apponendo conditiones sive temporis, e. g. ita ut post septennium in possessionem redeat suae potestatis, sive modi, e. g. dummodo leges quaedam fundamentales stabiliter serventur.

c) Sed tunc, curnam potestas haec dicitur *mediate* a Deo dari regibus? — « Mediate, ait Suaresius (1), dicitur Deus dare hanc potestatem regibus, — tum quia immediate dedit illam populo, qui in regem illam transtulit, — tum quia Deus etiam huic translationi proxime a populo factae consentit et cooperatur tamquam prima et universalis causa — tum denique quia illam approbat et servari vult. Sicut etiam lex humana immediate quidem obligat ex voluntate Principis humani ferentis illam, mediate vero etiam obligat ex vi voluntatis Dei volentis, ut legitimis Principibus obediatur, iuxta illud Petri, *Subiecti estote* etc. *quia haec est voluntas Dei.* » Haec autem sufficiunt, ut reges dicantur *ministri Dei.* « Ut

(1) Ibid. num. 13. Cf. etiam cap. III. num. 12.

autem, ait idem Suarez (1), reges dicantur ministri Dei, satis est, quod ab illo habeant potestatem, licet mediante populo. »

d) Curnam veteres non admittebant, progenitorem, e. g. Adamum, ex vi solius iuris naturae esse etiam regem suae posteritatis? — Responsio ex hisce Suaresii verbis (2) colligi potest: « Ex vi solius creationis et originis naturalis solum colligi potest, habuisse Adamum potestatem oeconomicam, non politicam. Habuit enim potestatem in uxorem, et postea patriam potestatem in filios quamdiu emancipati non fuerunt: potuit etiam decursu temporis habere famulos, et completam familiam, et in ea plenam potestatem, quae oeconomica appellatur. Postquam autem coeperunt familiae multiplicari et separari, singuli homines, qui erant capita familiarum, habebant eamdem potestatem circa suam familiam. Potestas autem politica non coepit, donec plures familiae in unam communitatem perfectam congregari coeperunt. Unde sicut illa communitas non coepit per creationem Adae, nec per solam voluntatem eius, sed omnium qui in illa convenerunt; ita non possumus cum fundamento dicere, Adamum ex natura rei habuisse primatum politicum in illa communitate. Ex nullis enim principiis naturalibus id colligi potest, quia ex vi solius iuris naturae non est debitum progenitori ut etiam sit rex suae posteritatis. » Et alio loco (3): « In familia

---

(1) Loc. nup. cit. — Vide de leg. l. III. cap. 4. num. 6.

(2) De leg. l. III. c. 2. n. 3. — Politica potestas differt a paterna multipliciter: praecipue ob independentiam quam in suo ordine habet, ob iura quibus pollet, ob finem in quem datur ac tendit etc.

(3) Def. fid. l. III. c. 2.

Adae vel Abrahae aut alia simili in principio obediebatur Adamo tamquam parenti seu patrifamilias; et postea crescente populo, potuit subiectio illa continuari et *consensus* extendi ad obediendum illi etiam ut regi, quando communitas illa coepit esse perfecta. Et fortasse multa regna, et in particulari primum regnum Romanae civitatis, ita inceperunt. ».

II. Pars altera. Exponitur theoria *de suprematia plebis* ad mentem Rousseau, prout hic eam tradidit, potissimum in libro, *du contrat social*, quem auctorem passim sequuntur recentiores. Quum vero de theoria hac iam locuti simus et fere omnia dixerimus in thesi quadragesima secunda, satis erit praecipua recolere.

1.°) In hac sententia, auctoritas ipsa civilis, in se spectata, undenam procedit? — Oritur ex eodem fonte, ex quo in sententia hac dicitur nasci civilis ipsa societas, i. e. a libero hominum consensu. Huc faciunt verba Rousseau (1): « Ce droit ne vient point de la nature: il est donc fondé sur des conventions. »

2.°) Et quid est suprema civilis auctoritas? — Est summa seu aggregatio omnium iurium, quibus pollent quibusque se exspoliant individua, quae socialem vitam paciscuntur, simul collectorum. « Potestas politica, ait Locke (2), est potestas illa, quam quilibet homo habet in statu naturae, et quam ipsi concrediderunt manibus unius societatis, et quam haec transmisit aliquibus du-

---

(1) *Du contr. soc.* l. 1. c. 1. « Potestas politica, ait Locke, *essay on civil government* ch. XIV., suam trahit originem a conventione et a mutuo consensu eorum, qui coiverunt ad efformandam societatem. » Ex hoc opusc. hausit Rousseau ideam ac principia fundamentalia sui operis, *du contrat social*.

(2) Op. et loc. nunc cit.

cibus electis, cum certitudine et sub conditione expressa vel tacita, quod exercebitur pro bono corporis politici et pro conservatione eorum, quae societatis membra possident tamquam propria. »

3.°) Ubinam residet potestas politica, tamquam in subiecto? — Permanet essentialiter et immobiliter in tota communitate. « La souveraineté, ait Rousseau (1), ne peut être représentée, par la même raison qu'elle ne peut être aliénée; *elle consiste essentiellement dans la volonté générale,* et la volonté ne se représente point: elle est la même, ou elle est autre: il n' y a point de milieu. »

4.°) Quid igitur in hac sententia sunt *gubernatores, principes, reges?* — Sunt, sic respondet Rousseau (2), « simples officiers du *souverain* (qui semper est et essentialiter est ipse *populus*): ils exercent en son nom le pouvoir, dont il les a faits dépositaires, et qu' il peut limiter, modifier et reprendre quand il lui plaît. » Et paulo inferius (3): « Quand donc il arrive que le peuple institue un gouvernement héréditaire, soit monarchique dans une famille, soit aristocratique dans un ordre de citoyens, ce n' est point un engagement, qu'il prend; c' est une forme provisionnelle, qu' il donne à l' administration, jusqu' à ce qu' il lui plaise d' en ordonner autrement. Il est vrai que ces changemens sont toujours dangereux, et qu'il ne faut jamais toucher au gouvernement établi que lorsqu' il devient incompatible avec le bien public: mais cette circonspection est une maxime de politique, et non pas une règle de droit;

(1) *Du contr. soc.*, l. III. c. 15.
(2) Ibid. c. 1.
(3) Ibid. c. 18.

et l' état n'est pas plus tenu de laisser l'autorité civile à ses chefs, que l'autorité militaire à ses generaux. » En quid sunt principes ac reges. Suntne saltem *repraesentantes populi?* « Les députés du peuple, respondet Rousseau (1), ne sont donc ni ne peuvent être ses représentans: ils ne sont que ses commissaires; ils ne peuvent rien conclure définitivement. Toute loi que le peuple en personne n'a pas ratifiée est nulle; ce n'est point une loi . . . . . . : à l' instant qu' un peuple se donne des représentans, il n' est plus libre; il n' est plus. »

5.°) Quodnam tandem est sententiae huius fundamentum, seu quaenam sunt rationes, quibus haec theoria innititur? — Sunt principia haec: 1.° Homo naturaliter est ens sibi sufficiens: 2.° Homo naturaliter est liber atque independens ab aliorum hominum voluntate, neque naturali huic independentiae potest valide renuntiare, se se alterius voluntati subiiciendo: 3.° Omnes homines sunt natura aequales. Ex priori illo principio concludunt, civilem societatem in se inspectam a libero hominum consensu natam esse, atque ex eodem fonte i. e. ex libera hominum conventione ortum ipsius civilis imperii seu ipsius politicae auctoritatis in se consideratae esse repetendum. Ex duobus aliis principiis concludunt, legitimam formam associationis esse illam solam, in qua nulla fiat iactura propriae naturalis independentiae, nulla detur subiectio voluntati alterius imperantis, sed quae ita sit comparata, ut unusquisque, omnibus aliis se iungens, tamen sibi soli pareat et liber maneat atque independens aeque ac antea: id autem obtineri, si unusquis-

---

(1) Ibid. c. 15.

que omnia sua iura cedat communitati: hanc vero iurium summam seu aggregationem, in communitate essentialiter et immutabiliter permanentem, esse supremam civilem auctoritatem. Hoc modo, aiunt, nemo subditur alteri a se adaequate distincto, sed tantum submittitur et obedit sibimetipsi: videlicet, unusquisque ut individua et privata persona subest sibi confuso cum massa communi. Hinc unusquisque dicere potest: in mente publica, quae iudicat, ego iudico: in voluntate publica, quae determinat, ego determino etc. Paucis verbis: ego sum subditus, ego sum princeps. Et sic servatur naturalis independentia ab aliis hominibus (1).

III. Pars tertia. Nemo non videt, multiplex et essentiale discrimen inter theoriam veterum et theoriam (ut eam brevitatis causa appellabimus) recentiorum. Hae sententiae differunt quam maxime inter se.

1.°) Differunt, inspectis iis, quae tradunt de ortu seu origine tum civilis consortii tum politici principatus in se considerati. — Pactum, quod recentiores praedicant et ex quo illorum ortum repetunt, veteres haudquaquam admittunt.

2.°) Differunt, inspectis iis, quae statuunt de natura ipsius politici principatus. — Contendunt recentiores, eam non esse, nisi summam facultatum seu iurium, quae singuli homines cedunt. Id autem veteres aperte negabant: secus, non dedissent civili potestati multa iura seu « plures actus, qui videntur excedere humanam facultatem prout est in singulis hominibus (2): » e. g. punire malefactores, etiam usque ad

(1) Pro iis, quae in altera huius theseos parte tradimus, cf. thesim iam cit. XLII.

(2) Verba sunt Suaresii, de leg. l. III. c. 3. n. 3.

mortem (1): constituere in materia aliqua medium virtutis necessarium ad honestatem eius: obligare in conscientia: vindicare iniurias singulorum etc.

3.°) Differunt, inspectis iis, quae affirmant de subiecto politici principatus. — Tantum abest, ut veteres arbitrarentur supremam potestatem non posse residere nisi in communitate, quae est recentiorum sententia, ut e contrario affirmaverint, « eam transferri a multitudine in unum vel plures eodem iure naturae (2): » dixerint, « rationem naturalem dictare non esse necessarium, imo nec conveniens naturae rationali habere hanc potestatem immutabilem in communitate (3): » existimaverint, monarchiam aliasque formas esse perfectiores democratia, ac proinde ita temperandam esse monarchiam, ut « postremo loco sit democratia, quippe quae in seditiones non raro degenerat (4). »

4.°) Differunt, inspectis iis, quae statuunt de principibus et regibus. — Hi pro recentioribus non sunt nisi ministri populi, eiusque mandatarii, qui a populo possunt pro libito deponi et si obsistant armis coerceri: quin id putari possit rebellio. Quid autem veteres? Affirmant (5), quod « translata potestate in regem, per illam rex efficitur superior etiam regno, quod illam dedit, quia dando illam se subiecit, et priori libertate privavit: » asserunt, regem supposita translatione « iam gerere vicem Dei et naturale ius obligare ad parendum

---

(1) Cf. super pag. 194. seqq.

(2) Ita Bellarminus, de Laicis l. III. c. 6.

(3) Ita Suarez, de leg. l. 3. c. 3. num. ult.

(4) Sic Bellarminus, de Rom. Pont. ab init. Cf, super pag. 201 et

(5) Quae subiicimus, sunt verba Suaresii, de leg. l. III. c. 4. num. 6., def. fid. l. III. c. 3. num. 12.

illi, » cumque « non posse illa potestate privari, quia verum illius dominium acquisivit, » ac tandem vere esse ministrum Dei, quia « a Deo habet potestatem, licet mediante populo. »

5.ª) Quod tandem attinet ad principia, quibus recentiorum theoria innititur, ea veteres vel prorsus reiiciebant, vel in alio omnino sensu admittebant. — Quod homo naturaliter sit ens sibi sufficiens, id veteres reiiciebant: affirmabant enim cum Seneca (1), naturam homini « duas res dedisse, quae illum obnoxium, validissimum faciunt, *rationem* et *societatem*. » — Porro ex naturali qua homo pollet libertate nullo modo inferebant id, quod recentiores colligunt, nempe repugnantiam legis, a qua homo in usu suae libertatis dirigatur et moraliter ligetur. En doctrina Bellarmini (2): « Cum libertas consistat in eo, ut possimus eligere bonum et reiicere malum, manifestum est, legem non pugnare cum libertate: non enim impedit, quominus possimus eligere bonum et reiicere malum, sed contra potius iuvat: nam praebet materiam exercendae libertatis. » — Homines autem esse naturaliter independentes, eo sensu veteres admittebant, quod omnes simus aeque immediate ordinati ad Deum tamquam finem ultimum: non vero hoc alio sensu, quo a recentioribus intelligitur, quod non simus subiecti, immo ne subiicibiles quidem auctoritati humanae, a qua in finem dirigamur.—De illo tandem principio, homines esse natura aequales, en verba Bellarmini (3): « non sunt aequales sapientia vel

(1) De benef. l. IV. c. 18.
(2) De Laicis l. III. c. 10.
(3) Ibid. c. 7

gratia etc. sed aequales *in essentia et specie humana*: ex qua aequalitate recte colligitur, non debere unum alteri dominari, quomodo homo dominatur bestiis, sed solum debere unum ab altero regi politice. » Id autem est directe contra sententiam recentiorum.

170. Scholion. Ut tota haec thesis clarius adhuc intelligatur, iuverit in mentem recolere theoriam (1), quam veteres haud pauci admiserunt ad originem dominii *privati* in res *stabiles* explicandam.

Affirmant α) ab initio seu in prima rerum origine omnia terrae bona *actu* pertinuisse ad omnes *collective* homines: β) ita tamen, ut humana communitas posset, naturali lege id omnino concedente, inducere dominia *privata* si haec viderentur utilia, immo deberet inducere si ea evaderent necessaria: γ) reapse, vix ac numerus hominum coepit augeri, communitatem, publica quiete ac prosperitate sic exigente, statuisse ac decrevisse, bona in medio ponere, ita ut iam essent *actu* nullius et in posterum fierent primi occupantis, per contractus autem aliave facta ab uno in alium transferrentur.

Vides profecto analogiam, quae intercedit inter theoriam hanc et sententiam veterum circa originem dominii iurisdictionis. Eodem fere pacto solvebant duas has quaestiones: — quomodo privata persona potest habere ius disponendi de re aliqua stabili tamquam propria — quomodo privata persona aut partialis civium coetus potest habere ius sibi proprium dirigendi actiones aliorum civium, ita ut hi teneantur illo et non alio modo agere. Et sane inde Suaresius (2) exemplum

---

(1) Cf. super. vol. II. pag. 302. Ibi de theoria hac iudicium aliquod protulimus.

(2) Def. fid. l. III. c. 2. num. 14.

sumit ad suam sententiam declarandam: « Potest hoc exemplo dominii humani circa res inferiores declarari. Simpliciter enim loquendo, omnes res, quarum homines habent dominium, ipsis a Deo donatae sunt, non tamen eodem modo. Nam immediate non dedit Deus (ordinarie loquor) alicui homini proprium et peculiare dominium alicuius rei, sed immediate omnia fecit communia, privata autem dominia partim iure gentium, partim iure civili introducta sunt; et nihilominus illa etiam privata dominia sunt mediate a Deo — tum quia ducunt originem a prima donatione Dei — tum etiam quia per suam generalem providentiam ad illa concurrit — tum denique quia illa servari vult postquam sunt constituta (vide super. pag. 235.). Sicque dixit Augustinus (1): *Unde quisque possidet quod possidet, nonne iure humano? Nam iure divino Domini est terra et plenitudo eius:* iure tamen humano dicitur, *haec villa mea est, haec domus mea, hic servus meus est.* Et infra concludit: *Ipsa iura humana per Imperatores et Reges saeculi Deus distribuit generi humano.* Ita ergo, proportione servata, Deus est qui distribuit regna et principatus politicos, sed per homines, seu consensus populorum, vel aliam similem institutionem humanam. »

Sed illud etiam profecto vides, theoriam hanc circa originem dominii privati in res stabiles tantum differre a sententia communistarum, quantum a sententia recentiorum differt theoria veterum circa originem dominii iurisdictionis in hac vel illa particulari persona residentis. — Quid sentiunt communistae? Sentiunt, naturalem legem praecipere, ut res omnes stabiles possi-

---

(1) Tract. 6. in Ioann. in fin.

deantur tantummodo a communitate. « *Les fruits sont à tous, la terre n' est à personne* (1). » Hoc autem non asseritur, immo aperte negatur in ea veterum theoria. — Item, quid sentiunt democratici recentiores? Sentiunt, naturalem legem praecipere, ut suprema potestas permaneat immutabiliter in communitate. Si communitas se privat suprema potestate, ac se submittit alicui, aut etiam ei spondet obedientiam, iam non est amplius communitas politica: « *si le peuple promet simplement d'obéir, il se dissout par cet acte, il perd sa qualité de peuple; à l'instant qu' il y a un maître, il n' y a plus de souverain, et dès lors le corps politique est détruit* (2). » Hoc sane non asseritur, immo aperte negatur in theoria veterum.

Restat, ut de duabus hisce theoriis, quae tantopere inter se differunt, iudicium feramus. Id autem duabus sequentibus thesibus praestabimus.

THESIS LXV.

I. *Theoria de suprematia plebis, seu opinio illorum recentiorum, qui aiunt esse de natura civilis auctoritatis, ut nonnisi in multitudine inhaereat, est falsa.* II. *Aeque falsum est populo inesse ius inalienabile suffragii universalis, quo possit receptam regiminis formam semper et ad libitum immutare, legitimosque principes deponere.*

171. Demonstratio. Hanc thesim quoad utramque quam continet partem breviter expediemus: siquidem ex dictis iam est satis manifesta.

---

(1) Ita Rousseau, *discours sur l'origine et les fondements de l'inégalité parmi les hommes,* part. sec., ab init.

(2) *Du contr. soc.,* l. II c. 1.

I. Theoria de *suprematia plebis* hoc tandem statuit, esse de natura auctoritatis civilis, ut nonnisi in multitudine inhaereat, seu unicam gubernii formam legitimam esse formam democraticam.

1.°) Haec opinio nullo innititur fundamento. — Etenim fundamenta essent principia illa, de quibus diximus saepius: scilicet, naturaliter omnes homines sunt liberi, omnes sunt aequales inter se, a nemine dependentes. Sed ex istis principiis, dummodo recto sensu intelligantur, assertio illa nullo prorsus pacto sequitur. — Omnes homines naturaliter sunt liberi, i. e. libero praediti arbitrio, quo possint eligere bonum et reiicere malum: hic est rectus effati huius sensus. Quidnam inde sequitur in favorem theoriae illius? Sub lege monarchae etiam absoluti manent liberi: si sub ea non manent liberi,ne remanent quidem liberi sub lege a communitate lata (1). — Omnes homines naturaliter sunt aequales, i. e. in essentia et specie humana (2). At quaenam exinde fluit conclusio? Haec tantummodo: non debere unum alteri dominari, eo modo quo homo dominatur bestiis (3), quae non sunt eiusdem cum ho-

---

(1) Vide locum Bellarmini, paulo ante allatum pag. 242. — Quem habitum seu influxum lex habeat ad voluntatem et libertatem, diximus saepius: cf. vol. I. pag. 133., vol. III. pag. 60. etc.

(2) Vide super. vol. II. pag. 154. — Dupliciter possunt homines considerari: *secundum speciem seu essentiam*, et tunc invenimus naturalem unitatem seu *aequalitatem*: *secundum individuum*, et tunc invenimus *diversitates*, e. g. in sapientia, divitiis etc. Huiusmodi diversitates sunt sub alio et alio respectu *accidentales* et *naturales*. Sunt accidentales, quatenus non constituunt essentiam, sed huic iam constitutae accedunt. Sunt naturales, quatenus sunt a natura i. e. a Deo naturae auctore intentae: etsi reapse non existant, nisi per immediatam dependentiam a facto humano.

(3) Vide Bellarmini verba, super. allata pag. 242.

mine naturae. Verum monarcha non dominatur subditis nisi politice: inservit iis quibus videtur imperare. Neque aliud inter regimen monarchicum et democraticum adest discrimen nisi hoc, quod in monarchico est unus homo, qui dominatur politice ceteris, in democratico est communitas considerata collective per modum unius corporis moralis, quae dominatur politice singulis corporis membris, i. e. sibi consideratae distributive in singulis membris (1). — Aiunt: Omnes homines naturaliter sunt ad invicem independentes, seu unus homo non est alteri subiectus. Si sermo sit de subiectione servili, eaque stricte dicta, quae scilicet descendat in totum hominem (2), propositio est vera: sed nihil, ut patet, potest exinde colligi in favorem theoriae, quam impugnamus. At si sermo sit de subiectione, quae in eo consistat, quod quis debeat ex alterius hominis praescripto operari, propositio est falsa. Subiectio filii ad patrem est naturalis, supposito naturali modo generationis. Subiectio uxoris ad virum est naturalis, supposito consensu: siquidem uxor naturaliter est « socia in generatione, subiecta in gubernatione (3). » Simili igitur modo, supposita societate civili, subiectio singularum personarum ad publicam potestatem seu principatum

---

(1) Ex his solvitur obiectio contra formam regiminis democraticam: quomodo communitas potest esse sibi superior? — Est sibi superior, quatenus sub alio et alio respectu consideratur. Spectata collective per modum unius corporis moralis est superior et imperat sibi consideratae distributive in singulis suis membris.

(2) Vide super. thes. LII. de servitute.

(3) Ita Bellarminus, de Laicis l. III. c. 7. Qui addit: « Illud autem, *sub viri potestate eris* (Gen. III. 16.), non significat quamcumque subiectionem, sed involuntariam et cum tristitia ac timore, qualem ut plurimum experiuntur mulieres coniugatae: ita docet s. Augustinus, lib. II. Genes. c. 37. »

politicum (quae subiectio, ut ex modo dictis patet, habetur etiam, si forma regiminis sit democratica) est naturalis: et praeterea, supposita electione vel aliquo alio facto humano, subiectio civium uni homini aut hominum coetui est naturalis. Etenim naturale est, non illud tantummodo quod procedit ex vi solius naturalis iuris, nude sumpti, sed illud etiam quod ex eo pendet consequenter ad electionem seu factum aliquod contingens(1).

2.°) Opinio, de qua agimus, cum nullo innitatur fundamento, est falsa. Etenim, quemadmodum diximus, eo redit, ut statuat, formam democraticam esse unicam formam legitimam. Quae assertio quantopere sit a veritate aliena, iam satis superque declaravimus (2). Democratia, quemadmodum paulo ante diximus cum Suaresio, « forma omnium imperfectissima est, ut Aristoteles testatur et est per se evidens. » Etenim si, auctore Tullio (3) « nullum est genus illarum rerum publicarum, quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praeceps ac lubricum: » democratia iter habet praeceps quammaxime et lubricissimum. « Iam Atheniensium populi potestatem omnium rerum ipsi, ne alios requiramus, ad furorem multitudinis licentiamque conversam, pestilentem appellant (4). »

3.°) Opinio haec, quam falsam esse diximus, est insuper perniciosa maxime atque bono communi opposita. Haec enim opinio absolute prorsus fasces regios populo

(1) Ex Suaresio, def. fid. l. III., legantur cap. I. num. ult. (iam a nobis allatus super. pag. 56.), et cap. II. num. 11.

(2) Vide super. thes. LXII., praesertim schol.

(3) De Republ.

(4) Ibid. — Gubernium Athenarum (a. Ch. 438-338) est in historia illud, quod democratiae purae magis accedit.

submittit: est proinde seditionum fundamentum a factiosis ac rebellibus avidissime arripiendum, qui sane in principes iusurgere seque in libertatem vindicare, quandocumque ipsi voluerint, eo iure freti possunt (1). — Dices: in hac etiam theoria, non voluntati uniuscuiusque, sed voluntati totius populi fasces regii submittuntur. Respondeo primo: quot quantaque facinora praetextu voluntatis popularis perpetrari non solent! Respondeo secundo: quod licite potest fieri, potest etiam licite desiderari, atque aliis suaderi. Ergo si voluntati populi fasces regii sunt submissi, licite poterit populus a demagogis incitari ad reges e medio tollendos, quotiescumque affulgeat spes felicis exitus. Sed tunc quaenam poterit esse pax in civitate, quaenam securitas, quaenam prosperitas? Sed iam ad alteram theseos partem veniamus, quae tamen vix a praecedenti differt.

II. Sunt qui contendunt, populo inesse ius essentiale et inalienabile suffragii universalis, quo semper et pro libito possit receptam regiminis formam immutare legitimosque principes deponere. Quae assertio vera esset, si vera foret theoria de essentiali et inalienabili populi suprematia. Atqui haec theoria est apprime falsa. Ergo non datur illud ius suffragii universalis. — *Minor* patet ex priori huius thesis parte, in qua non id quidem affirmavimus, fieri numquam posse ut auctoritas resideat in communitate (concedimus enim regimen democraticum non esse ex se illicitum); sed negavimus populum semper et in quavis hypothesi hanc auctoritatem possidere, neque illam unquam alienare aut amittere posse.

(1) Haec sunt Iacobi regis Angliae verba super. adducta pag. 227.

Obiiciunt. Auctoritas suprema est illius, a cuius natura resultat. Atqui resultat a societatis natura. Ergo auctoritas est societatis. Atqui auctoritas, quae est societatis, pertinet ad multitudinem. Ergo auctoritas natura sua pertinet ad multitudinem. Ergo essentialiter residet in multitudine. Distingue illud, *auctoritatem esse societatis*. Potest enim significare, *esse partem seu elementum constitutivum et essentiale societatis*, et sic propositio consequitur legitime ex praemissis et est vera: potest significare, *esse ius essentialiter residens in coetu eorum omnium qui societatem componunt*, et sic propositio nullo prorsus pacto ex praemissis consequitur et est apprime falsa.

Sed iam de theoria, quam plerique veterum admiserunt (1), iudicium aliquod feramus.

THESIS LXVI.

Quod spectat ad theoriam veterum, arbitramur, formam ac subiectum potestatis supremae posse variis modis, non autem exclusive ex consensu seu electione communitatis, legitime determinari.

172. Demonstratio. Sententia veterum non eas profecto continet falsitates, quibus (ut in thesi praecedente vidimus) scatet theoria recentiorum. Secus enim, non eam tantopere commendasset Suarez (2) hisce verbis:

---

(1) De hac theoria cf. Costa-Rossetti, Institut. Eth. et Iur. nat.

(2) Def. fid. l. III. c. 2. num. 2. — « Ceterum, inquit Liberatore, ius soc. num. 61. in fin., si cui magis arridet sententia Suaresii, is certo reprehendi non potest, cum pro se auctoritatem non modo

« Sententiam illustrissimi Bellarmini antiquam, receptam, veram ac necessariam esse censemus. »

Haec sententia huc breviter redit: « Potestas civilis, quoties in uno homine vel principe reperitur, legitimo ac ordinario iure, a populo vel communitate manavit, vel proxime vel remote, nec potest aliter haberi, ut iusta sit... Ut ista potestas incipiat esse in aliqua persona tamquam in supremo principe, necesse est ut ex consensu communitatis illi tribuatur (1). » In hac igitur sententia consensus seu electio communitatis est modus *unicus*, quo aliquis homo vel coetus hominum potest pervenire in legitimam civilis principatus possessionem.

De sententiae huius veritate nostris diebus multi, iique probati auctores dubitant. Etenim modi, quibus aliquis vel homo vel coetus hominum potest de novo ac legitime sibi acquirere supremam potestatem, *plures* esse videntur: ac praecipue, electio, iustum bellum, cessio seu donatio, necessitas publica (2).

---

tanti doctoris, sed etiam Bellarmini et aliorum praestantium theologorum habeat. » De aliquibus ex praestantibus hisce theologis mentionem iam fecimus. Ut alium insignem doctorem afferam, s. Alphonsus de Liguori, theol. mor. tract. de leg. n. 104., sic loquitur: « Certum est dari in hominibus potestatem ferendi leges, sed potestas haec quoad leges civiles a natura nemini competit nisi communitati hominum, et ab hac transfertur in unum vel in plures, a quibus communitas regatur. » — Elenchum horum auctorum tradit Costa-Rossetti, op. cit.

(1) Ita Suarez, de leg. l. III. c. 4. num. 2.

(2) Mentionem non faciam *de designatione alicuius in regem et collatione potestatis ipsi facta immediate ab ipso Deo*, neque *de successione haereditaria*. — Ad primum quod spectat, hoc licet aliquando sit factum, ut in Saul et Davide, tamen illud fuit extraordinarium

I. Electio. — Electio fit a communitate, quae, quando sit libera suique iuris, potest sibi eligere Principem, qui habeat vel ex toto vel ex parte, vel absolute vel certis sub conditionibus et restrictionibus, supremam auctoritatem. Tales erant Reges penes antiquos Germanos et Gothos, apud quos suffragium militum et optimatum Principem creabat. — Haec autem confirmamus verbis Leonis XIII, in epist. enc. *Diuturnum illud teterrimumque bellum*: « Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse in qubusdam caussis voluntate iudicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. » Nullum igitur dubium, quin *electio* esse queat titulus, vi cuius quis obtinet supremam potestatem. Notentur autem verba, quae a Summo Pontifice statim subduntur: « Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur iura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum. »

II. Bellum (1). — Quando princeps aliquis in bello *iusto* (2) alium statum profligavit, fieri potest, ut ius

---

et supernaturale quoad modum; iusta communem autem et ordinariam providentiam non ita fit, quia homines iuxta naturae ordinem non revelationibus, sed naturali ratione reguntur in his quae civilia sunt. — Quod spectat ad alterum, successio necessario supponit dominium in eo, cui succeditur, et ideo necessario deveniendum est ad aliquem, qui alteri non successerit. De illo ergo primo inquirimus, unde habuerit regnum et potestatem, quia non habet a se iure naturae; ergo successio non potest esse prima radix potestatis in rege. — Cf. Suarez, de leg. l. III. c. 4. num. 3. et 4.

(1) Cf. Suarez, de leg. l. III. c. 4. n. 4., def. fid. l. III. c. 2. n. ult. Vide etiam Liberatore, ius soc. num. 77.

(2) Oportet ut bellum sit iustum. « Saepius, ait Suarez def. fid. l. c., contingit occupari aliquod regnum per bellum *iniustum*, quo

habeat provincias, saltem aliquot, status illius retinendi sub sua ditione: sic autem in eas provincias imperium seu dominatum obtinebit iure belli seu victoriae, independenter a consensu communitatis. Fieri id potest, si praeter iustitiam belli accedant aliae causae, e. g. ratio poenae aut satisfactionis pro iniuriis illatis, securitas seu tranquillitas victricis gentis aut aliarum affinium nationum etc. — Id contingere posse admittit Suarez (1), « ut scilicet respublica antea non subiecta regi per iustum bellum subiiciatur. » Haec tamen animadvertit: « Illud autem semper est quasi *per accidens* in poenam alicuius delicti, et tunc ipsa tenetur parere et consentire subiectioni: atque ita etiam ille modus quodammodo includit consensum reipublicae, vel *exhibitum* vel *debitum* (2). Quamquam hic praecipue loquimur

---

fere modo clariora orbis imperia amplificata fuere, et tunc quidem in principio non acquiritur regnum, cum titulus iustitiae desit, successu vero temporis contingit, ut populus libere consentiat, vel ut a successoribus regnum bona fide praescribatur, et tunc cessabit tyrannis, et incipiet verum dominium et regia potestas. » Et Bellarminus, de Laic. l. III. c. 6. in fine: « Etiamsi initio qui regna constituerunt, fuerunt invasores, ut plurimum; tamen successu temporis fiunt vel ipsi vel successores eorum legitimi Principes, quia populi paulatim consentiunt. Hoc modo regnum Francorum nunc omnium consensu legitimum est, licet initio Franci iniuste Gallias occupaverint. Atque idem dici potest de regno Hispanico, quod ab invasione Gothorum coepit: et de regno Anglorum, quod coepit ab iniusta occupatione Anglosaxonum: et de ipso Imperio Romano, quod a Iulio Caesare patriae oppressore constitutum est; quod tamen postea adeo legitimum esse coepit, ut Dominus dixerit, Matth. XXII., *Reddite quae sunt Caesaris Caesari*, etc.

(1) De leg. l. c.

(2) Consensum esse *debitum*, significat rempublicam *sive velit sive nolit* subesse tali modo et non alio, seu gubernari eo determinato

de hac potestate, quatenus *per se* introduci potest, et dari uni homini. Ac denique si quis recte consideret, quando haec subiectio sit per iustum bellum ad unum regem, iam supponitur in eo potestas regia, per quam possit tale bellum indicere et illa solum est veluti *iusta extensio regni*: ergo semper reducenda est haec potestas regia ad aliquem, qui non per bellum, sed per iustam electionem vel populi consensionem illam comparaverit: ergo a sufficienti divisione recte concluditur, potestatem hanc a republica ad principem manasse. »

III. Cessio seu donatio.— Haec fieri quandoque potest ab eo, qui, cum sit legitimus ac plenus possessor alicuius status, transmittit libere alicui alteri tractatibus authenticisque conventionibus sua iura in perpetuum. — Cuius rei exemplum recens habemus in cessione Sabaudiae a Rege Sardiniae Napoleoni III. facta.

IV. Necessitas publica. — Haec potest initium dare iustissimo Principatus titulo, quando scilicet (auctoritate suprema amissa aut derelicta ab eo qui eam possidebat) societas in dissolutionem ac ruinam prolaberetur, nisi esset qui curam illius defensionemque susciperet, seque subiiciens pro salute publica omnibus gubernii oneribus

---

modo regiminis et non alio. Sed tunc cur a consensu seu electione origo determinati illius regiminis modi derivatur? Nonne satius est eam derivare a causis illis, quae consensum reddunt debitum? — Sic ex eo quod communitas *sive velit sive nolit* debet esse subiecta auctoritati alicui, concludimus merito, existentiam auctoritatis in se spectatae esse a consensu communitatis independentem. Cf. super. thes. IX. pag. 199., et praesertim locum Bellarmini ibi adductum. — Item non apte quis originem servitutis seu subiectionis servilis repeteret ex consensu semper et pro quocumque casu: quia scilicet quando servitus non est voluntaria sed coacta, e. g. ex sententia iudicis, adest consensus vel exhibitus vel *debitus*.

ac periculis, hoc etiam sibi promereretur, omnium gubernii iurium acquisitionem (1).

Non desunt auctores, qui quatuor iis quos enumeravimus *modis* seu *titulis* addant alios, ac praesertim *potestatem paternam* sive α) per se sumptam sive β) coniunctam cum dominio territoriali. — α) De potestate

---

(1) « Questi titoli, ait Brunengo, *orig. della sovranità temporale dei Papi* part. 2. cap. 3., si trovano tutti e quattro insieme mirabilmente concorrere nella creazione della sovranità dei Pontefici. — Vi fu l'elezione, perchè i popoli, dopo aver sostenuto nell'ordine civile e nel religioso oppressioni e tirannie infinite dai loro antichi signori, abbandonati finalmente da questi di ogni difesa e governo e perciò divenuti liberi, invocarono i Pontefici, e posero in lor mano la dittatura, per dir così, della salvezza publica, siccome quelli che soli potevano efficacemente procurarla. — Vi fu la conquista e la cessione e donazione autentica; perchè Pipino chiamato dai Papi in aiuto d'Italia contro i Longobardi, questi sconfisse in giustissima guerra, e le province loro ridotte e da lui col diritto della vittoria conquistate, cedette e donò con solennità di trattati e di giuramenti in perpetua signoria ai Papi. — Vi fu infine la legge suprema della pubblica necessità; perchè nell'abbandono in cui gl'Imperatori Bizantini avean lasciato Roma e l'Italia romana, mentr'era più che mai minacciata, assalita ed oppressa dai Longobardi, questa sarebbe caduta infallibilmente preda dei barbari e precipitata nell'ultima delle sociali sventure, che possano incogliere ad un popolo libero e signore di sè, quella cioè di perdere il proprio essere e socialmente morire, diventando servo altrui, anzi morire di morte violenta e crudele, diventando per aggressione armata schiavo di nemici barbari ed abborriti; se i Papi non fossero accorsi a sostenerla e difenderla, e siccome erano i soli capaci di salvarla, così non ne avessero generosamente assunto l'incarico; mercè il quale se per una parte essi si sobbarcavano a tutti i pesi e doveri della Sovranità, acquistavano per l'altra anco degnissimo titolo di venire dal voto dei popoli investiti di tutti i suoi diritti. » Quantum discrimen inter originem huius principatus et aliorum fere omnium ortum! Vide super. pag. 252. adnot. 2.

paterna per se sumpta, haec habet Liberatore (1): « Sicut familia adhuc independens, semen est civitatis futurae, ac famulorum et operariorum comitatu iam civitatem quamdam praebet inchoatam et veluti vagientem; sic paterfamilias, qui ei dominatur, non modo auctoritate paterna in filios gaudet, verum etiam ius possidet ordinandi totam multitudinem, quae familiam illam utcumque componit. Haec auctoritas, quae *domestica* dici potest, mox in *patriarchalem* et paulatim in *politicam* convertitur, prout ipsa domus vel familia, succrescentibus nepotibus et famulis et colonis, in tribum, in populum ac tandem in perfectam societatem civilem transformatur. Quare in quavis familia independente pater est, ut ita dicam, rex inchoatus, et veluti infans respectu maturae aetatis. Essentia in eo tota est, sed nondum evoluta; quia nondum explicatus est organismus in quem vim suam exerceat. » Sic fortasse multa regna inceperunt: non tamen, ut nobis videtur, ex iure vero ac proprio, quod progenitor habeat, ut sit eoipso rex suae posteritatis, sed ex eo quod posteri ultro consenserunt et libere elegerunt obedire communi progenitori, eique subesse, non iam amplius tantummodo ut patri, sed etiam ut regi. « In familia Adae, ut iam ex Suaresio diximus (2), vel Abrahae aut alia simili in principio obediebatur Adamo tamquam parenti seu patrifamilias; et postea, crescente populo, potuit subiectio continuari et *consensus* extendi ad obediendum illi ut regi, quando communitas illa coepit esse perfecta. Et fortasse multa regna, et in particulari primum regnum

(1) Ius soc. num. 57. — Vide quae paulo ante diximus ex Suaresio, pag. 236.

(2) Vide super. pag. nup. cit.

Romanae civitatis, ita inceperunt. » — β) De paterna autem potestate coniuncta cum dominio territoriali, haec habet Tongiorgi (1): « Quemadmodum ex domestica societate enascitur civitas, ita *vi dominii territorialis*, potestas paterna ad regiam potestatem evehitur. Si enim filii, adulta iam aetate, in territorio, quod genitor possidet, eo consentiente, cum suis familiis degere pergant, ab eo adhuc dependent. Si enim pater filiis, qui patriae potestati amplius non subiacent, eorumque familiis in suo fundo habitare permittit, sane leges aliquas conditionesque eis potest imponere, ac communi eorum bono prospicere naturali officio tenetur; proindeque ius habet ordinandi ad hunc finem eorum actiones. Quod quidem ius non est patria potestas, longe quoque differt a iure proprietatis, estque ipsa civilis potestas, quae ex essentia coniunctae multitudinis emergit et in communi parente suam sedem collocat *titulo iuris proprietatis*. Sic naturaliter consurgit *monarchia*, quae in primi stipitis haeredibus continuatur, absque ullo populi influxu, solo praeexistentis iuris titulo. » Sed illa hypothesis, quod communis progenitor tam vastum habeat sibique retineat dominium territoriale, ut filii vel maximo locorum intervallo disiungi, vel in eius fundo habitare debeant, non videtur probabilis neque rationabilis. Insuper dominus fundi alicuius poterit pro habitatione taxam exigere, non vero in incolas iura regia exercere. Quid autem, si circa originem dominii proprietatis theoria illa, de qua non multo ante mentionem fecimus (2), admittatur?

---

(1) Eth. num. 159. Hanc sententiam tenet quoque Taparelli, *saggio* ecc. dissert. II. cap. IX. num. 514. seqq.

(2) Vide super. pag. 243. — Non est cur multis refellamus

Quaeres tandem, quid sit sentiendum de argumento illo (1), quo tota veterum theoria innititur: « ex vi rationis naturalis nulla potest excogitari ratio, cur haec potestas determinetur ad unam personam vel ad certum numerum personarum infra totam communitatem magis quam ad alium (2). » — Scilicet, veteres sistebant in abstracta consideratione solius essentiae et speciei humanae, et in iis tantummodo spectandis iuribus congenitis, quae quodcumque factum adventitium antecedunt et ipsam naturam humanam consequuntur. Verum, ut iam alio loco (3) monuimus, in rebus humanis natura debet considerari, non iam solummodo *in abstracto*: sed etiam *in concreto* secundum circumstantias seu facta a quibus

---

sententiam illorum, qui arbitrantur, eum habere actuale ius regendi societatem, qui melius illam gubernare potest. Maior scilicet aptitudo praebet maiorem *eligibilitatem*, ubi qui gubernare debeat est eligendus. Non obstante maiori illa aptitudine, quam quis in se habeat, si eligendus non sit qui gubernare debeat, aut si quis reapse non eligatur, is sane non erit supremae auctoritatis possessor. « L'autorità, si dice, è stabilita dalla natura per ottenere il bene comune: dunque debb'essere posseduta da chi *meglio* può fare il bene comune. La conseguenza é falsa: giacchè quel *meglio* non si trova nell'antecedente, e l'argomento può paragonarsi al seguente. Il patrio potere è stabilito dalla natura pel retto allevamento dei figli: dunque appartiene a colui, che meglio può allevarli. In questo discorso ognun vede non solamente la falsità della conseguenza, ma anche l'equivoco da cui deriva la falsità. Ognuno sa risponderví che il patrio potere esiste nella società domestica pel bene dei figli: ma l'esserne investito non è effetto di questo bene, ma di un fatto precedente. Questo fatto è cagione del possesso: la natura poi del patrio potere è cagione che obbliga il possessore ad usarlo in pro dei figli. » Ita Taparelli, *saggio* ecc. dissert. 5. cap. 1.

(1) Vide super. pag. 233.

(2) Verba sunt Suaresii, def. fid. l. III. c. 2. n. 7.

(3) Vide super. pag. 158.

in individuo determinatur. Consequenter ad facta haec, fieri profecto potest, ut quamvis iura *congenita* sint in omnibus et singulis aequalia, tamen in uno sit ius aliquod *acquisitum* seu *adventitium*, quod non reperiatur in ceteris. Si naturam tali pacto consideremus, haudraro facile erit, videre rationem, cur suprema politica potestas independenter etiam a consensu multitudinis determinetur ad unam personam vel ad certum numerum personarum: talis ratio erit ius victoriae, ius ex cessione seu donatione ortum etc.

Ut igitur ad quaestionem in fine thesis sexagesimae sextae propositam (1) redeamus, determinatio subiecti seu formae specialis, in qua potestas suprema actuetur, non fit immediate ab ipsa naturali lege, sed a facto aliquo humano et contingente immediate dependet: hoc autem factum non est unicum, sed multiplex esse potest: non est solummodo electio, sed etiam potest esse iustum bellum, cessio seu donatio, necessitas publica.

Ut concludamus, ex dictis patet, quomodo distingui debeat propositio: *Auctoritas est a multitudine*. Distinguo: auctoritas in se spectata *nego*, determinatio formae, sub qua actuetur, et subiecti, cui inhaereat, *subd.* haec determinatio potest esse et aliquando est a consensu seu electione multitudinis *conc.* semper et necessario seu ex natura rei *nego*. Societas civilis debet non modo in *abstracto*, sed etiam *in concreto* spectari. Non sola iura *congenita* spectanda sunt, sed etiam iura *acquisita*: fieri autem potest, ut socii, etsi sint aequales quoad iura congenita, non sint tamen aequales quoad iura acquisita, sed sit in uno vel pluribus *ius aliquod praeexistens*, vi

(1) Vide super. pag. 222.

cuius in illo vel in illis actuetur politicus principatus, independenter etiam a ceterorum consensu seu electione.

THESIS LXVII.

Illud tandem in quavis theoria ratum fixumque esse debet, rebellionem contra legitimos supremae auctoritatis seu politici principatus possessores esse illicitam.

173. Demonstratio. *Rebellio* est renovatio belli: ii autem dicuntur *rebelles*, qui aliquando victi et in subiectionem redacti instaurant bellum ad priorem independentiam recuperandam. Ita, ex vi vocis: sensu enim generaliore per rebellionem intelligimus actum, quo subditi insurgunt contra Principem suum legitimum, sive is ex bello iusto sive ex quocumque alio sufficienti titulo habeat supremam potestatem, ad huius possessionem vi et armis ei eripiendam. Brevius, rebellio potest definiri: bellum reipublicae seu partis reipublicae contra regem. Loquimur autem in hac thesi de rege, qui nullo modo sit tyrannus, i. e. nec tyrannus quoad dominium et potestatem nec tyrannus quoad regimen, (ad alium enim locum spectat quaestio de tyranno usurpationis vel regiminis).

Talis rebellio est evidenter illicita.—α) Haec assertio, ait Suarez (1), « est certa: et inde constat, quia deest tunc et *iusta causa* et *potestas*.» Potestas inferendi belli non sufficit ad concludendam belli iustitiam, sed praeterea requiritur iusta causa. Quid igitur, si non modo haec, sed

(1) De charit. disp. XIII. sect. 8.

ipsa desit legitima potestas? — β) Et re quidem vera talis rebellio est iniuria. *Primo*, est iniuria in principem, qui privatur usu seu impeditur in exercitio supremae potestatis, quam iusto titulo possidet. *Secundo*, est iniuria in omnes alios subditos, qui suo legitimo principi fideles manent, quique ius habent ut ab illo, non autem ab alio quocumque gubernentur. *Tertio*, est iniuria, ex qua tamquam ex fonte derivant innumerae aliae iniustitiae, ut pacis perturbatio, amissio securitatis, communitatis in oppositas factiones scissio, iactura munerum ad quae magno cum labore quis pervenit. furta, calumniae, exilia, caedes etc. Haec enim aliaque iniqua facinora, quae in rebellionibus numquam non perpetrantur, sunt profecto imputanda auctoribus et fautoribus civilium seditionum.

Agens s. Thomas (1) de tyranno regiminis monet, ut tyrannis toleretur, tunc etiam quando praevalere quis possit contra tyrannum. Hanc autem praeter alias affert rationem: « siquidem ex hoc ipso proveniunt multoties gravissimae dissensiones in populo, sive dum in tyrannum insurgitur, sive post deiectionem tyranni, cum erga ordinationem regiminis multitudo separatur in partes. » Si, ne huiusmodi exoriantur dissensiones atque scissiones in populo, toleranda est ipsa regiminis tyrannis; multo magis, ne concordia inter cives ullo pacto imminuatur, relinquendus est princeps legitimus in pacifica possessione auctoritatis, quam recte satis ac sapienter exercet.

Itaque iniuste prorsus agunt. 1.°) ii, qui novam regiminis formam alterutra parte invita introducere ten-

---

(1) De Regim. Princ. l. 1. c. 6.

tant; 2.°) ii quoque, qui communitatis nomine et auctoritate subiectum supremae potestatis mutare (1) praesumunt. — Frustra in medium proferunt communitatis nomen et auctoritatem. Nam *primo*, supremam potestatem princeps non semper, ut iam ostendimus, habet ex consensu seu electione communitatis. Et *secundo*, tunc etiam quando princeps potestatem habet ex consensu communitatis, « non licet populo semel subiecto potestatem regis magis restringere, quam in prima translatione seu conventione restricta fuit (multoque minus, eam adimere), quia id non permittit lex illa iustitiae, quae docet, legitima pacta servanda esse, et donationem absolutam semel valide factam revocari non posse neque in totum neque ex parte et maxime quando onerosa fuit (2). » De quibus cum paulo ante dictum sit.

(1) Ergone numquam licet civitatis constitutionem mutare? Numquam id licet per actus, qui sint violatio legum iustitiae, qui sint defectio a fide data principibus, qui sint actus rebellionis. Verba iam attulimus Leonis XIII.: « Nihil est, cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, modo iustus sit et ad communem utilitatem intentus. Quamobrem, *salva iustitia*, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio aut maiorum institutis moribusque magis apte conveniat. » — Hic autem iuverit aliam addere animadversionem. S. Thomas agens de mutatione legum humanarum, in 1. 2. q. 97. a. 2., inquirit, utrum lex humana sit mutanda quando occurrit aliquid melius. Respondet autem, id fieri non debere, nisi duplici hac de causa, « vel ex hoc quod aliqua *maxima* et *evidentissima* utilitas ex novo statuto provenit, vel ex eo quod est *maxima* necessitas, ex eo quod lex consueta aut, *manifestam* iniquitatem continet, aut eius conservatio est *plurimum* nociva. » (Cf. vol. 1. pag. 396. adnot. 2.). Haec a fortiori exiguntur, quando agitur de ipso potestatis legiferae subiecto mutando, in hypothesi etiam quod mutatio possit ceteroquin fieri licite: debet scilicet maxima illa necessitas adesse.

(2) Verba sunt Suaresii. Cf. super pag. 229.

non est cur plura addamus. — Quaeres: quid si communitas non privavit se suprema potestate, quam iuste in seipsa ut supponimus habebat, sed eam sibi retinendo tantummodo eius usum seu exercitium aliquibus commisit: poteritne eos deponere, iisque alios substituere? — Respondeo, mutari tunc statum quaestionis. Iam non agitur de subditis, qui insurgunt in principem ad supremae auctoritatis possessionem ei eripiendam; sed agitur de principe seu supremae auctoritatis possessore, qui ministros suos per quos auctoritatem exercet mutare vult. Rebellio autem, ut diximus, est bellum subditorum contra principem ad eum ab imperio deturbandum.

« Quocirca, verba sunt Gregorii XVI. in enc. epist. anno 1832 data, et divina et humana iura in eos clamant, qui turpissimis perduellionis seditionumque machinationibus a fide in principes desciscere ipsosque ab imperio deturbare connituntur. » Item Pius IX. in Syllabo sub num. LXIII. hanc condemnat propositionem: « Legitimis principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet. » Hisce autem quaestionem de origine politici principatus absolvimus (1).

---

(1) Ad hanc quaestionem plenius intelligendam legantur ex s. Thoma sequentia loca *primae secundae*. Legatur q. 90. a. 3., ubi inquirit, utrum ratio cuiuslibet sit factiva legis. Legatur q. 97. a. 3. ad 3., ad quae doctoris angelici verba Suarez alludit l. superius cit. pag. 229. Legatur q. 105. a. 1., ubi de ordinatione populi Israel tractat. Insuper ex *secunda secundae* legatur q. 10. a. 10., de quo loco nos diximus super. pagina 199. adnot. 2. Ait, « dominium et praelationem introducta esse iure humano: » sed ius humanum ibi non opponit nisi iuri positivo divino, ut explicavimus. Cum hoc autem s. Thomae loco conferatur eiusdem doctoris alius locus, ex 1. 2. q. 94. a. 5. ad 3., in quo de distinctione possessionum et servitute loquitur.

b) De iuribus politici principatus.

THESIS LXVIII.

Inter iura, quae supremae auctoritati competunt, recenseri inprimis debet ius ferendi leges.

174. Demonstratio. Egimus de *origine* supremae auctoritatis, quae si *in se* consideretur, est immediate a Deo, si vero *in concreto* spectetur, variis factis seu modis determinatur ad certam formam certumque subiectum. — Agendum nunc est de *iuribus* supremae auctoritatis, atque inprimis de iure *ferendi leges.*

Naturae auctor Deus, quando alicui munus aliquod committit, ei etiam confert illas potestates, quae ad commissum munus rite implendum sunt necessariae. Atqui principi civili committit curam communitatis politicae, seu munus imponit eam adducendi ad proprii finis consecutionem: ad hoc autem munus rite implendum apprime necessaria est potestas proponendi civibus modum conspirandi in finem communem, eosque obligandi ad eum in suis actionibus sectandum. Ergo potestatem hanc principi civili proculdubio confert. Atqui potestas illa nihil est aliud, quam ius leges ferendi. Ergo principi civili ius confert ferendi leges.

Dices: modum tendendi in finem civibus proponit et praescribit lex naturalis. Ergo principi civili non competit, nisi ad summum potestas magis declarandi magisque urgendi ea, quae relate ad civilem societatem proponit ac praescribit lex naturalis. — Respondeo, legem naturalem, quae est *prima* ac proinde *generalis* lex, in proponendo civibus modum tendendi in finem

esse nimis indeterminatam, nec descendere ad particularia (in iis e. g. quae ad commercia et contractus civiles pertinent). Hinc fit, ut principis civilis potestas ad haec duo se extendat: 1.° ad naturales praescriptiones magis declarandas earumque observantiam magis urgendam: 2°. ad easdem insuper magis in individuo per speciales leges et pro varietate adiunctorum determinandas. — Illud scilicet idem in societate civili contingit, quod locum habet in communitate ecclesiastica. Ad rem Suarez(1): «Deus (ut supponimus) specialem congregationem fidelium, quae esset unum corpus, quod nunc Ecclesiam vocamus, instituit: et per legem a se latam non disposuit in particulari de omnibus, quae ad spirituale regimen Ecclesiae convenientia esse poterant, sed solum quaedam substantialia fundamenta huius spiritualis reipublicae instituit: reliqua vero per suos ministros et Ecclesiae pastores disponenda reliquit: tum ut suaviter et modo hominibus accommodato omnia ordinarentur, tum quia non poterant omnia in particulari ita determinari, ut essent immutabilia. Haec ergo

(1) De leg. l. 1. c. 3. n. 20. — Quam sint necessariae leges civiles, bene ostendit Bellarminus, de Laic. l. III. c. 11.: « Plurima sunt necessaria vel noxia bono communi, quae tamen non sunt bona vel mala ulli in particulari, nisi lege praecipiantur vel prohibeantur. Verbi gratia, tributum necessarium est regi, tamen si lex non adsit, non est necessarium ut ego solvam, nam parum prodest meum solius tributum Regi, neque ad me pertinet videre, quibus rebus indigeat respublica, et sic possent omnes dicere. Similiter noxium est reipublicae exportari aurum ex provincia, at non est noxium notabiliter, quod ego solus exportem meum aurum, et sic omnes dicere possent. Lex ergo necessaria est, quae generaliter praecipiens et prohibens publicae utilitati prospiciat. »

determinatio fit per leges canonicas, et ideo tam fuerunt necessariae in spirituali republica Ecclesiae, sicut civiles in temporali. » Quemadmodum Deus sic instituit et lege sua positiva regit Ecclesiam, ut locum relinquat legibus ab Ecclesiae capite proxime manantibus; ita idem Deus sic instituit et lege sua naturali regit civitatem, ut locum relinquat legibus a civitatis capite et rectore proxime manantibus.

175. Scholion. Ex dictis patet, leges civiles a lege naturali derivari, non tamen omnes eodem modo, sed alias *sicut conclusiones ex principiis,* alias vero *sicut determinationes quasdam aliquorum communium.* « Derivantur, ita s. Thomas (1), quaedam a principiis communibus legis naturae per modum conclusionis: sicut hoc quod est, *non esse occidendum*, ut conclusio quaedam derivari potest ab eo quod est, *nulli esse faciendum malum.* Quaedam vero per modum determinationis: sicut lex naturae habet, quod ille qui peccat puniatur: sed quod tali poena vel tali puniatur, hoc est quaedam determinatio legis naturae. Utraque igitur inveniuntur in lege humana posita. Sed ea, quae sunt primi modi, continentur in lege humana, non tamquam sint solum lege posita, sed habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali. Sed ea, quae sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent. » — Eamdem divisionem paulo aliter tradit Suarez (2) hisce verbis: « Duplex esse potest lex humana, etiam civilis. Una est *declaratoria* tantum obligationis naturalis, ut est lex civilis prohibens furtum

---

(1) In 1. 2. q. 95. a. 2. Cf. Suarez, de leg. l. III. c. 21. n. 10.
(2) Loc. nunc. cit.

vel homicidium vel usuras, et in universum omnis illa quae praecipit vel prohibet aliquid, quod per necessariam illationem deducitur ex principiis legis naturalis tamquam necessarium ad morum honestatem. Alia lex humana est, quae addit obligationem specialem, quae ex solis principiis naturalibus deduci non potest, nec evidenter, nec probabiliter, ut est lex prohibens ne arma nocte deferantur, vel ne res tales e regno extrahantur, et similia. » Hae autem posteriores leges sunt propriissime leges humanae.

Hinc clarius intelligitur id, quod alio loco iam tradidimus (1), videlicet, ius seu legem civilem duobus modis solere usurpari. *Primo*, accipitur *stricte* pro eo iure seu lege, quae est propria uniuscuiusque civitatis aut status. *Secundo*, accipitur *late* pro toto illo iure seu lege, qua civitas vel status regitur. Iamvero primo modo acceptum ius seu lex civilis distinguitur a iure seu lege naturali (2). Altero autem modo sumptum ius seu lex

---

(1) Vide super. vol. II. thes. II. pag. 24.

(2) « Privatum ius tripartitum est: collectum etenim est ex naturalibus praeceptis, aut gentium, aut civilibus.— Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit. Nam ius istud non humani generis proprium, sed omnium animalium, quae in terra, quae in mari nascuntur, avium quoque commune est. Hinc descendit maris et feminae coniunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio: hinc educatio. — Ius gentium est, quo gentes humanae utuntur: veluti erga Deum religio, ut parentibus ac patriae pareamus, ut vim atque iniuriam propulsemus. Ex hoc iure gentium introducta bella, discretae gentes, regna condita, dominia distincta, agris termini positi, aedificia collocata, commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutae. — Quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium civitatis est, vocaturque ius civile, quasi ius proprium ipsius civitatis. » Pand. lib. 1. tit. 1.

naturalis comprehenditur sub ius seu legem civilem: siquidem status quilibet regitur non solummodo iure sibi proprio, sed etiam iure naturali, quod plura generatim de societate ipsa civili praescribit. Hoc pacto ius civile aliquando dividitur in ius naturale et ius positivum: tunc scilicet altero, quem diximus, modo, ius civile spectatur.

Quae diximus, sic clare et apte exponit Aristoteles (1): Τοῦ δὲ πολιτικοῦ δικαίου τὸ μὲν φυσικόν ἐστι τὸ δὲ νομικόν, φυσικὸν μὲν τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή, νομικὸν δὲ ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐθὲν διαφέρει οὕτως ἢ ἄλλως, ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει, οἷον τὸ μνᾶς λυτροῦσθαι, ἢ τὸ αἶγα θύειν, ἀλλὰ μὴ δύο πρόβατα. Ius autem civile aliud *naturale* est, aliud *legitimum*. Naturale, quod ubique gentium eamdem vim obtinet, non quod ita vel decretum sit vel non decretum. Legitimum autem, quod ab initio hoc an illo modo fiat nihil refert, quum vero constitutum fuerit, tunc demum refert; quale est istud, mina captivum redimere, aut capra sacrificare, non ovibus duabus. — Duo exempla iuris civilis legitimi Philosophus affert. Primum est Lacedaemoniorum apud quos haec lata fuit lex, ut captivi redimerentur una mina seu libra argenti, hoc est centum denariis. Alterum est Thebaeorum in Aegypto, qui statuerunt, ut Diis sacrificaretur una capra, non autem duae oves. Concludit autem, ea esse universim de iure positivo, quae publicis decretis statuuntur et iuri naturali superadduntur.

---

(1) Ethic. V. 7. Cf. super. vol. 1. pag. 292. Cf. etiam ibidem pag. 270., ubi alium Philosophi locum adduximus.

THESIS LXIX.

I. *Ius leges ferendi, quod principi civili competit, certis est limitibus circumscriptum.* II. *Hos porro limites legislatio civilis praecipue habet α) ex parte legis divinae, cui nequit adversari: β) ex parte boni communis, cui debet conducere: γ) ex parte aliarum potestatum a Deo institutarum, quas debet in suorum iurium exercitio liberas relinquere: δ) ex parte subditorum, quibus debet onera secundum aequalitatem proportionis imponere.*

176. Demonstratio. Vidimus, principi civili competere ius leges ferendi. Nunc autem de hoc iure duo inquirimus. — utrum habeat, — quosnam habeat limites.

I. Pars prior. « Nescio quomodo, inquit Tullius (1), nihil tam absurde dici potest quod non dicatur ab aliquo philosophorum. » Quid sane magis absurdum. quam affirmare, ius leges ferendi, quo princeps civilis pollet, nullis esse limitibus circumscriptum? Tamen non defuerunt, qui id adstruerent, qumadmodum ex sequentibus propositionibus in Syllabo (2) condemnatis patet: « Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet, nullis circumscripto limitibus. Minime opus est, ut humanae leges ad naturae ius conformentur. Civiles leges possunt ac debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare. »

Falsum est reipublicae statum esse omnium iurium

(1) De divinat. lib. II. c. 58.
(2) Prop. XXXIX. XLVI. XLVII.

originem et fontem. Ut enim suo loco vidimus (1), omnium iurium origo et fons non est nisi Deus eiusque aeterna lex (2). Ius igitur civile est ius a Deo *receptum* et *participatum*. Cum tale sit, est eoipso *limitatum* et *finitum*.

Ius quidem divinum, cum non sit ab alio, non habet a quo limitetur aut mensuram accipiat, ac proinde manet illimitatum in amplitudine sui conceptus: e contrario ius civile, et generatim ius quodvis humanum, cum sit a Deo, limitatur secundum modum, quem ei imponit divina sapientia. Et re quidem vera ius humanum illimitatum foret ius ita participans ius divinum, ut magis participari nequeat. Exinde autem sequeretur ius divinum esse ius finitum. Ius enim, quod ita partipatur, ut magis participari nequeat, est ius limitatum: eo pacto, quo finitus est fons, ex quo ita aqua hauritur, ut magis hauriri nequeat. Falsum est hoc consequens: ergo illud etiam antecedens, ex quo tale consequens legitime descendit, est falsum (3).

Pars altera. Cum ius, quod principi civili competit ferendi leges sit proculdubio suis circumscriptum confiniis seu terminis, de hisce limitibus quaeritur, quinam ii sint. Sunt autem praecipue quatuor sequentes.

---

(1) Vide vol. II. thes. IV.

(2) Lex aeterna est suprema lex. — Aiunt quidem, *voluntatem populi publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam.* — Si hoc verum esset, voluntas populi (in qua, ut adstruit Rousseau consistit essentialiter suprema potestas, *la souveraineté*) esset fons omnium iurium et officiorum. Sed id est apprime falsum: est error, quem confixit Pius IX. in epist. enc. *Quanta cura.*

(3) Vide quae de iuris, ut vocari solent, *attributis* diximus, quorum primum est *limitatio*: cf. vol. II. pag. 72. seqq.

Primum limitem lex civilis invenit in lege divina, cui scilicet nequit adversari: « si in aliquo a lege naturali discordet, iam non erit lex, sed legis corruptio (1). » Et sane si ab ea discordaret et nihilominus lex esse non desineret, hoc haberemus, quod lex inferior praevaleret contra legem altiorem. Idem evidenter etiam colligitur ex eo, quod vidimus in thesi praecedente, nimirum legem civilem, quae talis revera sit, derivari a lege naturali vel per modum conclusionis vel per modum determinationis, seu esse vel declaratoriam vel determinativam legis naturalis.

Alterum limitem lex civilis invenit in fine consortii civilis, cui scilicet debet conducere. Eatenus enim, ut pariter in thesi praecedente vidimus, praeses civitatis habet a Deo potestatem seu ius imponendi leges, quatenus habet a Deo officium seu munus adducendi communitatem sibi commissam ad finem, quod munus sine tali potestate seu iure non potest implere.

Tertium limitem lex civilis invenit in aliis potestatibus, quae ab ipso Deo sint institutae. Quamvis aliquid conducat aut etiam necessarium sit ad finem civilis consortii obtinendum, tamen si pertineat ad ordinem altiorem, si ipsius cura sit a Deo directe commissa alicui alteri potestati (e. g. ecclesiasticae vel domesticae), iam de illa re non poterit princeps civilis suis legibus directe disponere (2). Recta e. g. matrimonii ordinatio confert ad finem consortii civilis. Sed matrimonium, cum a Christo Domino sit elevatum ad rationem et dignitatem sacramenti, pertinet ad ordinem altiorem, i.

(1) In 1. 2. q. 95. a. 2.

(2) Vide quae de hac re diximus super. hoc vol. pag. 128.

e. religiosum et sacrum. Ergo statuere conditiones necessario implendas ut licite ac valide contrahatur, itemque iudicare utrum valide contractum fuerit necne, spectat, non ad potestatem civilem, sed ad potestatem ecclesiasticam, cui ordinis religiosi et sacri cura est commissa. Si illiusmodi conditiones princeps civilis vellet statuere, et illiusmodi ferre iudicia, iam suae potestatis ambitum excederet. Similiter, institutio et educatio filiorum a lege altiori, i. e. a lege ipsa naturali, directe et proprie commissa est parentibus. Ergo nequit princeps civilis munus illud directe sibi assumere, nequit leges ferre, qnae impediant quominus parentes munus illud sibi directe a natura commissum libere impleant.

Quartum quoque limitem lex civilis invenit in ipsis subditis, a quibus exigere quidem potest, ut concurrant et adlaborent ad bonum commune, sed diversimode pro diverso gradu facultatum seu virium quibus sunt instructi, ita ut aequalitas proportionis, quam iustitia distributiva spectat, servetur. Aequalitas autem proportionis duo exigit: α) ut onera iis omnibus imponantur, ad quos materia legis pertinet, nisi rationabili de causa exceptio fieri conveniat: β) ut onera, v. g. tributum, iisdem imponantur secundum aequalitatem non arithmeticam, sed geometricam, habita nempe ratione virium et facultatum uniuscuiusque: adeo ut si alicui habenti vires ut mille, onus imponatur ut decem, alteri habenti facultatem ut centum, onus imponatur ut unum.

Hi sunt praecipui limites intra quos principi civili confertur a natura ius ferendi leges. Hos limites nequit princeps civilis praetergredi: in legibus ferendis debet intra eos se continere.

THESIS LXX.

I. *Leges civiles, si princeps in iis ferendis praescriptos suae potestatis limites non praetergrediatur, censeri debent iustae.* II. *Quando autem sunt iustae, moralem inducunt obligationem ponendi id quod praecipiunt, vel illud quod prohibent omittendi.* III. *Eaedem, si id sufficienter exprimant, reddunt actum invalidum et irritum.* IV. *Nec solum leges mixtae dari possunt, sed etiam mere poenales.*

177. Demonstratio. Haec thesis, ut ex eius enunciatione liquet, quatuor quaestiones solvit.

I. Quaeritur *primo*, quandonam leges civiles sint iustae, quando vero iniustae.

α) Bonum est ex integra causa, malum ex quovis defectu. Quare leges civiles tunc sunt iustae, quando in nullo deficiunt, ac proinde quando divinae legi non adversantur, fini civilis consortii conducunt, ambitum potestatis ferentis non excedunt, onera subditis secundum aequalitatem proportionis imponunt. Tunc scilicet sunt iustae, quando in iis ferendis princeps civilis nullum praetergreditur ex iis limitibus, intra quos a natura potestas legislativa ei conceditur.

β) Inde autem manifeste patet, quandonam e contrario leges civiles sint iniustae. Apte s. Thomas (1): « Iniustae sunt leges dupliciter. Uno modo *per contrarietatem ad bonum humanum*: vel ex *fine*, sicut cum aliquis praesidens leges imponit onerosas subditis, non perti-

(1) In 1. 2. q. 96. a. 4.

nentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam utilitatem vel gloriam: vel etiam ex *auctore*, sicut cum aliquis legem fert ultra commissam sibi potestatem: vel etiam ex *forma*, puta cum inaequaliter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune... Alio modo leges possunt esse iniustae *per contrarietatem ad bonum divinum*, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam vel ad quodcumque aliud, quod sit intrinsece malum. »

II. Quaeritur *secundo*, utrum leges civiles moralem inducant obligationem.

α) Quod attinet ad leges iniustas, et quidem per contrarietatem ad bonum seu legem divinam, eae destituuntur prorsus obligandi vi (nullus enim legislator inferior et dependens potest praevalere et obligare contra legem et voluntatem legislatoris supremi, a quo potestatem obligandi accipit), immo non possunt a subditis observari (praevalet enim lex altior divina, cuius vim obligativam non tollit contraria lex inferior humana, ea ratione, qua lex regis praevalet supra contrarium praeceptum praetoris, cui sane non possunt cives obedire contra mandatum regis). « Tales leges, inquit s. Thomas (1), nullo modo licet observare, quia, sicut dicitur Act. IV.: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* » Qua de re en praeclara prorsus s. Augustini verba (2): « Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit (3). Sed si illud iubeat, quod non debeas facere? Hic sane contemne potestatem. Timendo potestatem, ipsos huma-

(1) Loc. nunc cit.

(2) De verb. Dom. in ev. sec. Matth. serm. VI.

(3) S. Paulus in epist. ad Rom. cap. XIII. v. 2.

narum rerum gradus advertite. Si aliquid iusserit curator, nonne faciendum est? Tamen si contra proconsul iubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis maiori servire. Nec hic debet minor irasci, si maior praelata est. Rursum si aliquid ipse proconsul iubeat, et aliud iubeat imperator, numquid dubitatur, illo contempto, isti esse serviendum? Ergo si aliud imperator et aliud Deus, quid iudicatis? Solve tributum, esto mihi in obsequium. Recte, sed non in idolio. In idolio prohibet. Quis prohibet? Maior potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minitatur. »

Quod autem spectat ad leges iniustas per contrarietatem ad bonum humanum, « huiusmodi, ait s. Thomas(1), magis sunt violentiae quam leges: quia, sicut s. Augustinus dicit (2), *lex esse non videtur, quae iusta non fuerit.* Unde tales leges non obligant in foro conscientiae, nisi forte propter vitandum scandalum vel turbationem: propter quod etiam homo iuri suo cedere debet secundum illud Matth. V., *Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo, et qui abstulerit tibi tunicam, da ei et pallium.* »

Ut autem recte monet Suarez (3), « necessarium est, ut de iniustitia legis certo moraliter constet. Nam, si res est dubia, praesumendum est pro legislatore, — tum quia habet altius ius et illud possidet, — tum etiam quia regitur altiori consilio et potest habere rationes universales subditis occultas, — tum etiam quia tunc subditi sumerent nimiam licentiam non parendi

---

(1) Loc. nup. cit.

(2) Lib. I. de lib. arb. cap. 5.

(3) De leg. l. 1. c. 9. n. 11.

legibus, quia vix possunt esse tam iustae, quin possint ab aliquibus per apparentes rationes in dubium vocari. »

β) Sed iam de legibus iustis loquamur. Hae, inquit s. Thomas (1), « habent vim obligandi in foro conscientiae a lege aeterna, a qua derivantur, secundum illud Proverb. VIII.: *Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt.* »

Veritatem hanc probat Suarez (2) quatuor rationibus. — 1.°) Etiam legislator civilis fert legem ut minister Dei, et per potestatem ab Ipso acceptam. Ergo obligat in conscientia ad parendum. Patet consequentia. Quia qui resistit ministro regis in eo, in quo minister est, et quatenus repraesentat personam regis, plane censetur resistere ipsi regi: ut patet ex consensu omnium hominum, et ex illo Reg. I. 8.. *Non te abiecerunt sed me.* Ergo in trangressione talis legis intercedit Dei offensio et iniuria: ergo laeditur conscientia: ergo lex ipsa in conscientia obligabat (3). — 2.°) Ius divinum et naturale dictat, servandas esse iustas leges a legitimis principibus positas. Ergo qui illas non servat, agit contra divinam voluntatem, iuxta verbum Petri, *Haec est enim*

(1) Loc. iam saep. cit.

(2) De leg. lib. III. cap. 21. num. 6. seqq.

(3) Hanc Suarez sibi obiicit difficultatem: « Dicet aliquis: Potestas civilis non est immediate a Deo, sed a communitate hominum. Ergo potuerunt homines conferre hanc potestatem limitatam, nempe ad ferendas leges cogentes alio modo, non tamen in conscientia obligantes. » Sic autem respondet: « Respondetur primum, etiam admisso illo casu, non deesse in tali republica potestatem ad ferendas leges obligantes in conscientia, sed illam permansisse in tali communitate, et non fuisse translatam in principem. Inde vero potius sequitur, in illo casu eum non esse principem perfectum, nec habere potestatem gubernativam absolute et simpliciter, sed tantum

voluntas Dei, et iuxta verbum Christi, *Quaecumque dixerint vobis facite.* Ergo illa transgressio est vera culpa et peccatum, atque adeo contra obligationem in conscientia. Atque hoc sensu dixit s. Thomas, legem humanam obligare in conscientia, quatenus participat legem aeternam et naturalem, id est, quatenus in voluntate Dei et in dictamine rationis naturalis nititur; hoc enim principium, *obediendum est iustis praeceptis principum,* naturale est (1). — 3.°) Etiam in inferioribus et imperfectis communitatibus est necessaria vis praecipiendi obligando in conscientia. Hac enim ratione pater potest obligare filium, adeo ut Deuteron. XXI. dignus morte iudicaretur filius non obediens praecepto patris. Et similiter uxor in conscientia tenetur obedire marito, iuxta illud Pauli ad Col. V., *Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet in Domino:* et reddit rationem, *quoniam vir caput est mulieris.* Multo autem magis rex est caput reipublicae temporalis. Similiter etiam servus tenetur in conscientia parere domino, ut plane docet s. Paulus. Et in religionibus sine aliqua obligatione huiusmodi, non posset consistere perfecta gubernatio. Ergo signum est, multo

---

secundum quid. Et ideo quoties respublica constituit sibi regem cum vera potestate suprema, necessario confert illi hanc potestatem. An vero possit talis modus potestatis, et actus eius intelligi sine aliqua nova obligatione in conscientia, patebit magis ex sequentibus disputationibus. »

(1) Nec vero inde inferas, culpam illam esse proprie contra legem naturae, vel obligationem ad actum praeceptum lege humana esse naturalem; quia lex humana se habet ut causa proxima et secunda, quae nititur in lege aeterna tamquam causa prima: effectus autem, qui proxime est a causa secunda, ita ut a prima non fieret, nisi per illam, secundae simpliciter tribuitur: et ideo obligatio haec, etiamsi sit in conscientia, simpliciter est a lege humana.

magis esse necessariam in communitate perfecta, etiam ad eius temporalem gubernationem. — 4.°) Gubernatio sine potestate cogendi inefficax est, et facile contemnitur. Coactio autem sine potestate obligandi in conscientia, vel est moraliter impossibilis, quia coactio iusta supponit culpam, quod est valde probabile, vel certe est valde insufficiens, quia per eam non posset in multis casibus necessariis sufficienter reipublicae subveniri.

Obiiciunt (1). — 1°.) Potestas politica est temporalis. Ergo non potest ligare in conscientia. Responsio. Potestas politica dicitur temporalis *ratione obiecti* seu *materiae*: versatur enim circa res temporales. At *in se* est quid spirituale: est enim potestas legitima seu moralis. Cum in se sit quid spirituale, potest obligare: cum autem versetur circa res temporales, non potest obligare nisi ad actus temporales. « Ligare conscientiam, ait Bellarminus, non est aliquid efficere in rem spiritualem, sed solum imperare alteri, et sic imperare, ut si is non obediat peccet, et testimonio propriae conscientiae intelligat vel intelligere possit, se peccare. Itaque quicumque potest iubere, potest ligare conscientiam. » — 2.°) Finis legum civilium est pax externa, non autem pax conscientiae. Responsio. Leges civiles habent quidem pro fine pacem externam, sicut habent pro materia seu obiecto res temporales et exteriores: nihilominus in conscientia nos obligant, ut pacem externam servemus, ut actus exteriores ad eam pacem necessarios atque praescriptos ponamus. — 3.°) Princeps saecularis

---

(1) De his obiectionibus cf. Bellarminum, de Laicis l. III. c. 9. et 11.: Suarez, de legibus l. III. c. 21.: Becanum, de leg. cap. VI. quaest. 2.

non iudicat de internis, sed solum de externis. Responsio. Non est necesse, ut princeps saecularis iudicet de internis, sed satis est, quod imponat legem externam, quae in conscientia coram Deo (qui de internis aeque ac de externis iudicat) nos obliget. — 4.°) Non potest princeps saecularis infligere poenam spiritualem: ergo nec obligare ad illam. Responsio. Dupliciter potest aliquis fieri reus poenae ex transgressione legis. *Primo*, quia lex illa, ut est a proximo legislatore, *directe* imponit talem poenam. *Secundo*, inferri potest reatus poenae solum *consecutione* quadam. Priori modo verum est, non posse legislatorem obligare ad poenam, quam nullo modo potest infligere: posteriori autem modo falsum est. Lex autem civilis non obligat sub poena inferni vel purgatorii priori modo, sed tantum posteriori modo, et ideo ratio non procedit. Ita Suarez (1). — 5.°) Non potest princeps civilis, absolvere in conscientia: ergo nec ligare. Responsio. Illa duo *obligare* et *remittere* non sunt per se ac necessario connexa: nam homo potest se voto obligare, et non potest obligationem sibi auferre. Maxime autem hoc verum est, quando obligatio

---

(1) Haec porro addit: « Ut autem huius rei ratio a priori intelligatur, advertendum est, interdum posse superiorem principem seu legislatorem imponere poenam sibi propriam seu reservatam suae iurisdictioni pro transgressoribus legum suorum gubernatorum; et tunc, quamvis gubernator seu legislator inferior per suam legem directe non imponat talem poenam, nihilominus ex transgressione illius legis per necessariam consecutionem incurritur reatus illius poenae in virtute legis latae a superiori principe. Ita ergo est in praesenti. Nam Deus voluit observari leges a suis ministris latas etiam sub poena alterius vitae, quia transgressiones earum continent veram culpam, et in offensionem ipsius supremi legislatoris redundant. »

non directe ponitur, sed consequitur aliunde. Nam tunc non inducitur principaliter ex potestate solius proximi legislatoris, sed maxime virtute Dei (1). — 6.°) Non intendit princeps civilis ligare sub peccato. Responsio. Ex intentione legislatoris pendet, an velit revera imperare et veram legem condere, an vero solum ostendere quid conducat ad finem sine ullo imperio. Sed si velit serio imperare et veram legem condere, non est in eius potestate impedire quin lex obliget. — 7.°) Alias idem peccatum bis puniretur, semel hic a principe civili, et iterum a Deo post hanc mortalem vitam. Responsio. Non est novum aut absurdum, ut idem peccatum bis puniatur, quum plures offendit. Sic furta et homicidia non solum puniuntur a Deo, sed etiam a magistratu. Hoc pacto habetur duplex sanctio, primo inchoata in hac vita, deinde perfecta in altera vita. — 8.°) Magis obligat minutissima lex divina, quam gravissima humana. Sed minutissima divina, qua prohibetur mendacium officiosum, solum obligat conscientiam sub peccato veniali. Ergo gravissima humana sub nullo obligat. Responsio. Maior praemissa potest intelligi dupliciter. *Primo*, quod minutissima lex divina magis obliget, id est, *sub maiori peccato*, quam gravissima humana. Sic falsa est. *Secundo*, quod magis, id est, *firmius* nos obliget.

(1) Ita idem Suarez, qui addit: « Postquam transgressio legis facta est, non oportet, ut legislator humanus possit remittere culpam in illa transgressione commissam, quatenus contra Deum est, quia, ut sic, est alterius ordinis et maxime repugnat legi aeternae. Poterit autem idem legislator remittere illam transgressionem, quatenus in suam offensionem et iniuriam cedit et consequenter etiam potest remittere reatum poenae per suam legem directe impositae, quia haec omnia permanent in eodem ordine et pertinent ad proprium ius ipsius proximi legislatoris. »

Sic vera est, quia lex divina est firma, humana mutari potest. « Quod legi divinae, inquit Bellarminus, cedat humana. quando simul servari nequeant. non est causa, quia humana non obligat ad peccatum. sed quia lex humana minus firmiter statuta est: in tali enim casu desinit esse lex, et proinde etiam obligare. »

III. Quaeritur *tertio*, utrum leges civiles possint reddere actum invalidum seu irritum.

Cui quaestioni respondemus affirmative, si quidem id sufficienter exprimant. Addimus haec verba, *si id sufficienter exprimant*: siquidem promulgatio est necessaria, ut suum lex vigorem seu effectum habeat.

Ratio autem a Suaresio (1) breviter et clare sic affertur: « Quia ad vitandas fraudes et alia incommoda saepe hoc est necessarium, et ideo sicut data est reipublicae potestas praecipiendi, ita et irritandi actus. »

Huiusmodi leges irritantes obligant in conscientia ad actum vitandum, quando nempe simul sunt *prohibentes* et *irritantes*, i. e. quando fertur prius absoluta prohibitio actus et postea additur irritatio: aliquando vero sunt solummodo irritantes, quando nempe « nihil simpliciter prohibetur, sed irritatur actus, si fiat (2). »

Haec porro irritatio fieri potest dupliciter a lege, *ipso facto* vel *ferenda sententia*. In 1.° casu irritatio habetur ex vi solius legis independenter a quavis sententia, qua ad summum declarabitur, legem in tali casu irritare. In 2.° casu contractus redditur *irritabilis* per sententiam iudicis, quae de facto irritabit. In dubio, utrum necne lex irritet ipso facto, potest minimum teneri,

---

(1) De leg. lib. V. cap. 19. num. 1.

(2) Ita Suarez, ibid. cap. 20.

nempe non irritare ipso facto, quemadmodum in huiusmodi rebus onerosis fieri solet.

IV. Quaeritur *quarto*, quid dicendum sit de legibus *poenalibus*.

Nequit dari lex *absolute* poenalis, quae scilicet nullo modo obliget in conscientia: quia omne praeceptum superioris aliquatenus obligare debet, secus enim non esset verum praeceptum. Potest autem dari lex *mere* poenalis i. e. in conscientia obligans vel ad ponendum actum vel ad poenam subeundam, si violata lex fuerit (1).

Ratio est duplex. 1.°) Quia ad legis essentiam sufficit, ut imponat aliquam obligationem in conscientia, nec necesse est, ut obligatio actum vel omissionem absolute respiciat. — 2.°) Quia lex vim non habet nisi ex voluntate legislatoris, legislator autem ad solam poenam obligare potest, si id communi bono procurando sufficiat.

Quaestio vero, an *de facto* dentur aliquae leges quae sint mere poenales, minime potest *speculative* resolvi, cum dari possint alicubi et non alibi. Hinc ex intentione legislatoris et ex sapientum interpretatione desumi de-

---

(1) Ad rem Suarez, de leg. l. III. c. 21.: « Dico *omnem veram legem humanam necessario resolvi in aliquam conscientiae obligationem.* Probatur, quia necesse est ut lex vel *absolute* obliget ad actum, vel saltem *sub aliqua poena.* Priori modo lex obligat in conscientia ad talem actum. Si autem feratur posteriori modo, ita ut sit lex *pure poenalis*, obligabit vel ad solvendam poenam, supposita transgressione, si cum eo rigore posita sit, sicut obligat *votum poenale*, vel ad sustinendam poenam. Et patet, quia nisi teneatur in conscientia sustinere poenam, qui tale statutum transgressus est, non poterit superior habere ius ad puniendum illum, vel posset dari bellum iustum ex utraque parte. Atque hoc modo facile explicantur leges *mere poenales.* »

bet, an lex mere poenalis sit necne. Generatim nonnisi paucae, et in rebus minoris momenti, admitti possunt (1).

Possunt igitur distingui leges civiles tripliciter: in leges non poenales sed pure morales, in leges mixtas, et leges mere poenales. Priores sunt illae, quae obligant in conscientia ad actum et poenam specialem non adiiciunt. Aliae autem duo praecepta virtute includunt, unum faciendi vel vitandi talem actum, aliud sustinendi talem poenam si id non fiat. Tertiae demum habent unum tantummodo praeceptum quasi hypotheticum sustinendi talem poenam vel incommodum si hoc vel illud fiat, etiamsi de actu subiecto tali conditioni praeceptum proprie non imponatur.

178. SCHOLION. Cum iis, quae de morali legis civilis obligatione in hac thesi diximus, alia connectitur quaestio, quam paucis solvemus.

Quaeri nimirum potest de *rigore* vel *lenitate* obligationis, quam lex civilis si iusta sit inducit. — Ad quam solvendam quaestionem tria cum Suaresio (2) statuimus principia.

α) *Non deest potestas in magistratu civili ad obligandum suis legibus, cum periculo cuiuscumque nocumenti temporalis, etiam mortis, si necesse sit.* — Ratio est, quia in republica est potestas necessaria ad suam conservationem et commune bonum: sed ad hos fines est moraliter necessarium praeceptum obligans ad aliquid agendum vel ad perseverandum in aliquo loco, non

---

(1) Itaque non omnis lex, quae poenam transgressoribus imponit, est mere poenalis. Haec enim poena saepe adiicitur legi civili *tamquam sanctio,* per quam lex civilis est perfectior, et ordo socialis melius ac securius custoditur.

(2) De leg. l. III. c. 30.

obstante periculo mortis: ergo cadit hoc sub humanam potestatem. *Minor* constat, quando necessarium est agere periculosum bellum ad defendendam rempublicam, vel perseverare tempore pestis in aliquo loco ad procurandam communem salutem. *Maior* autem per se nota videtur ex terminis, quia alias insufficienter provisum esset gubernationi et conservationi reipublicae.

β) *Lex civilis tunc maxime et quasi per se obligat cum periculo vitae, quando illud periculum per se est annexum seu coniunctum actui praecepto, si alioqui lex iusta sit, ut praesumi debet, quando oppositum non constiterit.* — Declarari potest exemplis positis de bello, de periculosa navigatione, de curatione proximorum tempore pestis et similibus. — Ratio autem est, quia tunc periculum non reputatur accidentarium, sed veluti de substantia actus moraliter considerati. Item non potest censeri praeter scientiam vel intentionem praecipientis, cum sit per se coniunctum actui: ergo eo ipso quod praecipitur talis actus, censetur praecipi, non obstante tali periculo, et potestas non deest, ut ostensum est: ergo nascitur obligatio.

γ) *Si mortis periculum non est per se coniunctum actui praecepto, sed contingenter adiungitur, lex civilis per se non obligat ad sui observationem cum tanto periculo vitae, imo nec alterius gravissimi nocumenti, quale est gravis infamia aut magna iactura bonorum, ex accidenti vero seu in aliquo casu obligare potest.* — Prior pars probatur *primo* inductione, quia lex divina, quae gravior est, non solet obligare in simili eventu: exemplum commune est de Davide, qui propter necessitatem manducavit panes propositionis (1), quos laicis manducare non licebat

(1) 1. Reg. XXI.

iuxta legem, et tamen factum illud defendit ipse Christus Dominus (1). Probatur *secundo*, quia talis necessitas ostendit, non fuisse in legislatore voluntatem obligandi in tali eventu, vel etiam non fuisse potestatem: quacumque autem illarum deficiente, cessat obligatio legis: ergo. Obligare ad quemcumque actum praecepti, non obstante quacumque accidentali necessitate insurgente, esset supra potestatem legislatoris humani, quia talis obligatio communiter non est necessaria ad commune bonum reipublicae, ut in communi observatione talium legum contingit: et quamvis aliquando non sit aperte iniusta obligatio vel supra potestatem, si sit nimis gravis et dura, censetur esse praeter voluntatem legislatoris. — Quod autem pertinet ad alteram partem, i. e. *per accidens* fieri posse, ut etiam in eo casu obligetur homo ad servandam legem, communis sententia est; talisque necessitas censetur, quando violatio legis propter talem metum cederet in contemptum vel iniuriam religionis aut grave scandalum pusillorum. Tunc enim bonum commune religionis praeferendum est: item quia tunc transgredi praeceptum humanum esset vel deficere in fidei confessione tempore debito, vel cooperari ad aliquid intrinsece malum.

Sequeretur quaestio de *mutatione* legis civilis. Verum quae de hac quaestione dicenda essent, iam tradidimus in thesi de immutabilitate legis naturalis. — Quod autem spectat ad *interpretationem* legis, conferantur ea quae in priori parte diximus in fine tractatus seu capitis de legibus (2).

---

(1) Matth. XII v. 3.

(2) Collatis iis, quae tradidimus in vol. II. pag. 73., ad absolvendam quaestionem de *limitatione* iuris.

THESIS LXXI.

I. *Ut lex civilis suam habeat virtutem suosque producat effectus, necessaria est promulgatio.* II. *Non item per se requiritur acceptatio populi: haec enim si quando exigitur, id esse aliter nequit, nisi aut propter imperfectam potestatem Principis, qui ex peculiari suae societatis constitutione sub hac dependentia potestatem suscepit, aut ex eiusdem benignitate, qui absoluta sua potestate uti nolit.*

179. Demonstratio. Duas, ut patet, haec thesis habet partes: seorsim de utraque agemus.

I. Ut lex civilis habeat suam virtutem suosque producat effectus, debet esse *promulgata*, « id est, publice proposita, ut ab omnibus legi possit vel audiri (1). » — Id aperte constat ex iis, quae agentes de lege in genere considerata diximus (2).

Apte s. Thomas (3): « Lex imponitur aliis per modum regulae et mensurae. Regula autem et mensura imponitur per hoc, quod applicatur his quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc, quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod

(1) Ita Suarez, de leg. l. 1. c. 11. num. 1.

(2) Cf. vol. 1. thes. XXVIII. pag. 245. Vide etiam eiusd. vol. thes. XXXII pag. 257., et thes. XXXVII. pag. 315. In duabus hisce thesibus explicavimus, quidnam, ad promulgationem quod attinet, speciale sibi habeant lex *aeterna* et lex *naturalis* prae ceteris positivis legibus.

(3) In 1. 2. q. 90. a. 4. Hanc rationem, quam s. Thomas affert, ait Suarez esse *optimam*: eiusque pulchram addit explicationem, quam lege l. nup. cit. num. 3.

applicetur hominibus, qui secundum eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. Unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem. »

Quaeres autem, quandonam promulgatio censeri debeat *sufficienter* facta. — Respondet Tarquini (1), « promulgationem legis rite esse factam, si eiusmodi sit ut legis notitia diffundi ad omnes *moraliter* possit. Quae enim talis est, vere sufficiens habenda est: praesertim cum ex parte legislatoris vera sit impossibilitas eam physice singulis faciendi (2), ex parte autem subditorum vera incumbat obligatio leges cognoscendi (3). » Et haec de promulgatione, de qua plura aliis locis diximus, sufficiant (4).

II. Porro relate ad leges civiles hoc potest dubium occurrere: utrum, ut eae suam habeant virtutem suosque producant effectus, necessaria sit etiam *acceptatio populi*, quae post promulgationem sequitur. — Respondemus autem illiusmodi acceptationem non esse de ratione legis, nec formaliter convenire alicui legi, immo quodammodo cum illius ratione pugnare.

---

(1) Iur. eccl. publ. institut. lib. 1. cap. 1. sect. 1.

(2) Cf. cap. 1. de postul. Praelat.

(3) Cf. cap. 3. de Regulis Iuris in 6." — Vide etiam vol. 1. pag. 409.

(4) Plura de promulgatione vide apud cit. auctores. — In quo promulgatio et divulgatio differant, vide super. vol. 1. pag. 245. adnot. 3. — Esse scriptam estne de ratione legis? Scriptura materialis et externa non est de ratione legis. De lege autem humana dicendum est, regulariter et generatim non fieri sine scriptura, quia revera ita expedit, ut leges sint conspicuae et non facile mutabiles. Cf. Suarez l. cit. num. 8 et 9.

Nam, ut disserit Suarez (1), « de ratione legis est, ut vim habeat obligandi. Si autem pendeat ex acceptatione subditorum, iam non tam ipsa obligaret, quam ipsi subditi voluntarie se submitterent legi. » Aliis verbis, rationabilis voluntas principis, perfectam, ut supponimus, potestatem habentis, est causa adaequata legis et obligationis. Atqui, posita causa adaequata, sequitur effectus. Ergo, posita rationabili principis voluntate, sufficienter signis externis manifestata, sequitur lex et obligatio, cui sive velit sive nolit populus subiicitur.

Duo obiicies. — 1.) Populi tamen acceptatio aliquando requiritur. 2.) Id etiam videtur insinuare Gratianus inquiens: tunc leges institui, quando promulgantur, firmari autem, quando moribus recipiuntur. — Respondeo. Ad 1.m) si populi acceptatio aliquando requiritur, id erit vel propter imperfectam potestatem principis, qui tantum sub hac conditione et dependentia potestatem legiferam habet, vel ex benignitate legislatoris, qui non vult uti sua absoluta potestate (2). Ad 2.m) quando dicitur lex humana firmari moribus utentium, id non tam iure, quam facto intelligendum est.

180. Scholion. Antequam ad quaestionem de potestate iudiciaria transeamus, est breviter de duobus agendum ac primo de legibus, quae dicuntur *fundamentales*: quid sint, atque an mutari possint, et quomodo.

I. Lex naturalis, ut paulo ante diximus (3), de societate ipsa civili haud pauca praescribit. Hae naturales praescriptiones sunt communes cuicumque civili asso-

---

(1) Loc. saep. cit., num. 7.

(2) Ita Suarez l. nunc cit. Iisdem verbis ex Suaresio quaestionem solvit Tarquini l. c.

(3) Vide pag. 268.

ciationi, et sunt basis seu fundamentum, quo leges cuiusque civitatis propriae innituntur. Hinc merito leges *fundamentales* appellari possunt.

At praeterea nomine legum *fundamentalium* intelliguntur eae leges, quae formam ipsam societatis respiciunt, ac dictant e. g. modum gubernii quo status regitur esse monarchicum, successionis modum esse per haereditatem, potestatem legislativam debere collective exerceri a monarcha et a duplici civium coetu etc. Harum legum complexus solet vocari, *ius constituens* (1).

Hae leges fundamentales possuntne mutari? — Mutari profecto nequeunt leges illae, quas natura ipsa statuit, ut sint basis seu fundamentum cuiuslibet politicae consociationis. — Quod autem spectat ad fundamentales alterius generis leges tria statuimus: α) potest mutatio fieri ex utriusque partis, i. e. tum principis tum populi, consensu: β) non potest mutatio fieri ex sola voluntate partis seu personae illius, quae non est subiectum potestatis legiferae: γ) illa vero persona, in qua potestas legifera residet, potest ac iure naturae tenetur consensum dare et mutationem facere, quando necessitas reipublicae mutationem fieri revera exigat.

II. Alia non est praetermittenda quaestio: utrum legislator suis ipse legibus obligetur.

Duo inprimis sunt adnotanda. — α) Non hic agitur de tota civium communitate legem sibi ferente: certum est enim quod lex a tota communitate lata obligat omnes illius communitatis personas. Itaque agitur de legislatore, qui sit unus e civibus vel coetus partialis aliquorum civium. — β) Sermo insuper est de iis le-

(1) Cf. Liberatore, Ius soc. num. 83.

gibus, quae habent rationem et materiam de se universalem ac communem ipsi principi: talis e. g. est lex taxans pretia rerum, aliaeque huic similes leges, in quibus ratio iustitiae vel alterius virtutis eadem est in principe et ceteris reipublicae membris. Nam si materia vel ratio legis non est communis, patet principem tali lege non obligari: si e. g. hanc princeps legem promulget, ne quis noctu arma ferat, haec lex principem non obligat, quia nec eum decet neque est accommodata statui eius. — Haec duo, et merito quidem, praemittit Suarez (1) ad statum quaestionis intelligendum.

Hanc porro quaestionem s. Thomas (2) solvit, distinguendo inter vim *directivam* legis et vim eiusdem *coactivam.*

1.°) Quoad vim directivam, statim difficultas menti occurrit. Nemo potest sibi ipsi per praeceptum inferre obligationem. Per promissionem quidem vel votum potest quis seipsum obligare (3), non autem per praeceptum, quod sibi imponat. Etenim praeceptum postulat iurisdictionem et dominium: nullus autem potest iurisdictionem in se habere, nec sibi ipsi esse subiectus (4).

Nihilominus, inquit Suarez, communis et constans sententia est, teneri principem seu legislatorem ad servandas suas leges, quando materia communis et eiusdem rationis est in ipso et in aliis. Quaeritur autem, undenam haec obligatio oriatur?

Hanc obligationem aliqui auctores deducunt, non quidem ab ipsa lege a principe lata quae efficaciam habeat in

---

(1) De leg. l. III. c. 35.

(2) In 1. 2. q 96. a. 5. ad 3.

(3) Cf. vol. 1. pag. 337.

(4) Cf. ibd. p. 3. 333.

ipsum principem, sed aliunde i. e. ab altiori lege naturali, quae eam principi imponit: imponit autem propter exigentiam boni communis, ne subditis scandalum praebeatur aut contemnendae potestatis occasio, ut haec ordinis principia sint salva, quod tibi fieri non vis alteri ne feceris (1), non debet pars discordare a toto, patere legem quam ipse tuleris, quod ius in alium quisque statuit illud servare tenetur etc. (2).

Alii auctores, quos inter Suarez, putant principem obligari ad servandam una cum subditis suam legem obligatione proxime orta ab ipsamet lege et ex virtute atque efficacia eius. Ad quod probandum Suarez duo affert. α) Si rex v. g. statuit legem taxantem pretium rei, et ipse ut privatus dominus rem carius vendat, peccat contra iustitiam et tenetur ad restitutionem, ex communi

---

(1) Huius effati et principii hic est sensus: nemo alteri inferat iniuriam quam non vult ab alio sustinere. Non autem est sensus, ut nemo alteri faciat, quod sibi ipsi non facit: nam e. g. iudex furem iuste condemnat et punit, se autem ipsum non tenetur condemnare, etiamsi fur sit. Cf. vol. II. cap. II. art. 1. §. 1.

(2) « Leges humanae, inquit Tongiorgi, eth. n. 478., obligant vi legis naturalis. Idcirco autem obligant, quia et ordo postulat et ad commune bonum necessarium est eas observari. Atqui 1.° ordo postulat, ut princeps leges a se latas observet. Lex enim ordinis cuique praecipit illud: quod tibi fieri non vis, alteri ne facias. Si ergo princeps ad commune bonum requiri putat, ut certa quaedam norma in agendo servetur, eamque subditis imponit, eamdem normam ab ipso servari par est. Quod si hanc sibi gravem experiretur, eam aliis imponere non deberet. Idem 2.° postulat bonum commune. Etenim ad commune bonum pertinet, ut in sociali corpore pars a toto et caput a reliquis membris non dissentiat, utque princeps pravum exemplum subditis non praebeat, nec se illis contemnendum exhibeat Haec vero omnia exigunt, ut suis ipse legibus se subiiciat. »

sententia, quia hoc postulat aequitas. Ergo signum est, illam legem positivam, quae constituit medium talis virtutis, habere etiam suum obligandi effectum respectu ipsius legislatoris. β) Deus, qui est principalis auctor potestatis legislativae, illam principi confert sub hac restrictione seu conditione, ut etsi in voluntate eius sit legem ferre, tamen, si feratur, universalis sit et ipsum principem comprehendat. Hac autem sub conditione potestatem illam a Deo conferri, colligitur ex ipsa ratione naturali, absque divina revelatione vel pacto humano: colligitur scilicet ex boni communis exigentia, ex scandalo vitando, atque ex illis principiis extrinsecis, ex quibus alii illi auctores, ut diximus, obligationem, de qua agimus, proxime deducunt. Qnare haec in principe obligatio servandi suam legem est naturalis in radice, proxime vero et formaliter est positiva humana: et in ea potest per hominem dispensari, etiam respectu principis.

2.°) Quoad vim coactivam lex non obligat principem, sive poena sit ipso facto lata, sive inferenda.

Ratio vero est, quia coactio ex intrinseca ratione sua postulat, ut ab extrinseco proveniat: ergo princeps non potest cogere seipsum. Nec potest cogi a subditis: quia nullus inferior potest violentas manus iniicere in superiorem. Neque etiam potest cogi ab aequali: quia aequalis non habet iurisdictionem in principem. Nec denique potest cogi a superiore: quia agimus de principe, qui superiorem non habet.

Haec tamen adverte. — Princeps, quamvis non incurrat reatum poenae statutae a sua lege, tamen incurrit reatum poenae a Deo statutae. — Princeps potest ex sua lege civili teneri in conscientia ad admittendam

discussionem, qua iuridice constet de ipsius iure, et adtribuendum quod iustum est (1).

THESIS LXXII.

I. *Praeter potestatem legiferam ius etiam iudicandi principi civili competit, quod ius debet ad normam legum exerceri, hoc summopere curando, ut iustitia in omnibus triumphet.* II. *Sunt autem iudicia civilia ordinationes obligandi vi praeditae, non mera functio logica aut purus arbitratus.*

181. PRAENOTIONES. Quid est potestas *iudicialis?* Est potestas — tum definiendi, quodnam ex iuribus, quae in conflictum veniant, secundum rationem praevaleat, — tum damnandi factam iuris laesionem, debitam laesori reparationem praescribendo poenamque secundum leges determinando.

Qua ex definitione patet duplicem esse huius potestatis functionem. — Prior est iudicium, quod sensu magis proprio dicitur *civile*, et consistit in decernendo, quodnam ius ex iis, quae in controversiam seu collisionem veniunt, praevaleat (2). — Altera est iudicium, quod dici solet *criminale*, et consistit in decernendo laesionem iuris seu iniuriam revera habuisse locum, ac determinando quaenam a laesore reparatio danda sit qualisque poena ad praescriptum legum luenda.

(1) Hisce finem imponimus tractationi de potestate *legifera.* — Pro aliis quaestionibus, quas brevitatis causa omittimus, conferantur s. Thomas 1. 2. q. 95 et 96 et 97., Suarez de leg. l. III. Recolantur etiam ea, quae diximus vol. 1. cap. IV.

(2) Vide, quae de conflictu iurium diximus vol. II. thes. VI.

182. Demonstratio. I. *Praeter potestatem legiferam, de qua diximus, principi civili competit etiam potestas iudiciaria.* — Ratio est illa generalis: in republica nequit deesse potestas necessaria ad suam conservationem et commune bonum.

Ac 1.°) principi competit potestas iudicialis quoad priorem huius iuris functionem, i. e. potestas proferendi iudicia civilia.

Haec enim potestas est necessaria ad socialem illam tranquillitatem, plenamque vitae sufficientiam, quae finis sunt civilis consortii, et quas proinde princeps civilis ex munere sibi a natura commisso debet omni ope procurare. Ergo sicut principi data est potestas legifera, eo quod a fine civitatis exigitur (1); ita etiam data est ei potestas iudicialis.

Probatur antecedens. Fac principem civilem hac potestate carere. Nemo igitur esset, qui exortas de iuribus lites seu controversias definitive dirimeret. — Sed tunc α) dum quisque ex contendentibus ius suum existimat esse validius et pro viribus defendit, existerent interminabiles dissensiones inter cives, maximae animorum discordiae, perpetui conflictus. Itaque actum foret de quiete ac tranquillitate sociali. — Praeterea β) operationes multae civium saepe remanerent suspensae: incerto siquidem manente iure seu potestate operandi, plures ab agendo abstinerent, plures actionem alterius impedirent. Quod sane opponitur consecutioni illius prosperitatis ac perfectae vitae sufficientiae, quae est altera pars boni ex politica consociatione intenti (2).

---

(1) Vide super. thes. LXVIII. pag. 264. Cf. etiam pag. 281.

(2) Ita Tongiorgi, Eth. num. 494.

At 2.°) principi civili competit potestas iudicialis, etiam quoad alteram huius iuris functionem, i. e. potestas proferendi iudicia criminalia.

Id autem patet ex iis, quae iam alio loco (1) diximus de iniuriarum *vindicatione*. Hanc non reprobat lex naturalis: verum, cum duplex distinguatur vindicta, *privata* et *publica*, reiicit privatam, admittit publicam.

Reiicit vindictam privatam. Vult enim pacem ac securitatem esse inter homines, et consequenter prohibet illa omnia, quae illiusmodi paci ac securitati repugnant. Atqui actum esset de pace et securitate inter homines, si privatus quisque posset per seipsum agere contra laesorem ad obtinendam iniuriae acceptae satisfactionem. Tunc enim — multi per vim exigerent reparationem iniuriarum, quae non sunt *verae*, sed tantummodo *existimatae* — alii vim facerent in eos, qui non sunt iniuriae illatae auctores — plures recompensationem exigerent maiorem damno, quod reipsa illatum est — plurimi vim exercerent maiorem illa, quae necessaria est, vel etiam quando non est necessaria. Et sic omnia suspicionibus, odiis, terroribus, insidiis, caedibus replerentur, seu iniuriae ad obtinendam iniuriarum compensationem in indefinitum multiplicarentur.

Sed sapiens ac provida natura admittit vindictam publicam. Idcirco enim civilem instituit societatem, in eaque principem civilem, ut ad eum privati ob acceptas iniurias recurrant. Ipse vero tria debet praestare: *discussionem* praemittere de veritate ac natura iniuriae: *sententiam* proferre de crimine perpetrato, de reparatione danda, de poena a laesore luenda: *exsecutionem* suae sententiae per

(1) Vide vol. II. thes. VII., praesertim pag. 91. seqq.

vim socialem urgere: omniaque haec peragere sine personarum acceptione partiumve studio.

Hac igitur in re est discrimen inter personam privatam et publicam. Nam, ut apte disserit Card. Bellarminus (1), « privati possunt ad superiorem confugere: at principes si ab aliis principibus aliquid patiantur non habent commune aliquod tribunal, ad quod illos accusent, et ideo licet eis bello iniurias publicas propulsare. »

II. *Iudicia civilia sunt ordinationes obligandi vi praeditae, non autem mera functio logica aut purus arbitratus.* — Ratio semper est illa generalis: id esse necessarium ad commune bonum reipublicae.

Mera functio logica est mera opinatio doctrinalis absque auctoritate et imperio, ut est e. g. explicatio seu interpretatio legis, quae a privato doctore traditur. — Merus autem arbitratus locum habet, quando privati contendentes libere eligunt arbitrum, ut controversiam, quam inter se habent, componant. Quod iudicium ab arbitro prolatum *ex se* non infert obligationem in contendentes, etsi hi ex fide, quam sibi invicem libere dederunt, iudicio illi stare debeant.

Iamvero 1.°) ad socialem ordinem publicamque tranquillitatem servandam, necesse est ut exortae de iuribus controversiae perpetuae non sint, sed definitive dirimantur et componantur. Atqui ad hoc non sufficit mera opinio quorumlibet sapientum, nec sufficit etiam merus arbitratus, sed necessaria est decisio, quae voluntati moralem imponat obligationem, et etiam publica vi reluctantibus imponatur. Ergo iudicium civile, quo exortae inter cives de iuribus controversiae dirimuntur, non est mera

(1) De laic. l. III. c. 15.

functio logica nec merus arbitratus, sed decisio obligandi vi praedita (1).

Et sane 2.º) in civili societate iudicium civile se habet ad legem socialem eo modo, quo in homine individuo iudicium conscientiae se habet ad legem naturalem. Atqui in homine individuo conscientiae iudicium infert obligationem ad illud sequendum. Ergo in civili etiam societate iudicium civile infert obligationem ad standum ipsi.

Pauca haec sufficiant de potestate iudiciali, quae etiam *iurisdictio* dicitur. Haec potestas, ut in thesis enunciatione affirmatut, nequit esse exlex seu arbitraria: sed secundum leges, naturalem et civiles, exerceri debet, et hoc curare, ut iustitia in omnibus triumphet.

THESIS LXXIII.

I. *Praeter potestates legiferam et iudiciariam ius etiam exsequendi principi civili competit.* II. *Exsecutivae autem potestatis dotes sunt praesertim tres: debet esse fidelis, fortis, prudens.*

183. Demonstratio prioris partis. Ius *exsequendi* est ius procurandi actu exsecutionem legum et sententiarum per potestates legislativam et iudiciariam latarum, eamque procurandi externis etiam vis socialis subsidiis: unde dicitur etiam ius *cogendi* seu potestas coercitiva vel coactiva.

Hoc ius principi civili proculdubio competit. Etenim

(1) Haec ex Tongiorgi, Eth. num. 195.

ut saepius dictum est, ei competunt iura omnia, quae ad civilis consortii finem assequendum sunt necessaria. Atqui ad eum finem obtinendum non sufficiunt leges et sententiae per potestates legiferam et iudiciariam latae, sed requiritur earum observatio: ut autem haec habeatur, necessaria est in principe potestas exsecutiva.

Et sane α) leges civiles sunt universales: e. g. dictant cives pro facultatum quas possident mensura debere tributum solvere, iuvenes valentes viribus et idoneos debere certo numero nomen militiae dare etc. Debent ergo leges civiles ad particularia applicari: haec autem applicatio nequit arbitrio singulorum civium relinqui: est igitur reservata actioni supremi reipublicae motoris et ordinatoris (1). — Insuper β) cives sub legibus manent liberi i. e. cum physica potestate eas violandi: imo haud pauci sive malitia sive contumacia sive etiam naturali quadam vitii necessitate ad eas contemnendas valide impelluntur. Nisi ergo princeps praeter potestatem legiferam habeat etiam coactivam seu exsecutivam, illud cum divino poeta (2) repeti deberet: « *Le leggi son, ma chi pon mano ad esse?* » Sunt leges, sed quisnam se applicat ad eas observandas? Oportet ergo ut cives, aliqui praesertim, applicentur ad obtemperandum legibus. Hoc autem fit a potestate exsecutiva, quae cives pigros urget, nolentes cogit, adhibitis etiam, ut iam diximus, externis vis socialis subsidiis.

184. Declaratio alterius partis. Quaenam autem sunt exsecutivae huius potestatis dotes? Sunt tres prae-

---

(1) Hac de causa potestas exsecutiva definiri etiam solet, ius applicandi leges ad particularia. Cf. Tongiorgi, Eth. num. 485.

(2) Purgat. XVI. 97.

cipue: potestas exsecutiva debet esse *fidelis, fortis, prudens.*

1.°) *Fidelis.* — Debet scilicet potestas exsecutiva non recedere a norma seu praescripto legum et sententiarum per potestates legiferam et iudiciariam latarum. Hisce enim cedit, earumque est naturale consectarium.

2.°) *Fortis.* — Potestas enim exsecutiva hoc debet efficere, ut leges observentur, et quidem ut *statim* et *constanter* et *ab omnibus* observentur. Etenim, sicut recte ait Liberatore (1), « etsi mora et interruptio in deliberatione legum sciscendarum, nisi peculiaris necessitas urgeat, incommodum nullum afferat; tamen maxime nocivae sunt applicationi legum quae proxime socialem operationem attinet. » Iamvero ad id efficiendum opus est, ut in applicatione legum prompte ac plene vincat resistentiam, quam civium inconstantia et praesertim improborum conatus opponunt. Sed eam non vincet, nisi revera sit fortis.

3.°) *Prudens.* — Ut in sciscendis (2), sic in applicandis legibus prudentia ac discretio requiruntur. Hoc scilicet potestas exsecutiva, haud secus ac legislativa, cavere debet, ne gravis nimium et odiosa evadat. Curet igitur princeps, ut cives non ob solam vim ac timorem ab extrinseco incussum leges observent, sed ex motivo obligationis et ex amore ordinis socialis virtutumque civilium. Si qua vero adsit iusta causa, utatur potestate, quam habet, dispensandi a legum observatione (3).

185. Scholion. Principes civiles habent sane ius 1.°)

---

(1) Ius soc. num. 88.

(2) Cf. s. Thomam, in 1. 2. q. 96. a. 2.

(3) Cf. eumdem s. Thomam, in 1. 2. q. 97. a. 4.

constituendi militiam et disciplinae publicae ministros: 2.°) *tributa et vectigalia exigendi.*

Quoad 1.^m principes civiles debent tum praecavere et impedire, ne ordo socialis perturbetur sive ab hostibus externis, sive ab inimicis internis, tum redintegrare et restituere ordinem socialem ab illis sive hostibus, sive inimicis violatum. Atqui ad haec duo praestanda, opus eis est tum militia contra hostes externos, tum disciplinae publicae ministris contra inimicos internos. Ergo habent ius sibi comparandi militiam et disciplinae publicae ministros.

Haec iuverit advertere. — 1.°) Hoc ius oritur ex necessitate, in qua princeps versatur, procurandi sibi media tum ad impediendas ordinis socialis perturbationes, tum ad redintegrandum ordinem socialem violatum, tum generatim ad promovendam publicam prosperitatem secundum finem suum. Ergo non plus patet, quam praedicta pateat necessitas seu utilitas. — 2.°) Hinc si adsit sufficiens numerus militum voluntariorum, qui idonei sint, aequum est, ut civilis potestas neminem ad militiam cogat. Si vero non adsit, tunc potest exigere, ut certus sociorum numerus nomen militiae det ad tempus. Modus autem seligendi milites aptus est, si per sortem determinentur (1). Milites porro sic delecti, *per se loquendo*, nequeunt militiae se se subtrahere, neque illam ante determinatum tempus deserere.—3.°) Quod attinet ad magnos exercitus permanentes, quos nostris diebus habemus, hoc est quidem malum, sed necessarium, quod tolli non posset nisi per communem omnium nationum consensum.

---

(1) Exemptiones, si revera fiant ob bonum totius societatis, non sunt iniustae: imo, si bonum societatis id exigat, exemptio fieri debet.

Quoad 2.ᵐ civilis potestas debet, ut modo dictum est, habere milites et disciplinae publicae ministros, qui congruo sunt stipendio donandi, debet iudices habere ac magistratus, qui iustitiam exerceant, debet procurare arma, munitiones, arces, praesidia, debet etiam erigere aedificia publica, construere pontes, vias publicas etc. Atqui haec omnia tum vergunt in bonum commune, tum nequeunt a civilì potestate praestari, nisi cives de bonìs suis aliquid contribuant. Ergo civilis potestas habet ius tributa et vectigalia a civibus exigendi.

Haec animadvertantur. — 1.°) Hoc ius oritur ex necessitate, in qua civilis potestas versatur, procurandi sibi media, quae requiruntur ad rectam societatis gubernationem, tutelam ac prosperitatem. Ergo hoc ius non plus patet, quam praedicta pateat necessitas seu utilitas. — 2°.) In huius iuris exercitio seu in imponendis taxis servanda est aequalitas illa proportionis, de qua superius diximus (1). Generatim loquendo, satius est imponere taxas *directas,* quae nempe praescribuntur pro rata fundorum, quos cives possident, vel redditus, quem percipiunt. quam taxas *indirectas,* quae nempe certis mercium generibus imponuntur. Quod si taxae hae indirectae assignantur, non deberent imponi rebus maxime necessariis, ne pauperes magis quam divites graventur. De his aliquid innuisse sufficiat.

Inter iura, quibus constat civilis auctoritas, prìncipem tenet locum ius ferendi leges. Hoc ius consequuntur duo alia iura i. e. iudicandi et exsequendi: quae iura sunt quidem necessaria, sed ius ferendi leges praesupponunt et ab eo dependent.

---

(1) Vide pag. 272.

THESIS LXXIV.

Principi civili competit ius animadvertendi in malefactores proportionatis poenis.

186. Praenotiones. Ut hanc de iuribus politici principatus quaestionem absolvamus, debemus accurate agere de *iure puniendi.* Hoc enim ius pervadit triplicem, de qua diximus, potestatem, legiferam, iudicialem, exsecutivam. Scilicet, constitutio et comminatio poenae sunt partes potestatis legiferae: discussio de veritate et gravitate criminis perpetrati ac sententia de poena, quae attentis omnibus est ab auctore criminis secundum leges luenda, spectant ad potestatem iudicialem: irrogatio seu inflictio poenae fit a potestate exsecutiva. — Plura autem sunt demonstrationi huius theseos praemittenda.

1.°) Inprimis quid est poena et quot dantur genera poenarum? Poena est malum physicum inflictum mali moralis causa. — Malum autem est privatio boni (1). Sed bona physica, quae homo maxime diligit et quorum proinde privatio est homini maxime acerba, sunt vita, incolumitas corporis, libertas sui, bona exteriora, i. e. divitiae patria et gloria. Hinc octo poenarum genera, ut iam alio loco (2) diximus, solent auctores recensere: *mortem* per quam tollitur *vita, verbera* et *talionem* (ut scil. oculum pro oculo quis perdat) per quae amittit quis *corporis incolumitatem*, *servitutem* et *vincula* per quae

(1) Cf. s. Thomam, in 1. 2. q. 87. a. 7. in corp.

(2) Vide super. pag. 159.

perdit *libertatem*, *exsilium* per quod perdit *patriam, damnum* per quod perdit *divitias, ignominiam* per quam perdit *gloriam.*

2.°) Duplex porro est status, in quo poena spectari debet, alter *determinationis* seu *comminationis*, *alter irrogationis* seu *exsecutionis*. Quem duplicem poenae statum apte s. Thomas distinguit, ubi ait (1): « Non enim poenae sunt ad correctionem solum quando infliguntur, sed etiam quando determinantur. »

3.°) Hinc autem potest solvi quaestio de causa *finali* poenae. — Si poena consideretur in statu comminationis, pro fine habet subditos retrahere a violatione legis. — Sin autem spectetur in statu inflictionis, tunc duplicem habet finem, alium quidem *primarium* et *essentialem*, alium vero *secundarium*. Primarius et essentialis est redintegratio ordinis moralis per crimen perturbati, seu admissi criminis expiatio (2). Secundarius est deterrere a lege infringenda: deterrere autem non semper ipsum

---

(1) Suppl. q. 99. a. 1. ad. 3.^{m}

(2) Hunc finem primarium multi ex recentioribus negligunt. Ut de uno tantum auctore loquamur, en quae habet Rebaudi, *la pena di morte e gli errori giudiziali:* « Se la società potesse acquistare altrimenti la certezza assoluta, che l'impunità non influirebbe sul rinnovamento dei reati, perderebbe il diritto di infliggere punizioni ai colpevoli... La pena avendo per *fine* di prevenire la riproduzione del reato, deve arrestarsi appena abbia raggiunto questo intento, cioè quando la sua minaccia sia sufficientemente efficace ecc. Ut patet, non consideratur nisi unus tantum finis poenae, et quidem finis *secundarius*. — Deterrere a simili crimine perpetrando, restituere honestis civibus tranquillitatem, obtinere delinquentis emendationem aliaque huiusmodi, sunt effectus, qui possunt omnes intendi in irroganda poena, omnesque procurari debent quoad eius fieri potest: sed non sunt essentialis ratio ipsius, ita ut poena debeat ipsis commensurari. Ubi aut aliquis illorum effectuum aut etiam omnes nequeant

reum a crimine iterando, sed etiam alios a pravo eius exemplo imitando ac simili delicto perpetrando. Hinc intelligitur divisio poenarum in *expiatorias* seu vindicativas, *medicinales* et *exemplares*: poena est semper expiatoria, sed « non semper est medicinalis ei qui punitur, sed solum aliis (1). »

4.°) Quaeres, quomodo per poenam finis ille, quem essentialem et primarium esse diximus, obtineatur? Agitur de redintegratione ordinis, non quidem *physica* (neque enim effici potest ut factum fiat infectum), sed *morali*. Haec autem quomodo per poenam fiat, potest variis modis declarari. — α) Sicut crimen est practica proclamatio, posse hominem et prodesse homini obedientiam Deo eiusque ministris custodiam ordinis praecipientibus denegare; ita poena est practica affirmatio, debere hominem Deo eiusque ministris se submittere, hominique nocere si debitam hanc submissionem neget (2). — β) Item homo tantum per poenam deprimitur, quantum per culpam se extulit contra ordinationem ac legem. Qua in re perpendantur praeclara haec s. Thomae verba (3): « Cum peccatum sit actus inor-

---

obtineri, non idcirco poena desinit esse legitima. Ratio essentialis, ob quam poena imponitur, est restitutio ordinis per crimen violati.

(1) Ita s. Thomas, in 1. 2. q. 87. a. 3. — Cf. quae de his iam diximus in vol. I., aientes de sanctione legis naturalis, pag. 365.

(2) Haec affirmatio seu proclamatio, statim ac notitia perpetrati alicuius criminis spargitur, ab omnibus naturaliter expectatur et exquiritur. Hinc Bentham ipse fatetur, tom. 1. p. 172.: « Le spectacle d'un criminel jouissant en paix des fruits de son crime est... une insulte publique à la justice, à la morale. »

(3) In 1. 2. q. 87. a. 1. — Paulo aliter rem exponit Tongiorgi, eth. num. 496.: « Crimen triplicem ordinem laedit: 1.° *ordinem individualem* in ipso delinquente, cuius voluntas sensile bonum bono rationis praefert: 2.° *ordinem socialem externum*; nam crimen est

dinatus, manifestum est, quod quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit, et ideo ab ipso ordine consequens est quod deprimatur, *quae quidem depressio poena est.* Unde secundum *tres* ordines, quibus subditur humana voluntas, *triplici* poena potest homo puniri. *Primo* quidem enim subditur humana natura ordini propriae rationis. *Secundo* ordini exteriori hominis gubernantis, vel spiritualiter vel temporaliter, politice seu oeconomice. *Tertio* subditur universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille qui peccat agit et contra rationem, et contra legem humanam, et contra legem divinam. Unde triplicem poenam incurrit: unam quidem a seipso, quae est conscientiae remorsus, aliam vero ab homine, tertiam a Deo. » — γ) Quodnam vero est motivum, quo homo ad hos ordines pervertendos ac perturbandos impellitur? « Omne peccatum, respondet s. Thomas (1), procedit vel ex inordinato appetitu alicuius boni vel ex inordinata fuga alicuius mali. » Ergo ordinis restitutio fiet,

---

iniuria alteri illata ac demeritum in illum, vel demeritum in societatem: 3.° *ordinem internum iudiciorum*, qui est ordinis externi fundamentum; pravum enim exemplum sensim facit, ut delictum parvipendatur, praesertim si in delinquentis utilitatem cedere perspiciatur. Poena igitur hunc triplicem ordinem restaurat. Restaurat ordinem individualem: quia voluntatem, quae bonum sensile a quo se abstinere iuxta rationem debebat prosecuta est, privat sensili boni quo iuxta rationem frui poterat. Restaurat ordinem socialem externum: nam eum qui malum alteri intulit, cogit malum pati. Restaurat denique ordinem iudiciorum: quia omnibus manifestam facit delicti deformitatem, omnibusque suadet illud utile non esse; quo pacto impulsum omnem ad crimen elidit, atque adeo a peccando homines deterret. » Lege etiam Taparelli, *saggio* ecc. diss. 4. cap. 3. num. 802.

(1) In 1, 2. q. 77. a. 4. ad 3.^m

si homo quantum boni inordinate appetiit, tantum mali seu passionis persentiat (1). Sic ordo redintegrabitur, etiam ex parte malefactoris, si hic poenam acceptet atque de perpetrato crimine sincere doleat, saltem ex parte societatis, si malefactor nolit scelus detestari. Sic habebitur *expiatio* seu purgatio (2), semper ex parte societatis, in qua crimen perpetratum est, et non raro etiam ex parte ipsius malefactoris, qui scelus admisit. — δ) Ut idem s. Thomas (3) ait, « persona, cui est illata iniuria, recompensationem accipit per quamdam restitutionem honoris in poena iniuriantis. » = Illud porro patet, hanc criminis expiationem et ordinis redintegrationem non haberi, nisi poena sit iusta i. e. debitam servans cum delicto proportionem (4).

5.°) Ea, quae diximus, clarius adhuc intelligentur, si inter se comparemus haec tria: *defensionem* contra iniustum aggressorem, *reparationem* damni per iniuriam

(1) Cf. ea, quae s. Thomas habet, 1. 2. q. 93. a 6.: « In malis quantum deficit ex parte actionis suppletur ex parte passionis, prout scilicet intantum patiuntur, quod lex aeterna dictat de eis, inquantum deficiunt facere quod legi aeternae convenit etc. »

(2) *Expiare* est idem ac purgare, videlicet efficere purum ac mundum, a pius.

(3) In 2. 2. q. 67. a. 4. ad 3.m

(4) Recens auctor, quem paulo ante citavimus, ait: « La pena mira a ristabilire l' ordine, a far rinascere, cioè, nell'animo degli onesti la fiducia della tutela dei loro diritti. » Recte affirmatur, poenam tendere ad restitutionem ordinis. Sed non bene explicatur, in quo ordinis restitutio consistat. Ea enim, quae adduntur, verba significant duo haec: in crimine nullam aliam esse deordinationem socialem, nisi timorem, quem crimen in proborum animis excitat: poenae munus non esse nisi hoc, civium animis timore perculsis tranquillitatem reddere. — Non in eo tantum consistit restitutio ordinis, sed maxime in iis, quae in textu assignavimus.

illati, *punitionem*. — Defensio respicit iniuriam in fieri, et tendit ad eam impediendam ne fiat: punitio respicit crimen iam perpetratum, et tendit ad illud expiandum in sontem, qui scelus perpetravit. Defensio tendit ad retinendum bonum proprium, et proinde ille qui defensione utitur non intendit malum physicum quod aggressori infert, sed permittit: punitio tendit primario ad obtinendum bonum restaurationis ordinis moralis, quem crimen perturbavit, et proinde ille qui punit intendit malum physicum quod reo infert, non quidem ut finem, sed ut medium ad illud redintegrationis bonum obtinendum. Defensio non praesupponit eum, qui illam exercet, habere auctoritatem seu iurisdictionem in alterum, cui malum infert: punitio e contrario talem superioritatem praeexigit. — Restitutio seu reparatio damni, illa etiam quae a civili auctoritate imponitur, actionem iniuriosam considerat, prout ea est laesio iuris alieni, et actus est iustitiae commutativae. Punitio autem actionem iniuriosam spectat, prout ea est violatio legis et contemptus legislatoris, et actus est iustitiae vindicativae, quae secus ac commutativa praeexigit superioritatem in eum, in quem exercetur (1).

187. Demonstratio. Civili auctoritati competit ius malefactores ob perpetrata crimina puniendi. De illis autem criminibus sermo est, quae sint perturbationes ordinis publici, seu externae legum civilium violationes alicui tamquam auctori moraliter imputabiles. Ad hanc thesim probandam multiplici pacto arguimus.

I. Arguimus a minori ad maius. — Si ius puniendi

(1) De his iam diximus, vol. II. pag. [illegible].

competit superiori societatis dependentis et imperfectae, ut est e. g. paterna vel herilis, a fortiori competet praesidi societatis independentis et perfectae, qualis est communitas civilis. Apte s. Thomas (1): « Maior potestas maiorem debet habere coactionem. Sicut autem civitas est perfecta communitas, ita princeps civitatis habet perfectam potestatem coercendi, et ideo potest infligere poenas irreparabiles, scilicet occisionis vel mutilationis. Pater autem et dominus, qui praesunt familiae domesticae, quae est imperfecta communitas, habent imperfectam potestatem coercendi secundum leviores poenas (2), quae non inferunt irreparabile nocumentum: et huiusmodi est verberatio. »

II. Arguimus ex sanctionis poenalis ad legem habitudine. — Sanctio poenalis est tutela ac munimentum legis: pertinet igitur ad legis perfectionem seu complementum. Atqui princeps civilis ius habet condendi leges perfectas ac completas. Ergo ius habet ferendi leges, easque communiendi sanctione poenali.

III. Arguimus ex efficacia ac dignitate gubernationis civilis. — Ut iam ex Suaresio diximus (3), « gubernatio sine potestate cogendi inefficax est et facile contemnitur. » Atqui talis esse nequit gubernatio illius communitatis, quam natura instituit ut perfecta sit et alias habeat naturales societates a se in temporali ordine dependentes. Ergo gubernatio politica, quae principi civili commissa est, cum potestate cogendi est coniuncta.

---

(1) In 2. 2. q. 65. a. 2. ad 2.

(2) Cf. super. pag. 122. adnot. 2.

(3) Vide super. pag. 277.

IV. Arguimus ex gravissima, qua princeps civilis adstringitur, obligatione procurandi bonum commune, ac proinde movendi efficaciter cives ad legum custodiam. — Motiva, quae humanam voluntatem praecipue impellunt ad agendum, in casu nostro, ad legem observandam, sunt praecipue haec: α) motivum officii et obligationis, β) motivum praemii acquirendi per legis custodiam et poenae ob legis violationem luendae, γ) motivum gloriae obtinendae et infamiae vitandae. Duo posteriora motiva, etsi minus nobilia sint quam illud primum, sunt tamen accommodata indoli ac naturae voluntatis humanae, immo sunt generalitati hominum necessaria. Quamplurimi enim sunt, qui nobiliore illo officii et obligationis motivo minime, quantum oportet, commoventur (1). — Hisce praestitutis, sic arguimus. Officium efficaciter movendi cives ad legum custodiam nihil aliud est, quam officium adhibendi ea motiva, quae apta sunt simulque necessaria ad impellendum civium voluntates, ut reapse legibus se submittant easque

---

(1) « Quia inveniuntur quidam protervi et ad vitia proni, qui verbis de facili moveri non possunt, necessarium fuit, quod per vim vel metum cohiberentur a malo; ut saltem sic malefacere desistentes et aliis quietam vitam redderent, et ipsi tandem per huiusmodi assuetudinem ad hoc perducerentur, quod voluntarie facerent, quae prius metu implebant, et sic fierent virtuosi. Huiusmodi autem disciplina cogens metu poenae est disciplina legum. » Ita s. Thomas, 1. 2. q. 95. a. 1. Idem s. Doctor, in 2. 2. q. 108. a. 3., haec habet: « Cohibentur aliqui a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quod timent amittere aliqua, quae plus amant, quam illa quae peccando adipiscuntur: alias timor non compesceret peccatum. » — E. g. qui affectum *iustitiae* non habet, is cohibetur a *furando* per hoc, quod timet detrudi in carcerem et sic amittere eam *libertatem*, quam amat plus, quam pecuniam, ad cuius possessionem per furtum perveniret.

observent. Atqui 1.°) princeps civilis habet a natura officium movendi efficaciter cives ad legum custodiam: 2.°) inter motiva, quae apta sunt et necessaria ad impellendum civium voluntates ad leges observandas, suum tenent locum motiva praemii et poenae, gloriae et infamiae. Ergo princeps civilis potest, immo debet haec motiva adhibere: scilicet, habet ius eadem adhibendi, et quidem ius exercitii non liberi sed obligatorii. — Quantumvis haec motiva adhibeat, non idcirco deerunt delicta legumque transgressiones. Tunc autem oportet, ut poenae, quarum comminatio legibus adiecta est, infligantur, tum ad ordinem violatum redintegrandum (quae ordinis restitutio fit, ut iam diximus, per irrogationem poenae), tum etiam ne leges ipsae contemnantur suamque vim amittant, ut contingeret, si poenae, quam leges minitantur, numquam aut raro exsecutioni darentur.

V. Arguimus ex legis naturalis sanctione, quae, etsi imperfecte, tamen debet in hac ipsa mortali vita haberi, quin omnino ac penitus sit ad alteram vitam reservata (1). — Iamvero sanctio huius vitae esset nimis imperfecta, si pro delictis etiam gravioribus, quae sunt in nocumentum aliorum, restringeretur tota ad mala illa, quae sive essentialiter sive naturaliter sive socialiter sunt cum iis criminibus connexa (2).

VI. Arguimus tandem ex sensu et consensu communi. — Hoc argumentum, quamvis extrinsecum, tamen maximam vim habet. Apud omnes populos singulis aetatibus poenae contra publici ordinis perturbatores consti-

---

(1) Cf. super. vol. I. thes. XLIV. pag. 316.
(2) Cf. ibid. pag. 317.

tutae sunt atque iisdem inflictae, idque semper habitum est tamquam legitimum exercitium iuris, quo reapse pollet suprema civilis auctoritas. Quod calumniatoribus, furibus, homicidis iustae irrogentur poenae, approbant omnes. Contra vero maxime omnes indignantur, si quem videant malefactorem secure urbem percursantem, ac fructum voluptatemque ex suis criminibus pacifice percipientem. Si id contingat, eo quandoque publica indignatio procedit, ut populus ipse, vituperando sane et prorsus iniusto ausu, ad eos puniendos prorumpat.

188. Scholion. Tres quaestiones, quae cum veritate in hac thesi demonstrata connectuntur, breviter expediemus.

I. Quaeri *primo* potest: ex quibus quantitas et qualitas poenae sint determinandae? — Recte respondet Tongiorgi (1), poenae *quantitatem* ex criminis gravitate, *qualitatem* vero ex delinquentis conditione et adiunctis determinandam esse.

Huius assertionis prior pars patet ex notione iustitiae. Ut poena sit iusta, debet apte respondere seu esse proportionata gravitati criminis. Si hanc excedat, poena dicitur iniusta: dicitur autem poena inadaequata, si nimis sit gravitate criminis inferior. — Porro gravitas criminis est duplex, altera *specifica* quae ex actus obiecto et adiunctis desumitur, altera *integralis* quae ad executionem refertur. Licet enim delictum sit in ipsa voluntate, potest tamen haec prava voluntas solo animi proposito contineri: potest etiam verbis aliisve signis manifestari: potest praeterea exsecutionem aggredi: exsecutio insuper potest effectu carere, vel pravum animi

(1) Eth. num. 190.

propositum perficere. Qui quidem delicti gradus sunt, ut patet, alter altero graviores.

Alia vero pars constat ex eo, quod diversa sunt in diversis hominum conditionibus de bonis ac malis iudicia, diversae quoque propensiones, assuetudines, indigentiae ac sociales relationes. Hinc certi alicuius boni iactura quibusdam erit ingens malum, quibusdam vero aliis leve atque aspernandum. Ut igitur poena sit iusta delicti reparatio, eiusque timor a delicto retrahat, diversis hominum conditionibus, quantum fieri potest, accommodanda est. Quamobrem non tam identica aequalitas arithmetica cum omnibus delinquentibus servanda est, quam proportionalis. — Unde etiam liquet, poenas, quae aliquo tempore iustae fuerunt, mutatis temporibus, praeter modum graves esse posse, vel etiam nimium mites. Ita, et recte quidem, citatus auctor.

II. Quaeri *secundo* potest: utrum poenae possint temperari aut relaxari? — Recte s. Thomas (1) distinguit inter *inferiores* iudices et *supremum* iudicem, i. e. principem, cui est plenarie potestas publica commissa.

« Iudex inferior, ita s. Doctor, non habet potestatem absolvendi reum a poena contra leges a superiore sibi impositas... Sed princeps, qui habet plenariam potestatem in republica, si ille qui passus est iniuriam, velit eam remittere, poterit reum licite absolvere, si hoc publicae utilitati viderit non esse nocivum. » Notentur duae, quas s. Thomas assignat, conditiones, ut clementiae usus sit rectus ac sapiens: si ille qui passus est iniuriam, velit eam remittere: si hoc publicae utilitati viderit non esse nocivum.

(1) In 2. 2. q. 67. a. 4.

Ut possit reus licite absolvi, duae praedictae conditiones merito exiguntur. Omne enim ius debet rationabiliter exerceri, illudque praesertim quod alicui conceditur exercendum in bonum aliorum. Iamvero princeps ius relaxandi poenas(1) irrationabiliter exerceret, si eas non servatis illis conditionibus remitteret vellet (2). « Nocumentum, ita pergit idem s. Doctor, inferret communitati, cui expedit ut maleficia puniantur, ad hoc quod peccata vitentur. Unde in Deut. XIII. post poenam seductoris subditur: *Ut omnis Israel audiens timeat, et nequaquam ultra faciat quippiam huius rei simile.* Noceret etiam personae, cui est illata iniuria: quae recompensationem accipit per quamdam restitutionem honoris in poena iniuriantis. »

III. Quaeri *tertio* potest: in quo fundetur hoc ius, quod princeps habet, puniendi malefactores? — Hoc ius prin-

---

(1) Non desunt qui hoc ius Principi denegent. Aut poena, inquiunt cum Bentham, non est necessaria et tunc non debet intimari, aut est necessaria et tunc non debet condonari. — At immerito. Hinc dominis, Ephes. VI., indicitur, ut *remittant minas.* « Quod, ait s. Thomas, 2. 2. q. 65. a. 2. ad 1.^{m}, potest intelligi dupliciter. Uno modo, ut remisse minis utantur: quod pertinet ad moderationem disciplinae. Alio modo, ut non semper impleat quod comminatus est, quod pertinet ad hoc, quod iudicium, quo quis comminatus est poenam, quandoque per remissionis misericordiam temperetur. » Aristoteles etiam, a s. Thoma citatus in 2. 2. q. 68. a. 4. ad 1.^{m}, ait, boni viri esse ut sit *diminutivus poenarum.* — Qua de re cf. Taparelli, *saggio* ecc. diss. IV, num. 794.

(2) Non est profecto paritas inter humanum principem et ipsum Deum. « Deus, ait s. Thomas l. nunc cit., habet supremam potestatem iudicandi; et ad ipsum pertinet, quidquid contra aliquem peccatur; et ideo liberum ei est poenam remittere: praecipue cum peccato ex hoc poena maxime debeatur, quod est contra ipsum. Non tamen remittit poenam, nisi secundum quod decet suam bonitatem, quae est omnium legum radix. »

cipi conceditur ab ipsa lege naturali: fundatur autem in iure quod princeps habet, et in officio quo adstringitur determinandi ordinem socialem ac determinatum sedulo conservandi.

Ut hoc ius exerceri, et hoc officium impleri recte possit, duae potestates requiruntur. Requiritur 1.°) potestas adhibendi media apta et necessaria ad impediendum, ne ordo perturbetur: et haec inter media constitutio et comminatio poenarum suum habent locum. Requiritur 2.°) potestas adhibendi media apta et necessaria ad ordinem violatum redintegrandum: quae restitutio maxime fit per poenas.

Errant igitur ii, qui huius iuris fundamentum putant esse pactum sociale(1). Ii quoque errant, qui cum Romagnosi arbitrantur, illud unice fundari in iure defensionis, quo societas instructa est. Ius enim puniendi respicit actiones iam positas et iniurias in facto esse: ius vero defensionis respicit actiones futuras, seu iniurias in fieri, contra quas insurgit ad eas propulsandas ne fiant.

THESIS LXXV.

Ius puniendi, quod principi civili competit, ipsam poenam capitis, ob atrociora quaedam crimina irrogandam, seu ius gladii complectitur.

189. Demonstratio. Princeps civilis habet ius puniendi. At vero, quantum se extendit hoc ius? complectiturne ipsam poenam capitis? Affirmative respondemus. — Non determinamus, quaenam in specie sint crimina

(1) Cf. super. thes. XLI. pag. 16., et thes. XLIX. pag. 194.

punienda capitali poena. Generatim dicimus, *crimina quaedam atrociora*: quale e. g. est parricidium. — Thesim autem demonstrabimus, tum ex positiva Dei locutione seu revelatione, tum ex principiis solo etiam naturali rationis lumine cognitis. Utroque enim modo constat, Deum concessisse ius hoc principi civili. — De ipso iure loquimur, quod princeps civilis semper habet: illud autem exercebit, quoties viderit ipsum iuris *usum* esse necessarium.

I. Certum inprimis est, legem divinam *positivam* principi civili conferre ius, ut dici solet, gladii (1). In lege enim Naturae, Moysis et Evangelica habemus praecepta et exempla huius rei.

α) Et sane Genes. IX. Deus ait: *Qui effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quae verba non possunt sonare praedictionem, quia praedictio huiusmodi saepe esset falsa: sonant igitur ordinationem et praeceptum. Unde Chaldaica paraphrasis vertit: *Qui effuderit sanguinem cum testibus, ex sententia iudicis fundetur sanguis illius.* — Et Genes. XXXVIII. dixit Iudas: *Producite eam, ut comburatur.* Ubi Iudas Patriarcha tamquam princeps adiudicavit adulteram ad ignis supplicium.

β) In lege autem Moysis plurima sunt praecepta et exempla. Exod. XXI. legitur: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* — Ipse vero Moyses, itemque Iosue, Samuel, David, Helias, aliique sancti viri eo iure utentes occiderunt plurimos malefactores.

γ) Notissima autem sunt verba, quae apud Matth. XXVI. leguntur: *Qui acceperit gladium, gladio peribit.*

---

(1) Hac de re breviter aliqua subiicimus ex Bellarmino, de Laic. l. III. c. 13.

Quae verba non possunt recte intelligi, nisi hoc modo: Omnis, qui caedem iniustam fecerit, debet a magistratu pariter occidi. Reprehendit enim Dominus Petrum, non quod iusta defensio sit illicita, sed quod non tam se aut Dominum defendere, quam iniuriam Domino factam ulcisci vellet, cum tamen ipse non haberet publicam auctoritatem (1). — Praeterea Rom. XIII. dicitur: *Si male egeris, time: non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est.* Ubi dicit Apostolus, datum esse gladium a Deo principibus contra facinorosos.

β) Accedunt testimonia ss. Patrum. — Hilarius (2) dicit, licere occidere in duobus casibus: nimirum, si quis iudicis fungatur officio aut in sui defensionem utatur gladio. — Hieronymus (3) inquit, « homicidas et sacrilegos et venenarios punire, non est effusio sanguinis, sed legum ministerium. » — Augustinus autem (4) declarat: « Nequaquam contra hoc praeceptum fecerunt, quo dictum est, *non occides*, qui personam gerentes publicae potestatis, sceleratos morte punierunt. »

II. At ipsa lex divina *naturalis* hanc, de qua agimus, potestatem facit principi civili. Quod pluribus argumentis demonstramus.

α) S. Thomas (5), hac sibi proposita quaestione, *Utrum sit licitum occidere peccatores,* sic disserit: « Si saluti totius corporis humani expediat praecisio alicuius membri, puta cum est putridum vel corruptivum alio-

---

(1) Sic recte hunc locum exponunt s. Augustinus tract. 112. in Ioann., et Cyrillus lib. XI. in Ioann. c. 35.

(2) In can. 32. sive in cap. 26. Matth.

(3) In cap. 22. Hierem.

(4) Lib. 1. de civit. Dei cap. 21.

(5) In 2. 2. q. 64. a. 2.

rum membrorum, laudabiliter et salubriter absciniditur. Quaelibet autem persona singularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars ad totum. Et ideo si aliquis homo sit periculosus communitati et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur. Modicum enim fermentum totam massam corrumpit (1). »

Inquirens autem ulterius (2), *utrum occidere hominem peccatorem liceat privatae personae*, sic disserere pergit: « Sicut dictum est, occidere malefactorem licitum est, inquantum ordinatur ad salutem totius communitatis. Et ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conservandae: sicut ad medicum pertinet praecidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit cura salutis totius corporis. Cura autem communis boni commissa est principibus habentibus publicam auctoritatem. Et ideo eis solum licet malefactores occidere, non autem privatis personis. »

β) Princeps civilis habet a naturali lege officium determinandi socialem ordinem, ac determinatum custodiendi seu conservandi. Sed huiusmodi officium secum fert haec duo: nimirum officium restituendi ordinem socialem si quando violetur, et officium etiam impediendi efficaciter ne violetur. Haec duo sane praecipit is, qui alicui mandat, ut ordinem custodiat ac conservet. — Iamvero, ad 1.^{m} quod attinet, restitutio ordinis fit per *poenas* easque *proportionatas* (3). Fit per *poenas*. Ergo princeps civilis habet potestatem infligendi poenas. Fit per poenas *proportionatas*. Ergo si qua sunt crimina,

(1) I. Cor. V.

(2) Loc. nup. cit. a. 3. Cf. Bellarminum. l. paulo sup. cit.

(3) Vide super. pag. 30[illegible].

quorum gravitati est proportionata poena capitis, princeps habet ius talem poenam inferendi. Atqui sunt quaedam delicta, quae tantam et individuis et societati et Deo iniuriam inferunt, ut nulla alia poena sit iis proportionata, praeter mortis supplicium. Exemplo sint, plurium innocentium caedes, proditio patriae, parricidium. Nonne tanta est horum criminum atrocitas, ut ipsa mortis poena censenda sit *infra meritum*? — Ad 2.^m quod spectat, violationes ordinis impediuntur in iis, qui affectum virtutis non habent, iniecto timore de amissione bonorum. Sed ut impediantur *efficaciter*, debet agi de bono, quod nefarii homines plus ament, quam illa quae peccando adipiscuntur (1). Frustra furi minitaris amissionem famae: is enim pecuniam ex furto obtinendam plus diligit quam famam. Atqui in multis casibus bonum, quod scelesti homines plus amant, quam bona ex crimine percipienda, non est nisi vita. Ergo pro iis casibus amissionem vitae debet princeps minitari facinorosis hominibus, ut in iis impediat efficaciter violationes ordinis. Triplex sane est discrimen inter vitam et cetera bona: vita est fundamentum aliorum bonorum, quorum semper aliqua pars manet, manente vita: eius amissio secum trahit ceterorum bonorum amissionem: et excludit, secus ac aliorum bonorum amissio, spem redemptionis seu liberationis. Hinc praebet momentum per se excedens momenta criminis seu emolumenta ex crimine haurienda.

---

(1) Recolantur pauca illa et sapientia s. Thomae verba, quae iam paulo ante attulimus: « Cohibentur aliqui a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc quod timent amittere aliqua, quae plus amant quam illa, quae peccando adipiscuntur: alias timor non compesceret peccatum. »

γ) Hisce argumentis adde probationem *ab extrinseco* deductam ex omnium legumlatorum populorumque suffragio. Legislatores ubique et semper determinarunt pro aliquibus delictis et irrogarunt poenam capitis, idque agentes arbitrati sunt, se exercere ius sibi a natura collatum et implere officium sibi ab eadem natura commissum. Quae omnia semper et ubique admiserunt populi et approbarunt. Discrimen varias inter societates civiles respicit *usum*; quatenus nempe speciale aliquod crimen in una societate plectitur, in alia non plectitur poena capitis; vel quatenus haec poena in una societate viget pro omnibus civibus, in alia conservatur tantummodo pro militibus in exercitu. Sed admittitur ubique ius puniendi et quaedam crimina ubique puniuntur poena mortis.

190. Scholion. Vt ea, quae hac in thesi diximus, confirmentur, praecipuas solvemus difficultates, quae solent opponi (1).

I. Poena capitis non est necessaria. Talis autem deberet esse, ut licite ac iuste a principe irrogaretur.

Responsio. Distinguamus inter *comminationem* poenae et *inflictionem* eiusdem. Necessarium sane est, leges ferri quaedam atrociora crimina prohibentes, sub commina-

(1) In opusc., *de la peine de mort*, auctore M. K. D'Olivecrona, hae afferuntur rationes pro abolitione poenae capitalis. — 1.° Que la peine de mort n'est plus nécessaire en Suède pour le maintien de la sûreté publique. — 2.° Que la peine de mort ne permet aucune gradation sans cruauté. — 3.° Que la peine de mort peut frapper un innocent et rendre toute réhabilitation impossible. — 4.° Que la peine de mort rend impossible l'amendement du condamné et lui enléve tout moyen de se réconcilier avec la société. — 5.° Des effets démoralisants de la peine de mort sur les masses. — Cf. pro obiectionibus, Beccaria, *dei delitti e delle pene* §. XXVIII.; item, Ahrens, Rebaudi iam cit.

tione poenae mortis: secus enim ii, qui affectum virtutis non habent, i. e. cives quamplurimi, haudquaquam ab iis delictis perpetrandis quantum par est retraherentur. Quodsi reapse scelus perpetretur, necesse est poenam mortis inferri: *primo*, quia ordo atrocioribus iis criminibus violatus hac tantummodo poena (quae scilicet sola est atrocitati eorum criminum proportionata) redintegrari potest: *secundo*, quia, si poena capitis quam leges minitantur numquam aut perraro executioni daretur, contemnerentur ipsae leges suamque vim coactivam amitterent. Itaque cum poena haec capitis sit pro certis criminibus *proportionata* simul ac *necessaria*, iuste a principe civili pro iis delictis intentatur atque irrogatur. — At demus, dari *alicubi* societatem adeo perfectam, ut pro ea non sit capitalis poena ullo sensu necessaria: omnes enim cives, nobilioribus impulsi motivis, prorsus a quacumque vel levissima ordinis violatione abhorrent. Quid inde? Hoc sequeretur tantummodo, non esse in tali societate locum iuris huius *exercitio*. Non autem sequeretur, principem illius societatis non habere *ipsum ius* (1). Habet profecto: non exercet nunc, quia illius usus nunc non est necessarius: exercebit in posterum, statim ac, mutatis adiunctis, usus fiet necessarius. Verum nescio, utrum alicubi reapse detur tam felix societas, pro qua poena capitis nullo sensu sit necessaria. Ubique enim « vivitur, verbis utor

(1) Aliud sane est *ipsum ius puniendi*, aliud est *exercitium talis iuris*. Pater e. g. habet sane ius puniendi filium, etiam verberandi: si tamen filium optimae indolis nactus sit, ius illud non exercet, exercet, si filius progressu temporis evadat pervicax. Cf. Liberatore ius soc. num. 94.

Tullii (1), non cum perfectis hominibus pleneque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt *simulacra virtutis.* »

II. Facinorosi homines non timent mortem. Dum enim summo aliorum malefactorum cruciatui intersunt eorumque supplicium spectant, crimina ordiuntur atque etiam perpetrant: damnati ad mortem, proterve ad supplicium procedunt. Ergo princeps inutiliter et insipienter ageret, si timorem mortis adhiberet ad subditos retrahendos a violatione legum.

Responsio. Dantur quidem aliqui homines, qui sunt ita audaces efferati perversi, (putrida sane et corruptiva membra, gladio a societatis corpore abscindenda), ut pro iis nulla poena, ne lethali quidem supplicio excepto, sit efficax ad eos deterrendos a criminibus patrandis. Verum hi homines sunt *relative* pauci: possunt tamquam *exceptiones* haberi. Timor poenarum ac praesertim patibuli est pro hominibus, *generatim* loquendo, fraenum validissimum, quo retinentur ne ordinem perturbent. Quare princeps utiliter ac sapienter adhibet timorem poenarum, atque etiam mortis ad subditos cohibendos ab iis patrandis criminibus, quibus mortis poena est proportionata. Hoc enim princeps debet maximopere spectare: quid *generatim* (neglectis *exceptionibus*) refraenet homines a malo, quid incitet ad bonum. — Adverte, timorem mortis esse fraenum validissimum, si poena mortis, quae intentatur, scelestis ut par est reapse applicetur: si enim perraro id fiat, tunc profecto ipse capitalis supplicii timor ob facilis liberationis spem vi sua coercitiva destituitur.

---

(1) De off. I. 15.

III. Scelesti homines carcerem perpetuum magis formidant quam mortem. Cum enim ad crimina perpetranda se frequenter obiiciant periculo mortis, hanc parum horrent: hinc videmus eos, qui ad vincula damnantur, perpetrare in ipso carcere homicidia, ut scilicet morte puniantur. Ergo sapienter princeps civilis abstinere potest ab intentanda et infligenda poena mortis, cum in promptu habeat aliam poenam, quae magis improbos terret.

Responsio. Sapiens legislator debet, neglectis *exceptionibus*, spectare quid, *generatim* loquendo, homines magis formident. Iamvero, si paucos excipias, homines, generatim loquendo, magis, quam carcerem, horrent mortem, praesertim si haec ignominiose et publice infligenda sit. Hinc ad mortem damnati postulant, ut plurimum, commutationem poenae mortis cum poena carceris, eamque, si concedatur, excipiunt tamquam magnum beneficium. Et sane, ut iam diximus, vita est fundamentum omnium aliorum bonorum, iisque omnibus praestat quammaxime. — Illud insuper adverte, aliud esse se obiicere mortis periculo cum spe evadendi et magna emolumenta percipiendi, aliud esse ante oculos habere ignominiosum mortis supplicium absque spe evadendi et sine utilitate ulla.

IV. Si poena mortis esset reapse efficax ad impedienda crimina; haec delicta magno numero crevissent in iis societatibus, apud quas poena illa e medio sublata est aut in desuetudinem abiit. Atqui tantum abest ut aucta fuerint crimina, ut e contrario sint apud eas societates imminuta. — E. g. in Anglia (ita auctor (1)

(1) Rebaudi in opusc. iam cit., *la pena di morte* etc.

quidam recens) aliqua contra proprietatem crimina olim puniebantur, nunc autem non amplius puniuntur poena mortis. Si quadriennium ante huius poenae abolitionem, ab anno 1855 ad annum 1859, et quadriennium post eius abolitionem, ab anno 1875 ad annum 1879, (post viginti scilicet annorum interiectum), comparemus inter se; invenimus criminum numerum esse multo minorem, postquam eá crimina desierunt puniri morte: siquidem post poenae huius abolitionem invenimus, quovis anno, 520 crimina *minus*, quam ante.

Responsio. Si inter duo illo facta, i. e. *abolitionem* poenae capitis et *imminutionem* criminum, nexus reapse existeret, nimirum si ideo imminuta essent furta et rapinae quia mortis poena fuit sublata; hoc concludendum foret, poenam capitis, qua olim ea crimina puniebantur, esse multo minorem, multoque minus deterrere, quam poenam carceris etiam temporanei, qua nunc furta et rapinae puniuntur. Id autem est sensui communi nimis repugnans(2). — Imminutio igitur criminum post abolitionem poenae capitis debet ex aliis diversissimis causis repeti, praesertim cum inter comparationis terminos magna sit (*viginti* annorum) interiectio. Potuit id oriri e. g. ex miseriae seu egestatis, quae movere ad furta solet, imminutione: ex maiori militum seu lictorum vigilantia, quae probabilitatem occultandi crimen imminuat: ex solertiori in filiis ad religionem virtutemque educandis cura atque studio: ex maiori numero magisque ordinato viarum publicarum statu etc.

V. Qui homicidium aliquod animo molitur, non tam

---

(1) Hae scilicet annuae supputationes *(statistiche)* praebent factum *augmenti* aut *imminutionis* post aliquam inductam in legibus mutationem Debet autem lector inquirere utrum augmentum aut imminutio mutationi illi, an vero aliis causis tribui debeat.

cogitat de mortis poena a legibus civilibus pro scelere illo constituta, quam de modo crimen occultandi atque intentatam mortis poenam effugiendi.

Responsio. Cogitat de utroque. Quod si spes seu probabilitas devitandi poenam capitis, scelestos homines reddit animosos ad homicidia patranda; multo magis eos impellet probabilitas vitandi omnem poenam et certitudo de extremo supplicio non luendo. Haec autem certitudo adest in iis societatibus, in quibus vel non dantur leges homicidia prohibentes sub poena capitis, vel etsi dantur, tamen ex principis non dicam clementia, sed imprudentia homicidae omnes a tali poena eximuntur.

VI. Admissa poena capitis tamquam legitima, hoc oriri potest malum gravissimum, quod innocentes viri morte mulctentur.

Responsio. Haudraro contingit, ut aliqua ordinatio seu institutio sit recta atque apprime utilis, immo etiam sit necessaria, et nihilominus effectus aliquis malus *per accidens* ex ea consequatur. Talis autem est ordinatio seu institutio iudiciaria et vindicativa societatis civilis. Est recta atque utilis, immo necessaria, tunc etiam quando gladium gerit illumque eximit et exercet: exinde tamen potest hic malus consequi effectus, quod sententia mortis contra innocentem feratur. Hic malus effectus non sequitur *per se* ex illa ordinatione: sed occasione ipsius dimanat aliunde, *per accidens*, i. e. ob iudicum sive fallibilitatem sive etiam improbitatem. Nulla autem est bona res, nulla bona institutio, cuius occasione propter hominum sive fallibilitatem sive improbitatem non enascantur mala (1). Ineptus esset ille,

(1) Cf. vol. II. pag. 286.

qui ob accidentalem hunc effectum, vellet potestati civili eripere ius gladii aut eius exercitium reddere nullum. Tunc enim multo frequentiores essent caedes innocentium virorum: eaeque *per se* ex illius iuris defectu exorirentur. Dixi, *per se*: orirentur enim ex defectu fraeni, quo nefarii homines unice retineri possunt ab aliorum civium vita inique impetenda. Non ageretur iam de uno vel altero innocente viro, cuius vita sententiae iudicum fallibilium subiacet: sed de tot ageretur honestis probisque civibus, quorum vita a gladio hominum scelestorum non esset satis tuta ac protecta.

VII. Huius lethalis poenae irrogatio mores corrumpit. Londini ac Parisiis videre olim erat plebem, quae per totam noctem circa patibulum in medio plateae erectum debacchabatur, mane vero miseras humanae iustitiae victimas efferatis plausibus excipiebat.

Responsio. Adspicere tantummodo culpam, potest ac solet bonis moribus nocere: facile enim est, prava exempla imitari. At spectare culpam simul cum debita poena coniunctam, prodest bonis moribus. « Quando, ait s. Thomas (1), simul cum culpa innotescit et poena, vel mortis vel quaecumque alia, quam homo horret, ex hoc ipso voluntas eius a peccando abstrahitur: quia plus terret poena, quam alliciat exemplum culpae. » Quare ferale supplicium, *per se* loquendo, salubrem in adstantium animis gignit effectum, deterrendi a crimine: non corrumpit mores, sed e contrario corrigit. Hanc morum emendationem in omnibus producit, iis tantummodo exceptis, qui sunt penitus depravati. Hos quidem ipsos feralis supplicii adspectus non pervertit:

(1) In 2. 2. q. 108. a. 3. ad 3.m

agitur enim de hominibus, qui sunt antecedenter iam et omnino corrupti, qui ferae sunt, immo feris peiores (1). Quemadmodum igitur ferae, viso sanguine, furunt; sic illi mortis supplicio adstantes ad ferociam insolescunt. — Id non impedit, quominus mortis poena irrogari possit ac debeat, ut scilicet ordo crimine perturbatus redintegretur. Si tamen magnus sit in civitate earum ferarum numerus, satius fortasse erit, sententiam capitalem, non adeo publice, sed paucioribus adstantibus exsequi.

Ut brevitati consulamus, principia quaedam ad ceteras obiectiones diluendas paucis innuemus.

α) Hoc ius, quemadmodum cetera quae civilis auctoritas complectitur, est, non iam a populo, sed a Deo. In sententia illorum, qui aiunt civilem potestatem non esse nisi aggregationem iurium, quibus privati libere se exspoliant (2), hoc sane ius non explicatur (3).

β) Mortis supplicium est homicidium quoad effectum materialem, non vero quoad ea quae moralem actum constituunt. Occisio scilicet hominis non est semper homicidium sensu morali (4). Sic licet ipsis privatis iniustum vitae aggressorem occidere, iustae defensionis causa: licet militibus in bello iusto interficere hostes reipublicae.

γ) Non licet malum morale committere, quia alter

---

(1) Ut homo, ait Philosophus, Polit. I. 1., suis omnibus numeris absolutus est animalium optimum, ita a lege et iure semotus est omnium deterrimum: χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων.

(2) De hac sententia diximus saepius: cf. praesertim pag. 197

(3) Cf. omnino quae hac de re diximus super. pag. 45., et fusius pag. 194.

(4) Vide vol. II pag. 243. et 254.

fecit malum morale: at licet principi civili malum inferre physicum ei qui patravit malum morale. Secus, non modo poena capitis, sed nulla prorsus poena posset irrogari. Illud adverti potest, intentionem principis non quiescere in malo illius, de quo vindictam sumit, sed ferri in aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam malefactoris, e. g. in restitutionem ordinis, cohibitionem delinquentis, quietem aliorum civium etc. (1).

δ) Homicidium etiam simplex meretur poenam capitis, si cum praemeditatione fuerit perpetratum. Maior quidem poena, i. e. cum maiori infamia aut dolore coniuncta, imponi debet iis, qui plura homicidia aut homicidium qualificatum admiserint. Quod si nequeat id fieri (neque enim semper omnibus gradibus culpae possunt gradus poenae ad amussim commensurari), non idcirco poena mortis iniuste irrogatur pro simplici etiam homicidio: est enim homicidio etiam simplici proportionata. Illud sane recolendum, sanctionem in hac vita initium, in altera vita complementum habere: quare ii, qui hac in vita minus quam par est puniuntur, poenas perfecte adaequatas, nisi resipiscant, luent in altera vita.

ε) Princeps civilis non habet malefactorem ut rem. Neque enim disponit de ipsius vita in proprium commodum (quod est, aliquid habere ut rem), eo pacto quo in nostram utilitatem disponimus de vita brutorum: bruta quidem sunt propter hominem, cives autem non sunt propter principem. At civis est propter Deum, est propter ordinem seu legem moralem, cuius princeps civilis, Deo ipso sic disponente, est naturalis custos ac vindex. Si igitur civis servat ordinem, laudem ac prae-

---

(1) Vide vol. II. pag. 93.

mium a Dei ministro habebit: verum si violat, habebit reprehensionem ac poenam. Sic autem agendo, princeps habet civem, non ut rem, sed ut membrum societatis, ut subditum Deo atque ordini ab Ipso statuto: ab hoc ordine civis mediante principis ministerio deprimitur per poenam, si contra ipsum per culpam insurgit.

ζ) Ius ad vitam est quidem congenitum. At potest Deus naturae auctor finem vitae imponere et reapse finem omnium vitae imponit: ut autem imponit etiam innocentibus per agentia alia physica, ita imponit scelestis per principes civiles, tamquam per suos ministros ac vindices, quemadmodum affirmat s. Paulus in epist. ad Rom. cap. XIII. Quare parricida non habet ius ad vitam respectu principis, qui a Deo ipso potestatem habet puniendi parricidas proportionatis poenis.

η) Princeps habet ius puniendi atrociora crimina poena capitis. Id tamen non impedit, quominus aliquando possit poenam illam commutare in aliam mitiorem. Si rationabili de causa id faciat, et nullum exinde sit communitati nocumentum pertimescendum, laudari etiam poterit ut clemens (1).

θ) Cur ergo sapientissimus Solon ne in ipsos quidem parricidas voluit poenam capitalem constituere? Solon nullam poenam, nedum mortis, in eos constituit. Cur autem id fecerit, et utrum in hoc se gesserit sapienter, accipe ex Tullio (2): « Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur: eius porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur,

---

(1) Vide quae diximus in fine thesis praecedentis pag. 310. — De clementia cf. s. Thomam, 2. 2. q. 157.

(2) In orat. pro Sext. Roscio Amer.

scripserit. Is cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset; respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat: ne non tam prohibere quam admonere videretur. Quanto maiores nostri sapientius, qui cum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia (1), supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio summoverentur (2): insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen deiici (3). O singularem sapientiam, Iudices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente caelum, solem, aquam, terramque ademerunt? ut qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur (4). Noluerunt feris corpus obiicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur: non sic nudos in flumen deiicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quae violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, nec tam vulgare est, cuius partem ullam reliquerint. Etenim quid tam est

---

(1) En id, quod paulo ante asserebamus, nempe necessarium esse constituere leges atrociora crimina prohibentes sub comminatione poenae capitalis: nihil enim est tam sanctum, quod non aliquando violet audacia.

(2) En optime expressus finis poenae in statu comminationis.

(3) Neque in hoc statuendo supplicio possunt vocari *crudeles*. Nam « crudeles, ait Seneca de clement. II. 4., vocantur, qui puniendi causam habent, modum tamen non habent. » — De crudelitate cf. s. Thomam, 2. 2. q. 157. a. 1. ad 3.m et q. 159.

(4) Adnotes curam in servanda proportione culpam inter et poenam.

commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare navigantibus, litus eiectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant: ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, ut numquam abluantur: ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant. »

THESIS LXXVI.

I. *Ad potestates ferendi leges, iudicandi et exsequendi iura supremae civilis auctoritatis merito revocantur.* II. *Hae tres potestates a pluribus separatim subiectis possunt ut delegatae ac dependentes haberi et exerceri: verum, ut ordinariae atque independentes, debent coniunctim esse in uno subiecto, a quo tamquam a radice seu fonte omnis sit delegatio repetenda, scilicet in illo sive homine sive hominum coetu, qui totius societatis est princeps supremus.*

191. Demonstratio prioris partis. Quod iura supremae auctoritatis ad triplicem illam, ferendi leges, iudicandi et exsequendi potestatem reducantur, omnes facile admittunt (1).

Ratio autem est, quia per triplicem illam potestatem suprema auctoritas sufficienter tum *dirigit* tum *movet* in finem multitudinem socialem. Scilicet cum suprema auctoritas ad hoc sit instituta a natura, ut socialis multitudo *dirigatur* et efficaciter *moveatur* in finem; si hoc munus suum per triplicem illam potestatem sufficienter exsequitur, concludendum est, eam non esse instructam

---

(1) Hac de re iam diximus aliqua super. pag. 21. num. 11.

alia potestate, quae ad aliquam ex illis tribus non reducatur. Quemadmodum enim natura non deficit in necessariis, ita etiam, ut dici solet, non abundat in superfluis.

Quae ratio confirmatur, comparatione facta inter personam moralem et hominem individuum. Tria in homine individuo ad sui gubernationem requiruntur et sufficiunt: nimirum, generale legis naturalis dictamen, quod habetur per synderesim, huius generalis dictaminis applicatio ad casum particularem, quae fit per iudicium conscientiae, ac demum applicatio facultatum ad exsequendum id, quod lex et conscientia dictant. Sic igitur in persona morali seu societate tria haec requiruntur et sufficiunt: nempe, generale legis socialis dictamen, particulare iudicium seu sententia, quae generalia legis dictamina ad casus speciales applicet, quaeque definiat quid secundum statutas leges sit in particulari sentiendum aut faciendum, ac tandem vis quaedam activa, quae generalium legum et iudiciorum particularium exsecutionem curet, urgendo observationem, praeveniendo et impediendo violationes, easque vindicando.

Confirmatur adhuc, si consideremus ceteras potestates, quae in medium afferri possent; inveniemus enim eas vel non pertinere ad auctoritatem gubernatricem, de qua proprie nunc loquimur, cuiusmodi est e. g. ius constituens (1), vel ad praedicta tria iura revocari, cuiusmodi est e. g. *ius puniendi* (2).

Itaque tripartita haec divisio functionum seu iurium supremae auctoritatis censeri potest *adaequata*.

---

(1) Vide super. pag. 289.
(2) Vide super. pag. 382.

192. Demonstratio alterius partis. Sunt auctores, qui cum Montesquieu (1) contendunt, tres illas potestates, quas diximus politicum constituere principatum, i. e. legislativam iudiciariam et exsecutivam, debere esse, non in uno eodemque subiecto coniunctas, sed in pluribus separatis subiectis divisas. Secus enim, inquiunt, lubrica ac praeceps patet via ad tyrannidem. Quare coniunctionem trium illarum potestatum in una persona reformidant, propter periculum tyrannidis: approbant autem earumdem divisionem in pluribus personis, tamquam necessarium contra tyrannidem remedium. — Hac in sententia latet aequivocatio, quae dissolvitur, sequenti adhibita distinctione.

Potestas suprema, et generatim potestas aliqua, solet duobus modis haberi, videlicet vel ut *ordinaria* vel ut *delegata*. — Habetur ut ordinaria, quando habetur vi officii, quod quis gerit, et cui potestas illa est adnexa quatenus sine ea officium impleri non potest. E. g. potestas iurisdictionis tum in principe totius regni tum in praefecto alicuius particularis urbis est ordinaria:

---

(1) *L'esprit des lois*, t. 1. l. XI. c. 6., ait: « Quando in persona eadem vel in eodem magistratuum collegio potestas legislativa cum exsecutiva coniungitur, libertas plane exulat: siquidem timendum tunc est, ne Monarcha aut Senatus leges condat tyrannicas, easque tyrannice exsequatur. Similiter libertas deest, quando potestas iudicandi ab utraque illa potestate, legislativa et exsecutiva, non separatur. Si iuncta concipitur cum potestate legislativa, ius in vitam et libertatem civium erit arbitrarium: iudex enim esset etiam legislator. Si cum potestate exsecutiva copulatur, iudex facile in oppressorem degenerabit. Omnia corruerent, si idem homo, aut idem corpus optimatum, vel nobilium, vel populi, huiusmodi tres partes potestatis exercerent, condendi leges, exsequendi publicas deliberationes, iudicandi delicta, vel privatas civium contentiones. »

suprema quidem et independens in principe, subordinata autem et dependens in praefecto (1). — Habetur ut delegata, quando non habetur vi officii, sed ut demandata seu commissa ab habente potestatem ordinariam. Commissio autem seu delegatio potest duobus modis fieri. Uno modo, ut commissio sit tantum ad examinandum et iudicandum, utrum e. g. lex de cuius promulgatione agitur sit iusta et necessaria, aut quibus verbis ferenda sit. Alio modo, ut vere demandata sit ipsa potestas, e. g. facultas ipsa verum ac proprium imponendi praeceptum, quod vim ac robur habeat absque alia confirmatione vel approbatione delegantis (2). Patet autem potestatem delegatam esse semper dependentem. — Hisce praemissis, duo statuimus.

I. Tres illae potestates, quae supremam auctoritatem componunt, sunt delegabiles utroque illo de quo nunc dicebamus modo; immo moraliter necessarium est quod priori praesertim modo delegentur, et quidem ita ut pluribus separatis personis demandentur et exercendae committantur (3).

Etenim α) diversae sunt mentis animique dotes, quas exercitium uniuscuiusque ex tribus illis potestatibus expostulat, et ita diversae, ut, attenta humanae naturae infirmitate, vix umquam in uno eodemque subiecto reperiantur coniunctae. — Insuper β) fieri nequit, ut uni personae suppetat otium et mentis tranquillitas

---

(1) Item potestas iurisdictionis est ordinaria in Romano Pontifice et in ceteris Episcopis: suprema quidem et independens in Illo in his autem subordinata et dependens. — De distinctione potestatis in *supremam* et *subordinatam* diximus super. pag. 187.

(2) Cf. Suarez, de leg. l. III. c. 4. num. 9. seqq.

(3) Ad rem faciunt quae leguntur Exod. XVIII. 13 — 26.:

ad triplicem illam potestatem recte exercendam. — Hinc γ) cives securitatem de prompta iurium tutela atque constanti ordinis conservatione habere vix possent, si unus idemque per seipsum exerceat tria simul munera, legislatoris iudicis et exsecutoris. — Adde δ) quod facilior et gratior evadit gubernatio, quando in eius partem maior civium numerus advocatur. — Unde ε) in societatibus etiam parvis obtinuit semper aliqua earum potestatum delegatio, et consequenter quoad exercitium

---

« Altera autem die sedit Moyses, ut iudicaret populum, qui assistebat Moysi a mane usque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus eius, omnia scilicet quae agebat in populo, ait: Quid est hoc, quod facis in plebe? Cur solus sedes, et omnis populus praestolatur de mane usque ad vesperam? Cui respondit Moyses: Venit ad me populus quaerens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut iudicem inter eos, et ostendam praecepta Dei et leges eius. At ille: Non bonam, inquit, rem facis: stulto labore consumeris et tu, et populus iste qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea atque consilia, et erit Deus tecum. Esto tu populo in his, quae ad Deum pertinent, ut referas quae dicuntur ad Deum: ostendasque populo caeremonias et ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant. Provide autem de omni plebe viros potentes et timentes Deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam, et constitue ex eis tribunos et centuriones et quinquagenarios et decanos, qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, et ipsi minora tantummodo iudicent: leviusque sit tibi, partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, et praecepta eius poteris sustentare: et omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace. Quibus auditis, Moyses fecit omnia, quae ille suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos et centuriones et quinquagenarios et decanos. Qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantum iudicantes. »

divisio: quare multo magis obtinere debet in magna et perfecta societate, qualis est civitas.

II. Verum ut ordinariae et independentes, debent eae potestates reperiri simul coniunctae in supremo societatis rectore. Sine supremo hoc principe, qui sit principium unitatis et ordinis, societas non potest consistere (1). Supremus autem princeps est ille, qui praedictas tres potestates in se habet, easque habet ut ordinarias et independentes. Et sane α) princeps non est ille, qui caret potestatibus ad munus principis implendum requisitis: eae vero tres potestates sunt omnes et singulae ad munus principis exsequendum prorsus necessariae. Princeps β) non est, sed minister principis, qui eas potestates habet, non iam ordinarias, sed ab alio sibi delegatas. Qui vero γ) eas habet ut ordinarias, sed modo dependenti, is princeps quidem est, non tamen princeps supremus. Hoc unum triplicis illius iuris principale subiectum diversis, dependenter tamen a seipso, utetur ministris ad exercendam triplicem illam potestatem, quae ex se pullulat, quamque in se continet, tamquam in radice una et uno fonte. Vix opus est, ut moneamus, nos de unitate loqui, sive physica sive morali (2).

(1) Cf. super. thes. XXXVIII. — Qua in thesi ostendimus, nullam societatem, multo vero minus societatem *perfectam*, posse subsistere absque *uno* supremo rectore, qui sit velut anima societatis, ac primum in ea unitatis et ordinis principium.

(2) Admittamus (obiicere hoc solent) sententiam veterum circa primam politici principatus originem. Auctoritas est immediate a Deo in communitate. Communitas, ut eam potest sibi totam retinere, ita poterit etiam eam separatim dare tribus distinctis subiectis, i. e. dare uni subiecto potestatem legislativam, alteri a priori distincto iudiciariam, tertio executivam. — *Respondeo*. Scilicet, in tali hypo-

Ut recte advertit Liberatore (1), in hoc erravit Montesquieu, « quod unice ad partem *negativam* auctoritatis contemplandam se convertit, *positivam* vero, quae praecipua est et fundamentum ipsius partis negativae, omnino neglexit. Nimirum consideravit *remotionem abusus*: ne hilum quidem cogitavit de *unitate ordinis et vitae*, quam auctoritas multitudini, ut animus corpori impartitur. Si partes singulae auctoritatis autonomae omnino efficiantur, et a nullo principio vere uno dependentes; quomodo consensus et harmonia exsurget in motu sociali? Consensus hic casualis erit et fortuitus, et plerumque inde proveniet, quod una pars astutia aut vi alias subigat, et, ad factum quod pertinet, sola in ceteras dominetur. » Illud etiam advertendum contra Montesquieu, divisionem potestatum ad eius mentem praestitam non sufficere ad tyrannidis periculum avertendum, ut facile consideranti patebit (2).

Hisce finem imponimus disputationi de iuribus politici principatus: quaenam scilicet sint morales potestates, quas in bonum communitatis princeps habet.

---

tesi communitas non alienaret seu perfecte largiretur auctoritatem, sed tantummodo delegaret. Quare auctoritas remaneret, tamquam in suo principio seu fonte, in ipsa communitate: tria autem illa subiecta haberent potestatem vel legiferam vel iudiciariam vel exsecutivam tamquam delegatam, eamque cum dependentia a communitate exercerent. — Veteres tamen non hoc pacto rem concipiebant, quando affirmabant, communitatem transferre potestatem in principem. Intelligebant enim translationem, quae esset, non iam tantum delegatio, sed alienatio seu perfecta largitio totius potestatis quae prius erat in communitate.

(1) Ius soc. num. 97.

(2) Cf. Tongiorgi, eth. num. 491.

c) De subditorum et imperantium officiis.

THESIS LXXVII.

I. *Officium subditorum est iis, qui praesunt, reverentiam et obedientiam, tamquam Dei ministris, exhibere.* II. *Officium vero supremi rei publicae moderatoris hoc est, ut potestate sibi a Deo collata recte utens, socialem ordinem efficaciter constituat, sancte custodiat, violatumque reparet.* III. *Omnes tandem patriam ordinato amore prosequi tenentur, ad verum eius bonum una conspirantes.*

193. Demonstratio. Quaestionem de iuribus politici principatus quaestio excipit de subditorum et imperantium officiis.

I. Ad subditos quod attinet, ii debent principibus civilibus exhibere haec duo: *reverentiam* et *obedientiam*. Ratio est manifesta: quia principes sunt vere *ministri Dei* (1). Iamvero ministro regis debetur reverentia, necnon obedientia in iis, in quibus minister est. Qui reverentiam et obedientiam ei deneget, is censetur deesse reverentiae et obedientiae debitae ipsi Deo: ut patet ex consensu omnium hominum et ex illo Reg. I. S., *Non te abiecerunt*

(1) Ad rem Taparelli, Saggio ecc. dissert. II. cap. VIII. n. 500: « Suol dirsi dai savii, essere il sovrano una *immagine di Dio*, un *luogotenente di Dio*. Imperocchè egli non solo viene a partecipare quell'autorità, con cui governa Iddio l'universo per vantaggio dell'universo medesimo, la quale partecipazione è propria di tutti i superiori: ma viene a parteciparla colla giunta della indipendenza, nella quale propriamente trovano i metafisici la distinzione caratteristica dell'Essere divino, col dirlo Ente indipendente. [illegible] »

sed me. Insuper, iuri, quod princeps habet praecipiendi non potest non respondere in subditis officium praecepta principis implendi.

« Spernere potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere: cui si qui resistunt, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (1). » Ita Leo XIII. in epist., *Immortale Dei* (2).

II. Agendum nunc est de supremi rei publicae moderatoris officiis. Is tria habet iura: ferendi leges, iudicandi et exsequendi. At iura, ut alio loco diximus (3), duas in classes dividuntur: alia sunt *liberi*, alia vero *obligatorii* exercitii. Obligatorii exercitii sunt iura illa, quae alicui conferuntur, utpote necessaria ad aliquam, quae eidem imponitur, obligationem implendam. Atqui huiusmodi sunt iura, quae naturalis lex principi civili largitur. Sunt scilicet iura, quae ei conceduntur, utpote necessaria ad implendam illam, qua adstringitur, obligationem adducendi communitatem ad consecutionem finis. Ergo iura sunt exercitii obligatorii. Quare hoc est principis civilis munus et officium: rectas ferre leges, iusta pronuntiare iudicia, ac legum sententiarumque exsecutionem actu procurare: ordinem constituere per leges, custodire per iudicia, urgere ac vindicare per vim coactivam.

Gravissimum sane est hoc, quo principes tenentur, officium. « Si, qui praesunt, delabantur in dominatum iniustum, si importunitate superbiave peccaverint, si

(1) Rom. V. 2.

(2) De subditorum officiis praeclara habentur in hac epist., ut etiam in alia, *Diuturnum illud teterrimumque bellum*.

(3) Vide vol. II. pag. 36.

male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint (1). »

III. Omnes tandem, sive subditi sive imperantes, debent patriam ordinato amore prosequi, ad verum eius bonum simul una conspirantes. Omnes enim sumus cives, seu communitatis civilis socii: quicumque autem est socius alicuius communitatis (praesertim vero si naturalis ea sit ac necessaria), is debet eius bonum velle, et ad eius bonum una cum aliis sociis cooperari. Omnes maxima a civili consortio beneficia recepimus: quae sunt amoris redditione compensanda.

« Homo, verba sunt s. Thomae iam alio loco (2)

---

(1) Verba Leonis XIII. in ep. nuper cit., *Immortale Dei.* — Cum tam gravi princeps adstringatur officio, quaeres, utrum possit cum laude regnum abdicare. Negat Burlamachius inquiens, regi moriendum esse in proprio throno, et signum abiecti animi esse ac valde dedecens maiestatem principis, se propria auctoritate privare (*Principes de Droit nat. et pol.*, l. 2. p. 1. ch. 4.). Verum contraria est sententia tenenda: Princeps potest regni curam deponere, excepta hypothesi, quod eiusmodi abdicatio in magnum rei publicae damnum cedat. Videndum porro erit, qua de causa id faciat. Si, bono societatis nihil periclitante, id faciat, ut altiorum virtutum exercitio se dedat, laudandus erit. Ut laudem etiam merebitur, si id faciat, quando talis abdicatio ab ipsa publica utilitate et pace persuadeatur. — Alia est quaestio: utrum non modo quoad se, sed etiam quoad filios, qui successuri essent, princeps abdicare regnum possit. Quam quaestionem sic solvit Liberatore, ius soc. num. 79.: « Generatim dicendum videtur, inspecto solo iure naturae, posse patrem abdicare etiam pro filiis, sive nascituris sive natis, quamdiu sub patris potestate manent: non posse autem pro filiis, qui iam emancipati sunt: quippe hi propriis iuribus plene ornantur, ac proinde ob factum alterius iure successionis, quod vere possident, spoliari nequeunt. »

(2) In 2. 2. q. 101. a. 1. Vide super. pag. 131.

allata, efficitur diversimode aliis debitor, secundum eorum diversam excellentiam et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus summum obtinet locum, qui et excellentissimus est, et est nobis essendi et gubernationis primum principium. Secundario vero nostri esse et gubernationis principia sunt Parentes et Patria, a quibus et in qua nati et nutriti sumus. Et ideo post Deum est maxime homo debitor parentibus et patriae (1). Unde sicut ad *religionem* pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad *pietatem* pertinet exhibere cultum parentibus et patriae. »

Hic porro erga patriam amor debet verus esse atque efficax: i. e. debet in perfecta legum civilium custodia consistere et nos promptos reddere ad pericula subeunda, ad mala seu incommoda toleranda, ad operam collocandam pro patriae bono. Qua in re, ex Leonis XIII.

---

(1) Vattel, *le droit des gens* t. 1. l. 1. c. 11., sic definit patriam: « Le terme de *patrie* est, ce semble, assez connu de tout le monde. Cependant, comme on le prend en différents sens, il ne sera pas inutile de le définir ici exactement. Il signifie communément l'*état dont on est membre*... Dans un sens plus resserré et plus dépendant de l'etymologie, ce terme signifie l'état ou même plus particulièrement la ville, le lieu, où nos parents avaient leur domicile, au moment de notre naissance. En ce sens on dit avec raison, que la patrie ne se peut changer et demeure toujours la même, en quelque lieu que l'on se transporte dans la suite. Un homme doit conserver de la reconnaisance et de l'affection pour l'état auquel il doit son éducation, et dont ses parents étaient membres lorsqu'ils lui donnèrent la vie. Mais comme diverses raisons légitimes peuvent l'obliger à se choisir une autre patrie, c'est-à-dire, à devenir membre d'une autre société, quand nous parlons en général de devoirs envers la patrie, on doit entendre ce terme de l'état, dont un homme est membre actuel, puisque c'est celui auquel il se doit tout entier et par préférence. »

epistola, *Immortale Dei*, aliqua proferam praeclara documenta: « Illud salutis publicae interest, ad *rerum urbanarum* administrationem conferre sapienter operam: in eaque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum. — Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere, ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia haec praecepta Nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut, maximis iustissimisque de caussis, rempublicam capessere, in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae: eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas suscepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie coniunctum christiani nominis: propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati, minimum qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi causam esse iustam catholicis: non enim adeunt neque adire debent ob eam causam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac

sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere. » Quae omnia, adducto catholicorum, qui primis Ecclesiae aetatibus floruerunt, exemplo confirmantur.

194. Scholion. *Religio* et *pietas* sunt, ut ex hac thesi liquet, duae maxime necessariae virtutes. — Ad priorem pertinet exhibere cultum Deo, primo nostri esse et gubernationis principio. — Ad alteram pertinet exhibere cultum parentibus et patriae, secundariis nostri esse, et gubernationis principiis.

At enim, quaeri potest, quid agendum, quando hae duae virtutes, *religio* et *pietas*, se mutao impediunt seu invicem repugnant? — Huic quaestioni recte s. Thomas (1) respondet, *negando suppositum.* « Religio et pietas sunt duae virtutes. Nulla autem virtus alii virtuti contrariatur aut repugnat, quia secundum Philosophum (2), *bonum non est bono contrarium.* Unde non potest esse, quod pietas et religio se mutuo impediant, ut propter actum unius actus alterius excludatur. Cuiuslibet autem virtutis actus (3) debitis circumstantiis limitatur, quas si praetereat, iam non erit virtutis actus sed vitii. Unde ad pietatem pertinet officium et cultum parentibus exhibere *secundum debitum modum.* Non est autem debitus modus, ut plus homo tendat ad colendum patrem, quam ad colendum Deum. Sed sicut Ambrosius (4) dicit, *necessitudini generis divinae religionis pietas anteferatur.* Si ergo cultus parentum abstrahat nos a cultu Dei, iam non esset pietatis parentum insistere

(1) Loc. nunc cit., art. 4.

(2) In libro de Praedicamentis cap. de oppos.

(3) Cf. 1. 2. q. 7. a. 2., q. 18. a. 3.

(4) Super Luc. c. 12.

cultui contra Deum. Unde Hieronymus (1) dicit: Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexillum crucis evola: summum genus pietatis est hac in re fuisse crudelem. »

Hisce autem calumnia refellitur, qua saepe catholici probique viri impetuntur: quando scilicet *impii* vocantur, quia ob cultum Dei seu virtutem religionis non consentiunt, immo resistunt irreligiosis parentum aut concivium postulatis. Iure sane ac merito sequens in Syllabo (2) condemnatur propositio: « Tum cuiuslibet sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur. »

THESIS LXXVIII.

Societas etiam civilis, aeque ac homo individuus, debet Deo auctori, gubernatori ac fini suo ultimo cultum exhibere.

195. Praenotiones. Quid proprio atque stricto sensu sit *cultus,* diximus alio loco (3): est exhibitio alicuius Deo facta expresse ac formaliter in protestationem nostrae ab eo dependentiae plenaeque servitutis. Duplex autem, ut eodem loco diximus, distinguitur cultus: *privatus* seu *individualis*, *publicus* seu *socialis*. Publicus non definitur,

(1) In epist. ad Heliodorum.
(2) Prop. LXIV.
(3) Vide vol. II. thes. IX.

ille qui publice exhibetur (siquidem ipse cultus privatus potest publico in loco exerceri), sed, ille qui a societate qua tali seu actu sociali praebetur Deo.

Iamvero non defuerunt, nec desunt philosophi, qui quamvis pro homine *individuo*, ob naturalem eius a Deo dependentiam, admittant naturale officium colendi Deum; illud tamen respuant pro *societate civili*, ac si haec quoque non esset a Deo naturaliter dependens. Hi errant vehementer: error autem ex eo potissimum oritur, quod politicum consortium habeant tamquam humanam adinventionem, non autem institutionem Dei: habeant tamquam societatem arbitrariam et pactitiam, non autem necessariam et naturalem (1). Illud sane ne de arbitraria quidem societate dici potest: sed multo minus de *naturali*, quae scilicet — a Deo procedit ut auctore, — a Deo pendet ut gubernatore, — ad Deum tendit ut finem ultimum.

« Natura et ratio (sapientissima sunt Leonis XIII. verba in epist., *Immortale Dei*) quae iubet *singulos* sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti, ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit *civilem communitatem*. Homines enim *communi societate coniuncti* nihilo sunt minus in Dei potestate, quam *singuli*: neque minorem, quam *singuli*, gratiam Deo *societas* debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. » Praeclare veritas, quam tuemur, asseritur: aptissime argumenta ad hanc veritatem tuendam suppeditantur.

196. Demonstratio. 1.°) Ille debet colere Deum,

---

(1) Vide super. thes. XXIX-XLII.

qui pendet a Deo. Atqui non solum singuli homines, sed etiam societas civilis, qua talis, dependet a Deo multipliciter: tamquam a suo Auctore, Domino, Gubernatore, Fine ultimo. Ergo etiam societas civilis qua talis, debet colere Deum, seu actu publico et sociali debet Ipsum recognoscere atque revereri. — Quam rem ut exemplo aliquo declaremus, sit terrenus rex, qui ad invisendam civitatem aliquam regni sui se conferat. Anne sufficit, ut singuli quique cives seorsim accedant ad obsequium illi exhibendum? Id procul dubio non sufficit; id tantum si fieret, iure meritoque rex se offensum iudicaret. Requiritur enim, ut civitas ipsa, qua talis, actu aliquo sociali et publico, testetur regi suam submissionem suumque obsequium: siquidem non tantum singuli cives, sed etiam ipsa civitas a rege pendet tamquam a suo domino et gubernatore. Quod si ita civitas se gerere debet erga regem suum terrenum; quanto magis oportet, ut civilis societas cultum socialem Deo exhibeat, a quo scilicet multo magis dependet, quam civitas a suo rege.

2.°) Ille debet colere Deum, ipsique gratum animum exhibere, qui ab eo beneficia recipit. Atqui non tantum singuli homines, sed etiam societas civilis beneficia recipit a Deo. Ergo societas quoque civilis cultu externo atque publico debet colere Deum. *Minor* est evidens; nam multa sunt beneficia, quae immediate ipsi civili societati a Deo conferuntur, v. g. victoria de hostibus (1) et alia huius generis permulta. — Id rursus adducto exemplo declaremus. Si qua societas in iusto bello accepit auxilium a vicino aliquo rege, eiusque ope retulit victoriam; sane

---

(1) Notae sunt *supplicationes*, quae apud Romanos ad plures dies indicebantur ad gratias Diis agendas pro parta victoria, pro re bene et prospere gesta.

non sufficit, quod singuli seorsim cives gratias agant regi illi, sed oportet, ut actu sociali tota societas ei gratum animum exhibeat. Nonne igitur idem faciendum est erga Deum, a quo civilis societas tot tantaque beneficia recipit?

3.°) Ille debet colere Deum, qui ipsius auxilio indiget. Atqui non solum singuli homines, sed etiam societas, qua talis, indiget auxilio atque protectione Dei. Ergo societas, qua talis, debet colere Deum. — Ut in eodem sistamus exemplo, si qua societas bello impetatur et auxilio indigeat vicini alicuius regis; anne sufficit, quod e civibus quidam seorsim et proprio tantum nomine opem ab ipso expostulent? Nonne oportet, ut civitas ipsa auxilium flagitet, v. g. mittendo legatos, qui nomine totius communitatis opem implorent? Pari igitur modo civitas debet se gerere erga Deum, cuius auxilio et tutela tantopere indiget.

4.°) Adde aliud argumenti genus ex eo deductum, quod cultus publicus et socialis conservat et promovet maxime cultum privatum, qui omnino necessarius est.— Certe ad pios erga divinitatem sensus ac motus in civium animis excitandos et fovendos, nihil magis iuvat magisque confert, quam cultus ille publicus et solemnis. — Quod autem privati recte sentiant de Deo, atque debitam Deo reverentiam exhibeant, est aliquid omnino necessarium: neque solum est necessarium pro privatis, sed etiam pro ipsa republica, pro eius scilicet prosperitate ac pace. Ad hanc enim habendam omnino requiritur, quod cives et revereantur principes et eorum iussis obtemperent. At neutrum ut par est cives praestabunt, si Deum, cuius principes civiles sunt ministri, non colant, si legem Dei, in qua leges hominum fundantur et a qua vim obligandi habent, contemnant. Iam enim tunc ad principes

reverendos eorumque iussa implenda moverentur, non motivo officii et moralis obligationis (quod nullum est pro iis, qui Deum omnis obligationis fontem non recognoscunt), sed tantummodo metu illarum poenarum, quas rex civilis minitatur. « At timor, inquit s. Thomas (1), est *debile* fundamentum. Nam qui timore subduntur, si occurrat occasio, qua possint impunitatem sperare, contra praesidentes insurgunt eo ardentius, quo magis contra voluntatem ex solo timore cohibebantur: sicut si aqua per violentiam includatur, cum aditum invenerit, impetuosius fluit. Sed nec ipse timor caret periculo, cum ex nimio timore plerique in desperationem inciderint: salutis autem desperatio audacter ad quaelibet attentanda praecipitat. » Quare respublica sibimetipsi consulit suoque prospicit bono, quando Deum socialiter colit: neque ideo tantum, quod Deum omnium bonorum fontem sibi conciliat ac propitium reddit, sed etiam quia cives efficit vere firmos atque promptos ad constantem civilium legum et socialis ordinis custodiam, ex qua salus totius reipublicae dependet.

5.°) Hinc apud omnes gentes numquam non viguit publicus aliquis divinitatis cultus: extiterunt semper sacerdotes, ritus, sacrificia, templa, signa aliqua ad supremam modo publico divinitatem recognoscendam. Ii etiam ethnici philosophi, qui in suo corde superstitiosas

---

(1) De regim. Princ. l. 1. c 10. — Machiavelli, *la mente di un uomo di stato* l. 1. c. 12. §. 4., ait: « Quelli principi e quelle republiche, che si vogliono mantenere incorrotte, hanno sopra ogni altra cosa a mantenere incorrotte le cerimonie della religione e tenerle sempre nella loro venerazione. Perchè nessuno maggior indizio si puote avere della rovina di una provincia che veder dispregiato il culto divino. »

vulgi caeremonias spernebant, affirmabant Deos esse publice una cum populo colendos: societatem civilem debere esse *atheam*, aut gerere se tamquam si Deus omnino non esset, ne somniarunt quidem.

197. SCHOLION. Ex quibus patet, quinam sint cultus publici et socialis *fines*. — Prior finis est, recognoscere supremum Dei dominium in homines sive singulos sive etiam communi societate coniunctos, seu profiteri absolutam ipsius humanae societatis a Deo dependentiam. — Alter finis est, pios erga divinitatem sensus in omnium animis excitare, seu promovere cultum privatum: id quod, ut vidimus, in maximum ipsius civilis consortii bonum redundat.

Obiiciunt: Deus non indiget cultu hoc publico: ergo eum non exigit. — Respondeo α), Deum ne privato quidem cultu indigere, et tamen eum (neque hoc adversarii negant) exigere. — Respondeo β), Deum publico illo cultu non indigere, et tamen eum exigere. Exigit ratione indigentiae nostrae. Exigit ratione infinitae suae bonitatis, quae digna profecto est, quod omnibus possibilibus modis recognoscatur a nobis et laudetur, quippe quae omnium bonorum fons est, non solum singulis individuis, sed ipsi etiam societati.

« Sanctum igitur, concludemus eiusdem summi Pontificis verbis, oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionen gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit eius incolumitati contrarium. »

Verum conclusio haec tanti est momenti, ut operae pretium sit in ea enucleanda diutius immorari. Huc autem spectabunt theses, quae sequuntur.

THESIS LXXIX.

Hinc in civili societate possunt ac debent prohiberi ii externi actus, qui sunt negationes expressae supremi, quod Deus in res omnes habet, dominii, aliarumve Ipsius perfectionum, aut sunt violationes apertae illorum fundamentalium officiorum, quae lex divina naturalis omnibus evidenter imponit.

198. DEMONSTRATIO. Haec assertio fluit manifeste ex praecedente thesi.

Exstat naturale praeceptum de supremo Numine colendo. Hoc autem in praecepto, ut in aliis naturalis legis iussionibus, duae debent distingui partes: altera quidem *negativa*, altera vero *positiva*. Negativa prohibet quidquid tendit in probrum divinae maiestatis: positiva praecipit debitos reverentiae ac cultus actus erga divinitatem.

Iamvero praeceptum de supremo Numine colendo quoad *utramque* suam partem obligat et individuum et societatem. Quare quemadmodum individuum debet cavere ab iis omnibus, quae in Dei contemptum vergunt, ita civilis societas debet impedire in seipsa externos actus, qui in dedecus infinitae Dei maiestatis cedunt. Hoc saltem praestare debet is, qui Deum colere tenetur. Id quidem non sufficit: inde tamen, tamquam a primo gradu, est initium ducendum.

Porro actus aliquis duplici modo potest divinam laedere maiestatem, scilicet vel *directe* vel *indirecte*. Eam directe laedunt actus omnes, qui sunt negationes expressae supremi, quod Deus in res omnes habet, dominii,

aliarumve Ipsius perfectionum. Eamdem laedunt indirecte actus illi, qui sunt violationes divinae legis: etenim supremum Dei dominium atque infinita Ipsius attributa sicut practice recognoscit ille, qui divinam legem observat, ita practice negat ille, qui eamdem violat. Restat igitur, posse ac debere in societate civili prohiberi actus illos externos, qui supremum Dei dominium aliasve Dei perfectiones expresse negant, aut apertae sunt violationes eorum fundamentalium officiorum, quae lex naturalis omnibus evidenter imponit, sive officia illa *in agendo* consistant sive *in credendo*. Neque enim tantummodo ligamur officio ponendi vel omittendi aliquas actiones, sed officio etiam adstringimur adhaerendi certis veritatibus, e. g. Deum esse providum, remuneratorem, dari aliam vitam post hanc mortalem etc.

Agitur, ut clare patet, de actibus *externis* prohibendis, de actione *externa* cohibenda. Nemo autem negabit, publicam auctoritatem ius habere dirigendi externas civium actiones, easque si opus sit coercendi in ordine ad bonum commune, ne scilicet publica supremo civitatis principi Deo iniuria inferatur. Quae animadversio valet etiam pro sequentibus thesibus, et ob oculos habenda est ad solvendas difficultates.

199. Scholion. Liquet ex dictis, quid dicendum sit α) de libertate imprimendi praelo ac divulgandi proprias cogitationes aut opiniones. Non ea concedi sic potest, ut ab impiorum impugnationibus ne divina quidem maiestas sit in tuto, ne salva quidem sint praecipua officia, quae lex naturalis imponit, et quorum complexus dicitur *religio naturalis* (1). Talis concessio primo

---

(1) Vide super. vol. II. pag. 211.

quidem foret impia in Deum, ac praeterea exitio tandem esset ipsi civili societati (1). Haec enim, ut in praecedente thesi iam diximus, nequit salva consistere, si veritates de Deo de anima de vita futura, quas lex naturalis dictat credendas, firmiter a civibus non teneantur, et officia practica, quae cum iis veritatibus connectuntur, fideliter ab iisdem non impleantur. In his tamquam fundamentis aedificium sociale innititur (2): sinere ut ea labefactentur idem est, ac perniciem societati ipsi afferre. — Nec dicas, malo huic, quod per talem illimitatam concessionem causatur, remedium in promptu esse per facultatem, quam alii habent, scripta bona aut bonos libros edendi. « Numquid venena libere spargere ac publice vendere et comportare, imo et bibere licebit quia remedii quidpiam habetur, quo, qui utuntur, eripi eos ex interitu identidem contingat? » Ita Gregorius XVI. in litt. enc. anno 1832 datis. Perpendatur insuper iniuria gravissima, quae Deo, principi supremo totius civitatis, fit, publice negando eius attributa aut contradicendo eius legi (3).

---

(1) Philostratus in Sophist. dicit, Athenis publice combustos fuisse quosdam libros, qui atheismum insinuabant. Titus Livius l. X. narrat, idem Romae factum esse de libris contra religionem. Plato de Rep. l. VII. idem statuit principium. Vide etiam Valerium Maximum de scriptis Archiloci.

(2) « Poichè, inquit Taparelli, *saggio* ecc. dissert. IV. cap. 4. num. 884., certe verità religiose sono naturalmente necessarie all'ordine ed evidenti, la società naturale potrebbe e dovrebbe esigere, che nulla si dicesse contro queste verità, e specialmente contro quelle sopra cui poggia tutto l'ordine sociale, come l'esistenza d'una provvidenza rimuneratrice, l'immortalità dell'anima ecc. »

(3) « Ex quo, concludit Liberatore, ius soc. num. 144., auctoritati innascitur facultas *censurae*, quoad scripta publice edenda, et

Simili modo sentiendum est β) de libertate cuivis nebuloni facta exponendi in publicis conventibus seu ad populum concionibus, itemque publice docendi principia manifeste falsa ac naturali legi aperte contraria.

Eadem sunt quoque applicanda γ) libertati absolutae cultus cuiuslibet, etiam aperte superstitiosi et impii, ut foret e. g. publica idololatria, diaboli invocatio etc.

Ad quid igitur, quaeres, reducitur libertas? At libertas non est sane facultas faciendi quod velis, quantumvis contrarium legi. Id enim foret licentia effraenis, non libertas. « Libertate quidem, inquit Tullius (1), nihil potest esse dulcius: at ea, si aequa non est, ne libertas quidem est. » Hoc scilicet pacto ethnici ipsi libertatem intelligebant. Ὅλως, verba sunt Aristotelis(2), μὲν οὖν αἰσχρολογίαν ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ ἄλλο τι, δεῖ τὸν νομοθέτην ἐξορίζειν . . . . . Ἐπεὶ δὲ τὸ λέγειν τι τῶν τοιούτων ἐξορίζομεν, φανερὸν ὅτι καὶ τὸ θεωρεῖν ἢ γραφὰς ἢ λόγους ἀσχήμονας. Ἐπιμελὲς μὲν οὖν ἔστω τοῖς ἄρχουσι μηθὲν μήτε ἄγαλμα μήτε γραφὴν εἶναι τοιούτων πράξεων μίμησιν. Omnino igitur turpiloquium e civitate, sicut aliud quodcumque, oportet legislatorem exterminare... Quoniam vero aliquid huiusmodi dicere vetamur, manifestum est quod etiam spectare sive picta sive dicta turpia. Curae igitur magistratibus sit, ne qua statua aut tabula exstet, quae sit talium actionum imitatio.

---

quidem *praeventivae*. Consentaneum enim magis est bono societatis, ut mala, quoad fieri potest, antequam veniant, caveantur, quam ut, postquam evenerint, puniantur. »

(1) De Rep. I. 31. Vide etiam Parad. V. 1.

(2) Politic. l. VII. c. 15. Haec omnia Philosophus iubet exterminari a civitate, tum aliis de causis, tum etiam ne pueri (quibus magna sane debetur reverentia) talia spectent aut audiant.

Ex hac thesi liquet, iure prorsus ac merito sequentem propositionem fuisse in Syllabo (1) condemnatam: « Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam. »

THESIS LXXX.

Societas civilis, aeque ac homo individuus, debet Deo cultum praebere secundum eum morem modumque, quo Deus ipse velle se coli declaravit, et proinde sub directione illius auctoritatis, cui de iis quae ad cultum pertinent Deus ipse curam commisit.

200. Demonstratio. In hac etiam thesi magistrum, quem sequamur, habemus summum, qui Ecclesiae praeest, Pontificem. Ipse enim post ea, quae in thesi LXXVIII. attulimus, verba sic disserere pergit: « Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit; eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam

(2) Sub num. LXXIX.

abiicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo Numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle. »

Homo individuus debet colere Deum: at, quibusnam actibus praestare id debet, quonam modo? Actus et modus non relinquuntur hominum arbitrio, sed a Deo ipso determinantur. Id autem praestat Deus, *primo* quidem per ipsum quod nobis indit naturale lumen rationis, *secundo* vero per formalem locutionem seu revelationem (1). Iis ergo actibus, eo modo, quem Deus determinavit, debet homo Deum revereri. Si aliis actibus, si alio modo, quem ipse vel alii homines excogitaverint, colat Deum; non eum reveretur cultu ei accepto, ac proinde naturale quo erga Deum tenetur officium non implet. Quemadmodum officium, quo erga regem adstringitur, non impleret civis ille, qui tributum quidem aut vectigal solveret, non tamen illud, quod rex iussit, sed aliud, quod ipse praefert (2).

Iamvero quod de homine individuo diximus, id valet etiam de hominum coetu, quem civitatem nuncupamus. Debet civitas, ut in thesi LXXVIII. vidimus, colere Deum. Hoc vero debitum civitas non implet, quemcumque cultus morem usurpando, sed tantummodo eum tenendo modum, quo Deus ipse coli se velle declaravit.

Porro ita Deus revelavit, quaenam cultus ratio sit sibi accepta, ut voluerit specialem etiam instituere societatem, quae revelationis depositum custodiat, quae

---

(1) De *revelatione* diximus vol. II. thes. XII-XIX.

(2) Vide, quae de *autonomia* in negotio religionis, atque de *indifferentismo* circa diversas religiones diximus vol. II. pag. 213.

sit omnibus principium manifestativum officiorum (1) ad divinum cultum spectantium, cui omnes debeant nomen dare, ut sub directione auctoritatis societati huic praesidentis exhibeant Deo cultum vere Ipsi acceptum. Debet igitur homo individuus supremum Numen colere sub directione et determinatione auctoritatis, quae praedictae societati praeest, idemque praestare debet politica communitas.

Plures quidem sunt societates, eaeque pugnantes inter se ac oppositae, quae dicunt se tale munus talemque potestatem a Deo accepisse. At quaenam sit societas, quae id cum veritate affirmet, non difficulter videt, qui iudicium prudens sincerumque adhibuerit. Etenim argumentis permultis atque illustribus, nimirum impletione vaticiniorum, frequentia prodigiorum, celeberrimo fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione (2), aliisque similibus liquet, societatem, de qua inquirimus, non esse nisi Ecclesiam Christi.

Rursus, plures quidem sunt societates, eaeque etiam pugnantes inter se et contrariae, quae dicunt se veram esse Christi Ecclesiam. Id dicit Ecclesia catholica, id dicunt sectae Calvinistica, Lutherana, Methodistica etc. At ex una parte perpendantur Ecclesiae catholicae origo, et una cum perpetua serie suorum Pontificum numquam mutata fides, a s. Petro adeoque a Christo ipso

(1) Haec officia (ut iam diximus) consistunt, alia quidem *in credendo*, alia vero *in agendo*.

(2) Notissimi sunt versus Dantis, Par. XXIV.

Se il mondo si rivolse al cristianesmo,
Diss'io, senza miracoli, quest'uno
È tal, che gli altri non sono il centesmo.

Iesu ad Leonem XIII., qui modo eidem praeest, tum eius adversus inferorum portas firmitas et conservatio, imo et propagatio, tum eiusdem sanctitas et numquam desinentia miracula, ac cetera denique, quae dicunt credibilitatis motiva, divinaque sunt omnium oculis testimonia. Ex altera parte considerentur origo illarum sectarum, variatio doctrinae, malae artes quibus constitutae sunt et adversus catholicos pugnaverunt, ariditas spiritus, carnis lucrorumque temporalium studium, nulla vera miracula, nulla foecunditas, aut foecunditas turpibus modis comparata, ceteraeque maculae, quibus unaquaeque ex iis sectis inficitur (1). Qui sincero animo haec omnia perpendat simulque componat, is profecto concludet, veram Christi Ecclesiam non esse nisi catholicam Ecclesiam.

Quapropter sub directione auctoritatis, quae catholicae Ecclesiae praeest, debet societas civilis, aeque ac homo individuus, cultum Deo exhibere.

Quaeres: quid, si ad religiosi cultus rationem determinandam nulla esset auctoritas divinitus constituta? — Respondeo: posset tunc atque adeo deberet supremus societatis civilis rector praefinire ac praecipere certam aliquam publici cultus rationem iuxta naturalis legis principia ac dictamina.

Ex hac thesi fluit corollarium momenti maximi, de quo agemus in thesi sequente. Agitur de hac solvenda quaestione: — utrum in civili societate libertas cultus possit concedi: — utrum saltem tolerari possit.

---

(1) Vide Tarquini, iuris eccles. publ. institut. num. 62.

THESIS LXXXI.

Quare libertas cultus per se est impia, iniusta et perniciosa: ac solummodo certis limitibus coarctata ob temporum vel locorum conditiones tolerari aliquando potest.

201. Demonstratio prioris partis. Haec est multorum, nostris praesertim diebus, opinio, *plenam cultus libertatem* esse in civili societate concedendam. Ii scilicet sic rem intelligunt: debet quidem civilis societas exhibere Deo aliquem cultum, sed ad *modum* cultus quod spectat, potest atque adeo debet nullum ex variis cultus generibus excludere, sed varietates omnes quotquot sunt ex aequo admittere, omnibus eumdem favorem ac tutelam praebere: tantummodo, si maior civium pars certo alicui cultui, e. g. catholico, sit addicta, in illius partis obsequium poterit societas in caeremoniis publicis exsequendis ritum illum, e. g. catholicum, praeferre eique se conformare. De hac opinione affirmamus tria: — α) eam esse *impiam*,— β) esse *iniustam*, —γ) esse *perniciosam*.

α) Est opinio impia. — Etenim denegatur debita divinae legi submissio et obedientia. Divina siquidem lex individuis et societati non imponit tantummodo debitum colendi Deum, sed insuper (ut vidimus in praecedente thesi) ostendit *modum* colendi Deum, et simul praescribit, eum modum in colendo supremo Numine tenendum esse, alios vero esse reiiciendos.

β) Est etiam iniusta. — Ius enim quod vera Christi Ecclesia, i. e. catholica, habet, ut *sola*, ceteris exclusis, recipiatur ac retineatur, non recognoscit, immo violat aperte: licentiam enim dat aliis societatibus seu sectis,

quae ea abutuntur in damnum ipsius catholicae Ecclesiae.

γ) Est insuper perniciosa. — Neque solum est noxia quoad salutem animarum (de qua re dubitari non potest), sed etiam est noxia ipsi reipublicae (1). Quomodo enim in toto regno, provincia, civitate, pax et concordia sperari potest, ubi cultus ac fidei summa est diversitas ac discordia?

Hinc iure ac merito condemnantur in Syllabo (2) sequentes propositiones: « Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere. » Iure hae propositiones damnantur. Nam sicut homo individuus, ita etiam Status habet officium amplectendi *veram* religionem, et posteaquam amplexus eam fuerit, habet non solummodo ius sed etiam officium possessionem eius reddendi suis subditis securam ac tranquillam, praecludendo aditum *falsis* religionibus: idque non imponendo fidem, quae non vi sed praedicatione inducitur, verum vetando in ordine *externo*, in quem tantum potestatem habet, professionem falsorum cultuum.

Hoc igitur est principis civilis officium, verum cultum tueri, falsos excludere. Ita se gessit Theodosius, qui radicitus evulsit libertatem cultus, quam aliqui principes

---

(1) Cf. Becanum. de virt. theolog. cap. XVI. quaest. 4.; Bellarminum de Laic. l. III. c. 19.; Verricelli quaest. mor. tit. 14. q. 194.

(2) Propos. LXXVII et LXXVIII.

permiserant, ac prohibuit ne quis contradiceret iis, quae Romanus Pontifex doceret esse credenda. Huic sane exemplo debent principes se conformare « secundum quod possibile fuerit (1). » Est enim habenda ratio circumstantiarum, in quibus societas, cui princeps praeest, reperitur. Si eae sint eiusmodi, ut illud praestari vetent, poterit ea *tolerantia* certos intra limites adhiberi, quae non raro in aliis etiam permittendis malefactis adhibetur. Sed hac de re in altera, quae sequitur, parte dicemus.

202. Demonstratio alterius partis. Duo asseruntur in hac altera parte, — α) libertatem cultus aliquando tolerari posse, — β) certis tamen limitibus debere esse coarctatam.

α) Ad *primum* quod spectat, clare id colligitur ex doctrina s. Thomae (2), cuius en verba: « Humanum regimen derivatur a divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quae prohibere posset; ne eis sublatis maiora bona tollerentur, vel etiam peiora mala sequerentur. Sic ergo et in regimine humano illi, qui praesunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala peiora incurrantur; sicut Augustinus dicit (3), *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*. Sic ergo, quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, vel propter aliquod bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur.

(1) Verba sunt s. Thomae, de regim. Princ. l. 1. c. 15.

(2) In 2. 2. q. 10. a. 11. Inquirit in hoc articulo, utrum ritus infidelium sint tolerandi.

(3) In l. 2. de Ord. c. 4.

Ex hoc autem quod Iudaei ritus suos observant, in quibus olim praefigurabatur veritas fidei, quam tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostrae habemus ab hostibus, et quasi in figura nobis repraesentatur quod credimus. Et ideo in suis ritibus tolerantur. Aliorum vero infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, scilicet ad vitandum scandalum vel dissidium, quod ex hoc posset provenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati convertuntur ad fidem. Propter hoc enim etiam haereticorum et paganorum ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo. » Hisce verbis s. Thomas clare solvit hanc quaestionem: utrum et quando libertas religionis tolerari queat.

Itaque libertas cultus tolerari potest tribus in casibus: scilicet, — quando ex tolerantia speratur maius bonum, — quando evitatur maius malum quod ex negata tolerantia sequeretur, — quando deest *physica* possibilitas impediendi existentiam falsi alicuius cultus. Duos solummodo priores casus, qui ad *moralem* quamdam impossibilitatem reducuntur, expressit s. Thomas: siluit de tertio, quippe qui est nimis notus (1).

β) Ad *secundum* quod attinet, plura sunt adnotanda. Et inprimis, aliud est tolerare, aliud vero approbare aut favorem praebere. Ad rem faciunt verba s. Augustini (2): « Nemo quod tolerat amat, etsi tolerare amat. Quamvis enim gaudeat se tolerare, mavult tamen non

---

(1) Haec generatim valent de tolerantia actionis alicuius peccaminosae.

(2) Confess. l. X. c. 28.

esse quod toleret. » Itaque approbare falsos cultus atque iis favere, numquam est licitum.

Tolerantia nequit excedere fines seu limites necessitatis. Illud tantum est tolerandum, quod non potest (*physice* vel *moraliter*) impediri. Hinc e. g. illicite permitteretur exercitium quodvis cuiusvis heterodoxi cultus, quando necessitas non postulet, nisi unius alteriusve cultus permissionem aut exercitium tantummodo privatum : nonne nefas tunc esset, plenam heterodoxis dare licentiam construendi templa, aperiendi scholas, et publicas functiones obeundi ?

Fortiter et suaviter curandum est, ut diversitas cultuum paullatim imminuatur, ac tandem unitas veri cultus in civitate inducatur et stabiliatur. Sic Constantinus Magnus initio quidem imperii permisit libertatem religionis omnibus, at postea iussit claudi templa idolorum et solam Christianam religionem vigere.

Illud tandem cum P. Maldonato (1) adnotamus, « non licere istas, quas vocant, conscientiae libertates, nimium nostro tempore usitatas, haereticis dare, nisi prius Ecclesia, aut is qui Ecclesiae caput est Romanus Pontifex iudicaverit, non posse evelli zizania nisi simul et triticum evellatur, et e re Ecclesiae esse, ut usque ad messem permittantur utraque crescere. Huius enim rei non principum, qui patrisfamilias servi sunt, sed ipsius patrisfamilias, id est Ecclesiae gubernatoris, iudicium esse debet. Nec debent principes patremfamilias rogare, ut sinat utraque crescere usque ad messem, sed an velit ut eant et evellant zizania. Ita eos affectos atque paratos esse oportet, ut a patrefamilias coerceri potius

---

(1) Comm. in Matth. XIII. 24.

opus sit, quam incitari. » Debet scilicet hoc negotium a principibus peragi secundum directionem illius auctoritatis, cui de rebus quae ad divinum cultum pertinent cura est divinitus commissa: hanc directionem debent principes civiles expetere ac sequi.

203. SCHOLION. Obiiciunt: Ecclesia catholica utitur duplici mensura. Etenim in republica catholica vult adhiberi repressionem contra alios cultus, in republica vero heterodoxa non vult repressionem adhiberi contra seipsam.

Responsio. Una est mensura, qua Ecclesia catholica utitur. Etenim hoc unum applicat principium: Vera Christi Ecclesia (et Ecclesia Catholica est certa, non tam opinione propria, quam divinis testimoniis, in se una veritatem esse) habet ius coercendi in externo ordine homines a se dissidentes et procul a veritate aberrantes, ut eos ad fidem reducat (1), atque impediat quominus et sibi et aliis noceant. Hoc vero principium diversam, ut patet, exigit applicationem, prout regio est catholica vel heterodoxa.

---

(1) In toto hoc fidei negotio homo non habet nisi hoc ius, ut ad fidem adducatur persuasione, non autem cogatur vi. Hoc vero Ecclesia catholica semper docuit: et falsum zelum redarguit aliquorum principum, qui hanc regulam fuerant praetergressi. — Homo non habet ius credendi pro libito, sed e contrario habet officium adhaerendi veritatibus a Deo revelatis, eisque conformandi suas actiones. Quod si infeliciter nondum pervenerit ad revelationis factum detegendum, tenetur officio adhibendi curam ac media idonea ad certam de ea re sibi cognitionem comparandam. Cf. omnino vol. II. thes. XVII. in qua egimus de debito divinam amplectendi revelationem. Duplicem distinximus casum: nimirum, illius qui certo cognoscit factum divinae locutionis, et illius qui de tali facto dubitat. Ille tenetur plenum mentis obsequium ei adhibere: hic tenetur eam ut par est inquirere,

In hac obiectione, ut recte disserit Card. Tarquini (1), supponitur, errori, vel saltem errori qui talem se non existimat, eadem iura competere ac veritati. Hoc autem aeque falsum est, ac si diceres, amentibus, eo saltem nomine, quod tales se esse non arbitrantur, eadem iura convenire, quae mente sanis. Quare haeretici non possunt, ut aiunt, par pari reddere, coercendo catholicos in iis regionibus, in quibus ipsi dominantur, quin absque iure verum ius opprimant. — *Dices*: haeretici bona fide id faciunt, existimantes ex errore invincibili obsequium se praestare Deo. *Respondeo*: admissa etiam bona hac fide, quidnam exinde sequeretur? Hoc unum tantum: id per accidens non esse imputandum eis ad peccatum; ut mente captis aut ignorantibus non imputantur ea, quae, si mente vel scientia fruerentur, essent peccata. Non illud profecto sequeretur, eos vere et obiective habere ius agendi eo modo, quo agunt.

Unum addam. Culmen esset iniquitatis et iniustitiae, si praeses regionis fere ex toto catholicae negaret catholicis libertatem illam in bonum et verum, quam heterodoxis concederet in malum et falsum: ita ut iis qui ius habent exercitium iuris impediret, concederet autem licentiam iis, qui iure sunt destituti. Huc autem faciunt sequentia Pii IX. verba (2): « Licet aeternis iustitiae legibus ipsique rectae rationi refragetur, in eodem haberi censu verum ac falsum, et utrique paria concedi iura; cum tamen iniquitas temporum ius, suapte natura proprium unius veri, ad falsum transtulerit, et satis inconveniente libertatis vocabulo, potestatem ei

(1) Op. et num. cit.
(2) Ad Ill. Episc. Dupanloup, die 19 Iul. 1875.

fecerit suadendi pro lubitu, vulgandi, docendi commenta sua; solerter omnino et opportune te, Venerabilis Frater, virus civili societati ingestum in antidotum ei convertere contendisse censemus. Equidem, si cuilibet aegrae mentis somnia per leges in medium proferre liceat, eaque etiam ut scientiae dogmata propugnare ac tradere, nulla plane ratio subest, cur id licere non debeat veritati. Nec quivis quantumvis fabularum sectator, et veritatis osor, nisi prorsus insaniat, illi negare poterit huiusce iuris perspicuitatem. »

THESIS LXXXII.

Principes civiles debent, non iam destruere aut opprimere, sed tueri et adiuvare minores societates, primo quidem illas quae naturales sunt, dein vero illas quoque, quas ad particularem finem honestum socii libere inter se instituunt, dummodo hae communi civilis societatis bono non sint contrariae.

204. Demonstratio. In societate civili multa inveniuntur minora consortia, quae socialem ipsius organismum (1) constituunt. Quaerendum igitur est, quodnam relate ad minora haec consortia sit munus et officium principis civilis.

Spectemus 1.°) familias. Eae sunt societates stricto sensu naturales, sunt basis et origo societatis civilis, sunt natura anteriores ipso civili consortio, quod ex stabili plurium familiarum unione exsurgit. Ergo ci-

(1) Cf. super., thes. LVI pag. 176.

vilis potestas, ut saepe iam diximus, debet eas non quidem destruere vel opprimere, sed tueri et adiuvare.

Spectemus 2.°) consociationes alias a familiis distinctas. Hae vel ex sinu civilis societatis emergunt *vi ipsius civilis auctoritatis*, vel exsurgunt *vi liberae activitatis ipsorum sociorum.* — Si *primum*, poterit quandoque rationabili de causa minor societas privari etiam existentia a civili auctoritate, a qua dependet in esse. — Si *secundum*, rursus videndum est, quinam sit finis, quem societas intendit, quaenam sint media, quibus utitur ad eum scopum attingendum (1). Si enim scopus seu finis sit aliquid inhonestum, si media sint illicita, si societas bono civilis consortii sit opposita: tunc sane debet civilis auctoritas, non iam tueri et adiuvare, sed impedire et destruere tales pravas et inordinatas uniones. At si scopus, quem socii intendunt, sit honestus, si media sint licita, si societas, quam efformant, non sit bono civilis consortii opposita, sed sit ad illud ordinabilis; tunc debet civilis potestas tales consociationes tueri et adiuvare, eas ad bonum commune coordinando. Etenim ordinata associatio ad talem finem honestum est iuris naturalis (2): debet autem civilis potestas tueri et adiuvare iura civium. Quae speciali titulo valent de societatibus seu

---

(1) Auctoritas impedire potest et debet societates *secretas*, in quibus finis particularis, ad quem assequendum socii se se uniunt, et propterea media omnia aut fere omnia manent secreta. Etenim supremae auctoritatis est omnia minora consortia ad finem totius societatis civilis coordinare. Atqui societates secretae, hoc ipso quod sunt secretae, nequeunt a civili auctoritate coordinari ad finem communem. Ergo eae, si secretae manere velint, possunt ac debent a civili auctoritate prohiberi.

(2) Ad rem Liberatore, *la Chiesa e lo stato* cap. III. art. 4.:

familiis *religiosis*, quae ad altiorem societatem ecclesiasticam pertinent, ab eaque dependent, quaeque proinde sine iniuria altioris illius societatis destrui aut impediri a civili potestate nequeunt (1).

205. SCHOLION. Quaeres, quid de societatibus opificum sentiendum sit? Quonam pacto princeps civilis debet erga eas se gerere?

I. Si agatur de societatibus, in quibus opifices mediis honestis tendant ad hunc scopum, mutuum sibi auxilium praebendi; eae per se loquendo sunt licitae ac possunt a principe civili protectione donari. Tales societates olim extiterunt, et magnae operariis utilitati erant: in verae religionis principiis tamquam in basi innitebantur, et sub concordi utriusque potestatis, ec-

---

« L'associazione per fine onesto è di dritto naturale. Giacchè l'uomo è facoltato dalla natura ad usare nel giro del lecito tutti i mezzi, che crede opportuni a procurare il suo bene e quello degli altri. Lo stato non può impedirnelo. Giacchè lo stato non può impedire se non ciò che si oppone al bene publico, ed è ridicolo il dire che si opponga al bene publico il procurare onestamente il proprio e l'altrui vantaggio, sia spirituale, sia materiale, per concorso reciproco di molti uniti assieme. » Cf. etiam Tarquini, Iur. eccl. publ. institut. n. 35. — Distinctio fieri solet inter societates minores a civili potestate *recognitas* et approbatas, et societates minores ab eadem potestate *non recognitas*. Haec distinctio potest admitti hoc sensu, quod societates recognitae intelligantur illae, quae praeter ius omnibus civibus commune gaudent quibusdam privilegiis, societates vero non recognitae sint illae, quae nullis prae civili potestate gaudent privilegiis, sed solo iure omnibus civibus communi fruuntur. Ex eo, qnod priores illae gaudeant privilegiis, non sequitur posteriores carere iure existendi.

(1) Adverte enim ordines seu familias religiosas non debere considerari ut meram civium unionem in finem honestum nulloque modo contrarium bono ipsius societatis civilis, sed potissimum ut

clesiasticae et civilis, directione in finis sibi proprii consecutionem per media licita contendebant.

II. Verum, ut plurimum, valde ab his diversae sunt opificum societates, quas nostris diebus habemus. Eae, omni religionis principio amoto, hunc habent scopum, *l' opposizione del lavoro contro il capitale.* Scilicet, divites in opificiis instituendis ingentem pecuniae summam impendunt. Pauperes autem suam operam in iis opificiis locant, et ne a divitibus opprimantur, societatem ineunt ac se obligant, ad cessandum una simul a labore, si hic aut diutius quam par est protrahatur, aut proportionato pretio non retribuatur.

Quando vero a societate cessatio a labore indicitur, socii plerumque non modo a labore ipsi abstinent, sed alios etiam, qui non sunt societatis illius membra, minis ac vi compellunt, ut pariter a labore desistant. Hinc otiosi in tabernis immorantur, urbem percursant, in plateas conveniunt, a demagogis incitantur ad turbas, saepe etiam damna pacificis civibus inferunt, terroremque spargunt. Praeterea societates hae sunt, ut plurimum,

---

societates a Catholica Ecclesia societate civili praecellentiori approbatas, in quibus secundum Christi ipsius institutionem consilia perfectionis evangelicae observantur. Itaque non solum iura ipsius naturae, sed etiam iura Ecclesiae violantur, si religiosae familiae a civili potestate destruantur. Cf. Taparelli, *saggio* ecc. not. LXXXV. Perpende etiam propositionem in Syllabo condemnatam sub num. LIII.: « Abrogandae sunt leges, quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare. »

dependentes ab altiori societate, quae *internationalis* est, et cessationes a labore indicere potest, non tam ut operariis consulat, quam ad alios fines, atque etiam ad socialis ordinis eversionem.

Huiusmodi societates ob perturbationem, quam facile politico consortio afferunt, nequeunt a principe civili approbari. Tantummodo ob temporum ac locorum conditiones poterunt aliquando tolerari: certos tamen intra limites, ita ut iniuriarum aut seditionum periculum quantum fieri potest amoveatur.

Huic inter dominos atque opifices colluctationi remedium est sane a principe civili afferendum. Multiplex quidem remedium excogitari potest: praecipuum tamen debet a vera religione repeti. Oportet, ut domini christiana caritate operarios diligant, eos habendo ut proximos immo fratres in Christo, non autem ut mera instrumenta ad suas divitias augendas. Oportet, ut opifices ex principiis religionis virtutem hauriant ad laboriosam vitam patienter tolerandam. Ex quibus confirmatur illud, de quo iam saepe diximus, basim seu fundamentum civilis societatis esse in verae religionis praxi reponendum: ac proinde nihil principi civili magis cordi esse debere, quam verae religionis tutelam et adiumentum.

III. Nunc temporis operarii ineunt cum *capitalistis* (ut hac voce utamur) contractum locationis operae seu laboris pro congruenti pretio: nostris diebus sic res fere semper peragitur inter capitalistas et operarios.

Sunt qui proponunt alium modum peragendi hanc rem. Opifices ineant contractum *societatis* cum ipsis capitalistis, hac ratione, ut capitalistae conferant capitale, operarii operam et laborem, omnes autem, non iam in eodem prorsus gradu seu mensura sed secundum aequa-

litatem proportionis, percipiant fructus. Essetne, quaerunt, hic agendi modus illicitus?

Si ius naturae dumtaxat consideretur, illiusmodi contractus societatis non videtur esse iuri naturali contrarius. Illud certe est animadvertendum, quod opifices non possunt cogere capitalistas (neque alios etiam operarios) ad ineundum contractum societatis potius, quam contractum locationis operae et laboris: quemadmodum ne capitalistae quidem possunt cogere operarios ad contractum locationis potius, quam contractum societatis ineundum. Res nonnisi ex mutua utriusque partis conventione peragi potest. — De his in oeconomia politica data opera agitur.

THESIS LXXXIII.

I. *Falso ac perniciose asseritur, ex lege dumtaxat civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis educationisque curandae.* II. *Hoc enim ius est vere ac proprie naturale: quod proinde princeps civilis, non iam potest sibi usurpare, sed debet tueri, adiuvare et ad commune bonum coordinare.*

206. Demonstratio. Ut perspicue patet ex enunciatione theseos, duae sunt eius partes.

I. Sunt auctores, qui huic adhaereant et subscribant propositioni: « Societas domestica seu familia totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuatur: proindeque ex lege dumtaxat civili dimanant ac pendent iura omnia parentum in filios, cum primis

vero ius institutionis educationisque curandae. » Haec assertio est falsa: eamque merito Pius IX. in encyclica *Quanta cura* condemnavit.

Falsum est principium, quod fundamenti loco adstruitur: nempe, societatem familiarem totam suae existentiae rationem mutuari a iure dumtaxat civili. Manifeste enim non civitas est ratio cur existat familia, sed e contrario familia est ratio cur civitas existat: qua de re aliis locis egimus (1).

Cum falsum sit principium illud, falsa quoque sunt corollaria, quae exinde deducuntur. Multa sunt iura, quae ipsa naturalis lex directe parentibus largitur, inprimis autem ius instituendi educandique filios. De quibus etiam cum alio loco fuse dictum sit (2), non est cur plura addamus.

II. Cum hoc ius sit vere ac proprie naturale, princeps civilis non potest vel ex toto vel ex parte ius illud directe sibi usurpare seu arrogare. Non potest, inquam, *sibi usurpare*. Nam multa sunt, quae non usurpatio illius iuris, sed adiumentum sunt ad ius illud exercendum: quaeque proinde potest princeps civilis atque etiam debet praestare. Exempli gratia, aperire scholas, quae sint reapse puri fontes veri honestique, (nulla tamen in parentes violentia adhibita, qua cogantur ad eas recurrere scholas), id sane nullo pacto est, sibi arrogare educationem, sed subsidium offerre (3).

Est quidem offerre subsidium, si duae, quas clare

---

(1) Cf. super. thes. XL. et LVI.

(2) Cf. omnino ea, quae de his, data opera, diximus super. thes. XLVIII.

(3) Obiectiones opponi solent plures: sed eas iam accurate solvimus super. l. nunc cit.

assignavimus, conditiones adsint, et illa praesertim, quod scholae sint reapse puri fontes veri honestique. Tales autem non sunt, si pueri prava in iis videant exempla vel falsis et pravis principiis imbuantur: aut etiam si ab iis omnis religiosa institutio excludatur, vel ea tantummodo tradantur, quae ad religionem mere naturalem, pertinent.

Reprobandae enim sunt scholae, quae dicuntur *communes*, quae scilicet ad omnes cuiusvis sectae religiosae pueros destinantur. Hae scholae non sunt utiles acatholicis, et sunt catholicis perniciosae. Non sunt utiles acatholicis: siquidem adiumento iis non sunt ad veritatem catholicae Ecclesiae dignoscendam. Sunt perniciosae catholicis: pueri enim in iis scholis instituti, et ignorabunt ea, quae ad fidem catholicam pertinent, et valde proclives erunt ad incredulitatem aut indifferentiam in negotio religionis (1). Id autem damno erit, non modo ipsis pueris, sed etiam familiis, civili societati, ac maxime catholicae Ecclesiae. Hoc igitur curet princeps civilis, ut sub directione catholicae Ecclesiae plena de religione institutio in scholis tribuatur.

---

(1) Haec perpendantur.—1.º Magistri magnam in discipulos auctoritatem exercent, eorumque agendi rationem discipuli facile imitantur. Si ergo discipuli videant magistros esse a religione alienos, aut erga religionem indifferentes, evadent et ipsi iis similes. — 2.º) Sufficiens educatio religiosa, nisi in scholis tradatur, deerit pueris, tum quia pueri magna diei parte in scholis versantur, tum quia saepe parentes aut ob negotia aut propter inscitiam nequeunt eamdem praebere. — 3.º) Nec contra tale magistrorum exemplum et religiosae institutionis defectum sunt remedium sufficiens scholae, quas vocant, *dominicales*. Neque enim satis est semel in hebdomada ad breve tempus religiosas doctrinas pueris tradere. — Vide propositiones in Syllabo condemnatas sub num. XLV-XLVIII.

THESIS LXXXIV.

I. *A veritate funeste aberrant Communistae et Socialistae, tum ii qui communitati exclusive attribuunt dominium rerum stabilium, tum ii qui Statui concedunt quamdam veluti omnipotentiam in privata civium dominia, de quibus scilicet possit semper et pro libito disponere.* II. *Licita enim sunt dominia privata rerum etiam stabilium ac prorsus naturalia: quae proinde princeps civilis, non iam potest directe impetere aut violare, sed debet suis legibus tueri, adiuvare et ad commune bonum coordinare.*

207. DEMONSTRATIO. Haec etiam thesis duas, ut ex eius enunciatione manifeste liquet, continet partes.

I. Privata rerum stabilium dominia impugnantur a duplici adversariorum acie, nimirum magis aperte a *Communistis*, et minus aperte, non tamen minus periculose, a *Socialistis* (1).

Communistae dominium rerum stabilium *exclusive* attribuunt communitati. Socialistae autem societati seu Statui attribuunt omnipotentiam quamdam in privata civium dominia, ita ut de iis supremus imperans possit pro arbitrio disponere, et *valide* semper disponat, quidquid faciat et quamvis absque causa faciat (2).

---

(1) Saepe tamen in sermone familiari confunduntur simul Communistae et Socialistae. — Nec immerito: nam duo haec systemata ad unum eumdemque finem tendunt, et si reciperentur unum eumdemque gignerent effectum, *destructionem dominii privati*: diverso tramite, eumdem spectant terminum.

(1) Vide super. pag. 52. adnot. 1.^{m}, et pag. 53. adnot. 1.^{m}

Utraque sententia, ut iam alio loco demonstravimus, est falsa. Et sane falsum est principium, ex quo Communistae arguunt, nimirum, proprietatem privatam esse contra naturae intentionem, seu esse latrocinium. Itemque falsum est principium, ex quo arguunt Socialistae, privata civium dominia oriri a politica auctoritate tamquam a fonte, seu ab ipsa procedere tamquam a prima causa efficiente. Sed de his iam alio loco fuse disputavimus (1): opus igitur non est, ut in iis refutandis immoremur.

II. Cum privata civium dominia sint omnino licita ac prorsus naturalia, quaeritur, quidnam princeps civilis possit circa ea praestare? Non potest ea directe impetere aut violare, sed potest ac debet 1.°) legibus suis tueri et adiuvare, 2.°) ad bonum commune coordinare.

1.°) Potest ac debet *tueri* proprietatis ius ne laedatur, simulque illud *adiuvare* ut liberius seu facilius exerceatur. Natura enim ad hoc praecipue instituit politicam potestatem, ut individualia ac domestica civium iura (inter quae proprietatis ius est omnino connumerandum) tueatur et adiuvet. Si igitur privatum civium dominium violet et opprimat, rex civilis potestate sibi a natura concessa maxime abutetur. — Apposite Tullius (2): « In primis videndum erit ei, qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatorum publice deminutio fiat. » Et paulo inferius inquit: « Qui se populares volunt, ob eamque causam aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pel-

(1) Recolantur attente vol. II. thes. XXV. et XXIX.

(2) De officiis, II. 21. — Paulo post subdit: « Hanc ob causam maxime, *ut sua tenerent*, respublicae civitatesque constitutae sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen *spe custodiae rerum suarum*, urbium praesidia quaerebant. »

lantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant, ii *labefactant fundamenta reipublicae*; *concordiam* primum, quae esse non potest, ubi aliis adimuntur, aliis condonantur pecuniae: deinde *aequitatem*, quae tollitur omnis, si habere suum cuique non licet: id enim est proprium civitatis atque urbis, ut *sit libera et non sollicita suae rei cuiusque custodia*: » h. e. ut eo, quod quisque sibi recte acquisivit, frui queat secure et palam sine metu raptoris et invasoris cuiuslibet, sive raptoris qui persona privata sit, sive raptoris qui, quod peius est, sit persona publica. « Si, inquit s. Thomas (1), aliquid principes indebite extorqueant per violentiam, rapina est, sicut et latrocinium.... Unde ad restitutionem tenentur, sicut et latrones: et tanto gravius peccant quam latrones, quanto periculosius et communius contra iustitiam agunt, cuius custodes sunt positi.»

2.°) Insuper, potest sane ac debet supremus imperans ius hoc proprietatis *coordinare ad bonum commune*, i. e. ad publicam quietem seu prosperitatem dirigere. Inde autem plura sequuntur, quae principi civili profecto competunt: ex his iuverit aliqua breviter innuere. — Princeps politicus intuitu boni communis, ac proinde ex causa iusta omnino ac rationabili, potest statuere legales formas, quae si in occupatione aut mutuis contractibus non serventur, iam illi actus sint illiciti atque etiam invalidi ad rei proprietatem acquirendam (2). — Item, si privati alicuius dominium in rem aliquam,

---

(1) In 2. 2. q. 66. a. 8. ad 3.m

(2) Ut iam diximus in vol. II. thesi XXVIIa., sunt conditiones ex ipso naturali iure necessariae ad validitatem contractuum. His auctoritas socialis potest addere conditiones alias, quae ut addantur bonum commune exigat vel suadeat.

etsi legitimo iam facto acquisitum, veniat in conflictum cum bono communi, potest ob iustam hanc boni communis causam (1) illi, ut dici solet, praeiudicare. Hinc auctores distinguunt duplex dominium, *humile* et *altum*. Humile est dominium privatorum in res legitimo facto sibi acquisitas. Altum est ius, quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando de bonis privatorum ob necessitatem boni communis. In quo iure exercendo debet princeps haec cavere: adesse reapse debet necessitas boni communis: rationem necessitatis non debet excedere: vitare debet acceptionem personarum: illata damna, quoad eius fieri potest, compensare. — Eodem pertinet, quod, publica quiete ac securitate id exigente, rem alienam, praescripto temporis spatio bona fide possessam, decernat fieri illius seu adiudicet ei, qui eam obtinet, qunmvis deinde tempore *praescriptionis* peracto inveniatur, titulum primitus seu ab origine fuisse invalidum (2). Id scilicet publica quies ac securitas exigit,

---

(1) *Iusta haec causa boni communis* omnino requiritur, ut actus, quo princeps politicus praeiudicat privati alicuius dominio, sit *validus*. — Nam princeps civilis, qui vinculum *iuris naturalis* abrumpit aut modificat, se habet ad modum inferioris ex potestate sibi concessa dispensantis in lege superioris. Atqui talis inferior dispensans *sine iusta causa* in lege superioris, *nihil facit*. Etenim 1.°) lex illa snperior non est lex *sua;* 2.°) potestas ei delegata non intelligitur concessa ad patrandum *malum*. Aliud est de ipso conditore legis, qui etiamsi sine causa dispenset, cum tamen id faciat in lege sua, valide facit quamvis possit et ipse agere illicite. — Ergo princeps civilis praeiudicans dominio privati alicuius sine iusta causa boni communis, nec licite agit nec valide.

(2) Conditiones ad praescribendum necessariae sunt quinque: — 1.°) ut res sit praescriptibilis — 2.°) possessio — 3.°) titulus — 4.°) tempus requisitum — 5.°) bona fides.

ne iura remaneant semper incerta, et sic iurgiis ac litibus ansa detur.

Haec autem aliaque eiusmodi (quod est rite considerandum) non iam sunt actus proprietatis aut comproprietatis. quam rex politicus habeat in privata civium dominia, sed sunt exercitium iuris politici, quod natura regi dat, simulque officii, quod eidem imponit, curandi totis viribus, ut omnia in communitate recte et pacifice peragantur, sicque ordo et prosperitas stabiliantur, conserventur ac magis magisque florescant. Exinde vero nil profecto sequitur in favorem sententiae Socialistarum attribuentium principi civili plenam in privata civium dominia potestatem.

208. Scholion. Dominium, quod natura etiam privatis in res proprias concedit, complectitur quoque ius testandi. Hac de re iam alio loco (1) disputavimus contra Communistas, qui ius illud reiiciunt, et Socialistas qui ex sola legis civilis dispositione illud derivant.

Quare hoc etiam ius princeps civilis debet maxime revereri, id curando, ut voluntas ultima testatoris sancte impleatur. Quaedam porro sunt, quae, hac etiam in re, intuitu semper boni communis supremae auctoritatis subiecto competunt. Sic potest determinare conditiones seu legales formas a civibus implendas, ut testamenta recte aut etiam valide fiant. Item potest determinare, quae et quanta bonorum pars sit a parentibus ex praescripto relinquenda filiis in haereditatem.

Hoc etiam addam. Homines senserunt ius atque officium ab ipsa ortum natura, quasdam e rebus suis Deo in religionis officia dicandi. Qui has res expilet,

---

(1) Cf. vol. II. thes. XXX., in qua de iure *testandi* diximus.

is est non solummodo *fur* et *rapax*, sed etiam *sacrilegus*. Immo a lege XII. tabularum vocatur *parricida*: « Sacrum sacrove commendatum qui clepsit rapsitve parricida esto. » Quod sane debet intelligi non modo de privatis sed etiam de regibus: hi, si res Deo sacras audeant expilare, labefactant fundamenta reipublicae, nempe *religionem*.

THESIS LXXXV.

I. *Non modo ius proprietatis, sed generatim omnia civium iura, quae vere talia sint, debet princeps civilis tueri, impediendo iniurias ne fiant, et si inferantur reparando.* II. *Debet insuper curare commercia, fovere industrias, promovere artes, provehere scientias, aliaque adhibere media, quae necessaria sunt, ut civilis societas bono illo, quod intendit, perfectae vitae sufficientiae plene perfruatur.*

209. Demonstratio. Hoc est principis civilis munus, commissam sibi communitatem adducere ad ea bona consequenda, quae sunt finis proprius ac proximus consortii civilis. Ea porro bona revocantur facile ad haec duo: nimirum ad *externam pacem* et ad *perfectam vitae sufficientiam* (1). — Iamvero externa pax includit duo: impedire iniurias ne fiant, easque si illatae fuerint reparare (2). Perfecta autem vitae sufficientia ex apta omnium industriarum artium scientiarumque cultura exsurgit.

---

(1) Cf. thesim LVII. de fine societatis civilis *proximo* et *ultimo*.

(2) Vide ea omnia, quae de *iniuriis* diximus in vol. II, praesertim in thes. XXII-XXXIII.

Haec igitur omnia debet princeps civilis totis viribus procurare. In iis autem procurandis hoc debet sapiens monitum ob oculos habere: « Cuicumque incumbit aliquid perficere, quod ordinatur in aliud sicut in finem, (huiusmodi autem est vitae securitas ac prosperitas, quam princeps civilis debet procurare: est enim finis proximus, non vero ultimus, consortii civilis), hoc debet attendere, ut suum opus sit congruum fini; sicut faber sic facit gladium, ut pugnae conveniat, et aedificator sic debet disponere domum, ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitae, qua in praesenti bene vivimus, finis est beatitudo caelestis, ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare, secundum quod congruit ad caelestem beatitudinem consequendam; ut scilicet ea praecipiat, quae ad caelestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria secundum quod possibile fuerit interdicat (1). »

210. Scholion. Princeps civilis non solummodo divitum, sed etiam, immo praecipue pauperum providam ac paternam curam habere debet.

Atque inprimis illud patet, non posse, per se loquendo, impediri actum petendi eleemosynam, nec posse quemquam propter illum puniri. Quamvis enim hac etiam in re abusus esse queant, qui a publica auctoritate coercendi sunt; tamen quemadmodum tribuere eleemosynam, ita eam postulare non est per se actus ordini sociali contrarius.

Pauperes, qui vere tales sint, non iam sunt poena multandi, sed subsidio iuvandi. Quod subsidium ut in promptu sit, alicubi civibus ditioribus imponitur taxatio

---

(1) Ita s. Thomas, de regim. Princ. l. 1. c. 15. — Cf. thesim LVII.: vide etiam pag. 211. adnot. 1.

legalis pro pauperibus. At princeps civilis melius quam per legalem hanc taxationem subvenire poterit pauperibus, si in civium animis sensus verae in pauperes caritatis promoveat. Poterit autem facile promovere, tum exemplo suo, tum aliis aptis modis, tum praesertim adiutorem se praebendo catholicae Ecclesiae, quae tota est in privata caritate fidelium, sive individuorum, sive in societates beneficentiae coalescentium, excitanda et fovenda (1).

d) **De supremae potestatis abusu et usurpatione.**

THESIS LXXXVI.

Qui imperandi potestate abutitur, 1.°) obligandi quidem vicaret, quotiescumque praecipit aliquid, quod bono divino aut humano sit evidenter contrarium: sed 2.°) auctoritatem non amittit, nisi abusus sit eiusmodi, qui ipsum possessionis titulum destruat.

211. DEMONSTRATIO. Agemus breviter de tyranno. Hoc nomen, *tyrannus,* per se significat regem seu monarcham, qui plenam habet in subditos potestatem. Nunc tamen fere semper accipitur in malam partem. — Duplex autem distingui solet tyrannus, scilicet *regiminis* et *usurpationis.* Loquimur in hac thesi de tyranno regiminis: hoc nomine intelligentes, principem legitimum qui inique regit communitatem, i. e. principem qui potestatem, quam iuste possidet, exercet iniuste. — Duo autem de eo statuimus in duabus, quibus haec thesis constat, partibus.

---

(1) Cf. verba Leonis XIII. super. allata vol. II. pag. 137., de modo vetustissimi pauperes inter et divites dissidii tollendi.

I. Ad priorem partem quod attinet, ea est prorsus manifesta ex illis, quae in thesi septuagesima diximus de praeceptis iniustis. Si praecepta sint iniusta per evidentem oppositionem ad bonum divinum, destituuntur vi obligandi, quin imo minime possunt a subditis observari. Si ea sint iniusta per evidentem oppositionem ad bonum humanum, non obligant *per se* in foro conscientiae ac proinde *per se* possunt a subditis non observari. Quae, cum in praedicta thesi fuse explicata sint, non indigent maiori declaratione. Unum addam: huc tandem redire resistentiam illam *passivam* seu *defensivam*, quam subditi aliquando possunt tyranni legibus evidenter iniustis opponere, quaeque si tunc ab omnibus civibus vel a maiori civium parte reapse opponatur, eum sane habebit effectum, quod tyrannus a potestatis abusu desistet.

II. Ad alteram partem quod spectat, abusus potestatis non semper trahit secum amissionem ipsius auctoritatis: fieri tamen potest ut aliquando abusus talem effectum habeat. Ratio autem est, quia ut auctoritas regia corruat, necesse est quod ipse possessionis titulus evertatur. Atqui abusus potestatis non semper destruit possessionis titulum: fieri tamen potest, ut aliquando abusus eum destruat. Tunc tantum, sublata causa, tollitur effectus: eversa basi, ruit aedificium. — Quae cum generaliter dicta sint, iuverit ea illustrare praeclaris verbis Angelici Doctoris (1).

Hanc quaestionem s. Thomas sibi proponit: « si rex in tyrannidem diverteret, qualiter posset occurri. »

---

(1) De regim. Princ. l. 1. c. 6. Liber prior huius opusculi et liber secundus usque ad cap. 4. auctorem certe habent s. Thomam. — Cf. ea quae idem Angelicus Doctor habet in 2. 2. q. 42. a. 2. ad 3.m, et q. 69. a. 4. in corp.

Respondet autem distinguendo inter remissam tyrannidem et intolerabilem excessum tyrannidis. Sic vero disserit.

« Si non fuerit excessus tyrannidis, utilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quam contra tyrannum agendo multis implicari periculis, quae sunt graviora ipsa tyrannide. Potest enim contingere, ut qui contra tyrannum agunt, praevalere non possint, et sic provocatus tyrannus magis desaeviat. Quod si praevalere quis possit adversus tyrannum, ex hoc ipso proveniunt multoties gravissimae dissensiones in populo, sive dum in tyrannum insurgitur. sive dum post deiectionem tyranni erga ordinationem regiminis multitudo separatur in partes. Contingit etiam, ut interdum dum alicuius auxilio multitudo expellit tyrannum, ille potestate accepta tyrannidem arripiat, et timens pati ab alio quod ipse in alium fecit, graviori servitute subditos opprimat. Sic enim in tyrannide solet contingere, ut posterior gravior fiat quam praecedens, dum praecedentia gravamina non deserit, et ipse ex sui cordis malitia nova excogitat. Unde Syracusis quondam Dionysii mortem omnibus desiderantibus, anus quaedam, ut incolumis et sibi superstes esset, continue orabat. Quod ut tyrannus cognovit, cur hoc faceret interrogavit. Tum illa: Puella, inquit, existens cum gravem tyrannum haberemus, mortem eius cupiebam, quo interfecto aliquantum durior successit. Eius quoque dominationem finiri magnum existimabam. Tertium te importuniorem habere coepimus rectorem : itaque si tu fueris absumptus, deterior in locum tuum succedet.

« Si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione mul-

titudinis exponere periculis mortis: cuius rei exemplum etiam in veteri testamento habetur. Nam Aioth quidam Eglon regem Moab, qui gravi servitute populum Dei premebat, sica infixa in eius femore interemit, et factus est populi iudex. Sed hoc Apostolicae doctrinae non congruit. Docet enim nos Petrus, II. Petr. 2., non bonis tantum et modestis, verum etiam dyscolis dominis reverenter subditos esse. Haec est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustineat quis tristitias patiens iniuste. Unde cum multi Romani Imperatores fidem Christi persequerentur tyrannice, magnaque multitudo tam nobilium, quam populi esset ad fidem conversa, non resistendo, sed mortem patienter et animati sustinentes pro Christo laudantur, ut in sacra Thebaeorum legione manifeste apparet. Magisque Aioth iudicandus est hostem interemisse, quam populi rectorem, licet tyrannum. Unde et in veteri testamento leguntur occisi fuisse hi, qui occiderunt Ioas regem Iuda, quamvis a cultu Dei recedentem, eorumque filii reservati secundum legis praeceptum. Esset autem hoc multitudini periculosum et eius rectoribus, si privata praesumptione aliqui attentarent praesidentium necem, etiam tyrannorum: plerumque enim huiusmodi periculis magis exponunt se mali quam boni. Malis autem solet esse grave dominium non minus regum, quam tyrannorum, quia secundum sententiam Salomonis, Prov. XX. 26: *Dissipat impios rex sapiens.* Magis igitur ex huius praesumptione immineret periculum multitudini de amissione regis, quam remedium de subtractione tyranni. Videtur autem magis contra tyrannorum saevitiam non privata praesumptione aliquorum, sed auctoritate publica procedendum.

« Primo quidem, si ad ius multitudinis alicuius per-

tineat sibi providere de rege, non iniuste ab eadem rex institutus potest destrui, vel refraenari eius potestas, si potestate regia tyrannice abutatur. Nec putanda est talis multitudo infideliter agere tyrannum destituens, etiam si eidem in perpetuo se ante subiecerat: quia hoc ipse meruit, in multitudinis regimine se non fideliter gerens, ut exigit regis officium, quod ei pactum a subditis non reservetur. Sic Romani Tarquinium superbum quem in regem susceperant, propter eius et filiorum tyrannidem a regno eiecerunt, substituta minori, scilicet consulari, potestate. Sic etiam Domitianus, qui modestissimis Imperatoribus Vespasiano patri, et Tito fratri eius successerat, dum tyrannidem exercet, a Senatu Romano interemptus est, omnibus quae perverse Romanis fecerat per senatusconsultum iuste et salubriter in irritum revocatis. Quo factum est, ut Beatus Ioannes Evangelista dilectus Dei discipulus, qui per ipsum Domitianum in Pathmos insulam fuerat exilio relegatus, ad Ephesum per senatusconsultum remitteretur (1).

« Si vero ad ius alicuius superioris pertineat multitudini providere de rege, expectandum est ab eo remedium contra tyranni nequitiam. Sic Archelai, qui in Iudaea pro Herode patre suo regnare iam coeperat,

---

(1) Cum his conferantur ea, quae ex Suaresio attulimus super. pag. 228. in adnot. — Ut sancti Thomae doctrina recte intelligatur, animadvertantur haec duo. α) Non loquitur s. Doctor de privato vel privatis aliquibus, qui proprio marte seu privata praesumptione audeant id efficere, sed de tota civili societate; nec de qualicumque civili societate loquitur, sed de tali societate, ad cuius ius pertineat sibi providere de rege. β) Supponit amotum esse periculum, quod ordinis tranquillitas magis adhuc perturbetur, maiusque exinde detrimentum societas sit habitura. — Haec omnia lucem haurient ab iis Leonis XIII. verbis, quae in fine huius theseos afferemus.

paternam malitiam imitantis, Iudaeis contra eum querimoniam ad Caesarem Augustum deferentibus, primo quidem potestas diminuitur ablato sibi regio nomine, et medietate regni sui inter duos fratres suos divisa: deinde cum nec sic a tyrannide compesceretur, a Tiberio Caesare relegatus est in exilium apud Lugdunum Galliae civitatem.

« Quod si omnino contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad regem omnium Deum, qui est adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Eius enim potentiae subest, ut cor tyranni crudele convertat in mansuetudinem, secundum Salomonis sententiam, Proverb. XII. 1.: *Cor regis in manu Dei, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Ipse enim regis Assueri crudelitatem, qui Iudaeis mortem parabat, in mansuetudinem vertit. Ipse est, qui ita Nabuchodonosor crudelem regem convertit, quod factus est divinae potentiae praedicator: *Nunc igitur*, inquit, *ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico regem caeli, quia opera eius vera et viae eius iudicia, et gradientes in superbia potest humiliare*, Daniel. IV. 34. Tyrannos vero, quos reputat conversione indignos, potest auferre de medio, vel ad infimum statum reducere, secundum illud Sapientis, Eccl. X. 17.: *Sedem ducum superborum destruxit Deus, et sedere fecit mites pro eis.* Ipse est qui videns afflictionem populi sui in Aegypto, et audiens eorum clamorem, Pharaonem tyrannum deiecit cum exercitu suo in mare. Ipse est qui memoratum Nabuchodonosor prius superbientem non solum eiecit de segni solio, sed etiam de hominum consortio in similitudinem bestiae commutavit. Nec etiam abbreviata manus eius est, ut populum suum a tyrannis liberare non possit. Promittit enim populo suo per Isaiam, requiem se da-

turum a labore et confusione, ac servitute dura, qua ante servierat: et per Exech. XXXIV. 10. dicit: *Liberabo meum gregem de ore eorum*, scilicet pastorum, qui pascunt seipsos. Sed ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare: quia in ultionem peccati divina permissione impii accipiunt principatum, dicente Domino per Oseam XIII. 11.: *Dabo tibi regem in furore meo,* et in Iob. XXXIV. 30. dicitur, quod *regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Tollenda est igitur culpa, ut cesset tyrannorum plaga. »

Thesim hanc absolvam, verba addendo Leonis XIII., ex epist. enc., *Quod Apostolici muneris:* « Si quandoque contingat temere et ultra modum publicam a Principibus potestatem exerceri, catholicae Ecclesiae doctrina in eos insurgere, proprio marte non sinit, ne ordinis tranquillitas magis magisque turbetur, neve societas maius exinde detrimentum capiat. Cumque res eo devenerit, ut nulla alia spes salutis affulgeat, docet christianae patientiae meritis, et instantibus ad Deum precibus remedium esse maturandum. Quod si legislatorum ac principum placita aliquid sanciverint aut iusserint, quod divinae aut naturali legi repugnet, christiani nominis dignitas et officium atque apostolica sententia suadent, obediendum esse magis Deo quam hominibus. » Hisce verbis, ut patet, prohibetur, ne quis proprio marte in tyrannos insurgat, itemque ne quid fiat, ex quo maior ordinis perturbatio sequeretur aut maius societati damnum adveniret (1). Commendantur autem christianae virtutes et praesertim debita principibus etiam dyscolis

(1) Hoc sane multis in quaestionibus, ad eas recte solvendas, haberi ob oculos debet, nimirum, quaenam communitati oriantur mala, an graviora iis, de quibus impediendis vel reparandis agitur.

submissio, in iis quidem, quae divinae aut naturali legi non repugnent.

THESIS LXXXVII.

Qui vi et dolo in supremae potestatis possessionem iniuste devenit, neque eam vult (ut deberet) legitimo principi restituere; is 1.°) ne novi criminis se reum efficiat, ferre debet leges ad pacem ordinemque socialem conducentes, iisque legibus 2.°) debent cives se submittere. Et quamvis 3.°) numquam possint cives ipsam usurpationis iniustitiam directe approbare aut recognoscere aut stabilire; tamen 4.°) ea processu temporis contingere possunt rerum adiuncta, in quibus eum ut principem accipere liceat et revereri.

212. Praenotiones. Quum de *usurpatore* sermo est, debent duo distingui tempora. — Primum tempus est, quando usurpator in supremae auctoritatis possessionem nondum pervenit, sed vi illata nititur legitimum principem suprema auctoritate spoliare, eamdemque sibi usurpare. Tunc possunt ac debent subditi usurpatorem, vi etiam adhibita, repellere, ac suum principem legitimum pro viribus defendere atque adiuvare, ne supremam auctoritatem, quam iure possidet, amittat. — Alterum tempus est, quando usurpator iam principem legitimum suprema potestate spoliavit, et in iniustam eiusdem possessionem ipse pervenit, eamque iam tranquille ac pacifice possidet. Hoc altero tempore princeps legitimus non amplius possidet *de facto* supremam auctoritatem, etsi habeat *ius illam recuperandi*: usurpator autem supremam auctoritatem *de facto* possidet, quamvis *ius non*

habeat illam possidendi. Iamvero de hoc altero tempore in hac thesi loquimur.

Patet usurpatorem gravissime peccare, sive quando potestatis supremae possessionem sibi primo per vim et fraudem vindicat, sive quum postea usurpatam hanc potestatem sibi retinet (1). Veram enim principi legitimo infert iniuriam, ac proprie dictam patrat et continuat iniustitiam sive contra illum, sive etiam contra legitimum eius successorem, et proinde ad restituendum tenetur. Hisce breviter praemissis, pauca de singulis nostrae assertionis partibus dicamus (2).

213. Demonstratio. I. In priori parte asseritur, usurpatorem, qui nolit, prout tenetur, supremam potestatem principi legitimo restituere, si insuper leges ferat iniquas, aut, si quando opus sit, ius non dicat, sontes non comprimat etc., magis adhuc peccare, novamque aliam inferre iniuriam. — Etenim praeter eam iniuriam, quam infert principi legitimo, quatenus supremam auctoritatem, prout debet, illi non restituit, novam infert iniuriam directe ipsis civibus, in quorum bonum (3)

---

(1) Simili modo ille, qui alium inique in carcerem compingit, non solum peccat ab initio, sed etiam iugiter postea, quum hanc alterius calamitatem continuat.

(2) De hac quaestione cf. Ballerini in adnot. ad quintum Decal. praeceptum.

(3) Nota discrimen inter dominium proprietatis, et dominium iurisdictionis. Res, quae possidetur ut propria, est in bonum domini, qui eam possidet. Qui ergo eam aufert, illa frui seu uti nequit. At iurisdictio, quam quis possidet in alios, est in bonum horum aliorum, non autem directe in bonum illius, qui eam possidet. Qui ergo eam aufert, nec vult, prout debet, restituere, tenetur illam recte exercere in bonum subditorum, quibus est ordinata, et quibus est necessaria. Quod si non faciat, iniuriam directe infert ipsis subditis.

est, et quibus est necessaria auctoritas, rectumque eiusdem exercitium per aequas leges, aequa iudicia etc.: quod rectum exercitium, posito quod usurpator nolit restituere supremam auctoritatem, haberi non potest, nisi ab usurpatore (1).

II. Quod attinet ad alteram partem affirmamus, cives omnes debere iis legibus se submittere. — Et sane societas civilis stare in ordine nequit sine custodia seu observatione legum sententiarumque civilium. Atqui huiusmodi leges ac sententiae tunc de facto haberi nequeunt, nisi quae ab usurpatore ferantur. Ergo istae, si aequae sint, sunt a civibus observandae ex lege naturae, quae scilicet exigit omnino, ut stet et bene ordinateque stet civile consortium.

Haec altera pars, sicut et pars praecedens, illustratur hisce sapientibus verbis Taparelli (2): « L'usurpatore

---

(1) Similiter, si quis sibi usurparet patriam potestatem, et insuper pravam directionem seu educationem filiis praeberet, praeter iniuriam, quam inferret patri, ei auferendo et retinendo iniuste paternam auctoritatem, iniuriam aliam inferret filiis, in quorum bonum est et quibus est necessarium rectum patriae illius potestatis exercitium.

(2) *Saggio* ecc. dissert. III. cap. V. n. 665. Paulo superius haec habet: « Avvertasi, che altro è un *dritto contro dritto*, altro è un *dritto posseduto contro dritto*, in altri termini, altro è *autorità ingiusta*, dritto di comandare cosa contro l'ordine, altro *ingiusto possesso di giusta autorità,* dritto di comandar cose giuste ottenuto per vie ingiuste » Hinc patet, quod iudicium ferendum sit de Ahrens, quando ait: « La legittimità non è una questione storica: un potere può avere la sua origine in fatti non giustificati, ma quando esso viene esercitato secondo l'interesse della nazione è *legittimo.* » Distinguo: est legitimum quoad exercitium *conc.* quoad possessionem *nego.*

impossessatosi ingiustamente di una forza sociale, a cui va essenzialmente annesso il *dovere* e però il *dritto* di fare il bene sociale, dovrebbe certamente rinunziare all'usurpata corona; ma finchè ingiustamente la possiede, ha il *dritto* e il *dovere* di far il bene sociale, e corrispondenti sono nel popolo il *diritto ad avere* ed il *dovere di non impedire* il bene sociale. Ma, notate bene, il dritto nell'usurpatore *non è dell'usurpatore, ma della cosa usurpata*, dell'autorità sociale: a questa obbedisce il popolo, non all'usurpatore. » Notentur sane haec postrema verba: ius in usurpatore residens ordinandi civitatem legibus aequis est ius non usurpatoris, sed rei usurpatae, videlicet auctoritatis socialis, quae, licet iniuste detineatur, tamen proprio effectu et vi non destituitur (1). Unde vere cives se submittunt auctoritati potius, quam usurpatori: et sic ex eo tantum, quod legibus aequis obediant, usurpatorem non iuvant, ut in sua iniusta possessione stabiliatur.

III. In tertia parte asserimus, cives non posse directe approbare aut recognoscere aut stabilire ipsam usurpationis iniustitiam. — Etenim nulla iniustitia aut iniquitas potest unquam approbari aut recognosci. Debent ergo abstinere a quovis actu, qui foret approbatio vel recognitio iniustitiae ab usurpatore patratae. Item cives nequeunt quidquam facere, ut usurpatorem in iniusta

(1) Paulo superius Taparelli hoc affert exemplum: « Se un campo ha un dritto di *passaggio*, se una casa ha un dritto di *stillicidio* o di *alzata* (altius tollendi), l'ingiusto possessore della casa o del campo, dee conservarne i dritti, che son dritti della casa o del campo, epperò del loro vero padrone, a cui dovrebbe restituirli nella loro integrità. Fa male se non restituisce la casa o il campo, ma se inoltre ne peggiorasse la condizione, fa due mali. »

supremae auctoritatis possessione stabiliant vel confirment (1). Etenim iniustitiae cooperari nefas est.

Legitimus princeps non potest a subditis civilem exigere obedientiam: siquidem de facto non possidet supremam auctoritatem. At potest ipse conari recuperare auctoritatem, ipsumque cives possunt adiuvare ad auctoritatem recuperandam: siquidem princeps legitimus habet vere ius ad recuperandam auctoritatem, et cives habent ius, ut ab illo, qui est legitimus eorum princeps, regantur. Verum si haec tentamina maius societati damnum progignerent, legitimus princeps in talibus adiunctis nequit a subditis exigere, ut ipsum adiuvent ad recuperandam auctoritatem: siquidem auctoritas est in bonum civium et societatis, non autem in bonum principis qua princeps est (2).

IV. Affirmamus denique, ea processu temporis contingere posse rerum adiuncta, in quibus illum, qui usurpavit, ut principem accipere liceat ac revereri. — Quaedam huius rei subiiciemus exempla.

Si α) usurpatio pro obiecto habeat auctoritatem alicuius Reipublicae, patet usurpatorem evadere legitimum vi liberi consensus populi, qui suae libertati sponte renuntiet.

Item β) si princeps legitimus suum ius cedere

---

(1) Itaque si quae leges tenderent ad usurpatorem in iniusta supremae auctoritatis possessione confirmandum, iis legibus cives *per se* obedire non debent. Hinc in priori parte diximus expresse, cives debere obedire legibus *ad pacem et ordinem publicum conducentibus.*

(2) Huc facit illud, quod passim ab auctoribus dici solet: regnum seu populum non esse propter regem, sed regem esse propter regnum.

potest, illudque de facto cedit usurpatori, hic in iustam auctoritatis possessionem venit.

Contingere γ) potest, sive ratione temporis iam elapsi, sive alias ob circumstantias, ut restitutio principis legitimi sit impossibilis, ita ut nulla amplius principi legitimo maneat rationabilis spes recuperandi supremam potestatem: in tali casu bonum universale civilis societatis (in cuius gratiam est suprema auctoritas) exigit, ut cesset gubernium *tantummodo de facto*, et evadat etiam gubernium *de iure*. Etenim quando gubernium non est *de iure*, sed *solummodo de facto*, societas civilis versatur in statu quodam non normali, sed violento, in quo finem suum convenienter non assequitur: siquidem tunc multae inter cives existunt factiones, multae dissensiones, multaque alia detrimenta (1). Atqui universale civilis societatis bonum exigit, ut status politicae societatis anormalis ac violentus cesset, quando cessare rationabiliter potest: potest autem rationabiliter cessare, quando recuperatio supremae auctoritatis iam est impossibilis principi legitimo, qui sane tunc praetextu iuris ad rem impossibilem recuperandam nequit exigere fidelitatem civium, i. e. infelici-

(1) « Considerate, inquit apte Taparelli loc. cit., che cosa è una società divisa in partiti, l'uno *legittimista*, l'altro *contrario*, un terzo *medio* e mille altri *intermedii*, in cui ogni testa, ogni coscienza, ogni interesse dee crearsi un *dritto*: consideratene i principii di condotta, le avversioni di affetto, i sospetti, i rancori eterni, il titubare della buona fede, del credito publico ecc.... E questo stato supponetelo perpetuo, conservato dall'urto insuperabile *d'una forza e di un dritto* amendue per ipotesi inalterabili: e ditemi se per una tal società vi può più essere pace e felicità? »

tatem perpetuam totius civilis consortii, in cuius tamen bonum et felicitatem est auctoritas (1).

214. Scholion. Haec iam erant typis impressa, cum aliae prodierunt Leonis XIII. litterae encyclicae, *de conditione opificum*. Ex hac praeclara epistola opportunum mihi visum est aliquid delibare: sic enim multa, quae a nobis leviter nimis et obscure in praecedentibus thesibus disputata sunt, confirmabimus simul et illustrabimus. Nec meliori sane modo huic *de societate civili* articulo coronidem possumus imponere.

I. In priori parte multis invictisque argumentis impugnantur Socialistae, qui « evertere privatas bonorum possessiones contendunt oportere, earumque loco communia universis singulorum bona facere, procurantibus viris qui aut municipio praesint aut totam rempublicam gerant. » Scopus, quem Socialistae se intendere dictitant, innuitur: « Eiusmodi tralatione bonorum

---

(1) Hac de re vide plura apud Taparelli, loc. cit. « Il non ammettere prescrizione nei dritti di autorità sociale sarebbe *una ingiusta ordinazione* della giustizia. *Ingiusta*, io dico, perchè codesta giustizia pretenderebbe mantenere perpetuamente una società in stato deplorabile, per non privare del suo dritto un individuo, che ne ha perduto irreparabilmente l'uso. E di qual dritto? del dritto di farsi, senza averne le forze, autore della di lei felicità, a cui la società ha un dritto inalienabile, giacchè costituisce la essenza stessa della società, la quale non è se non una cospirazione al bene comune. Di grazia, ponderate bene qual sarebbe il linguaggio tenuto dal pretendente alla società, se avesse dritto ad averla sì ostinatamente fedele: *Io*, direbbe, *ho dritto a fare la vostra felicità, ma non ne ho la forza. Voi avete dritto ad esserne felici, ma da me non potete sperarlo. Rinunziate alla vostra felicità per conservare a me il dritto di farvi felici.* Che ragionare sarebbe codesto? o piuttosto che sragionare! » Vide quae ex Suaresio ac Bellarmino attulimus super. pag. 252. adnot. 2.

a privatis ad commune, mederi se posse praesenti malo (i. e. miserae calamitosaeque fortunae, in qua plebs versatur) arbitrantur, res et commoda inter cives aequabiliter partiendo. » Argumenta adversus hanc Socialistarum opinionem afferuntur: sic autem concluditur: « Illud Socialismi placitum de possessionibus in commune redigendis omnino repudiari oportere, quia iis ipsis quibus est opitulandum nocet, naturalibus singulorum iuribus repugnat, officia reipublicae tranquillitatemque communem perturbat. Maneat ergo, cum plebi sublevatio quaeritur, hoc in primis haberi fundamenti instar oportere, privatas possessiones inviolate servandas. » (1).

Multa in hac priori parte habentur, quibus ea, quae de relationibus domesticam inter et civilem societatem diximus (2), mirum in modum illustrantur. Est « familia seu societas domestica, perparva illa quidem, sed vera societas, eademque omni civitate antiquior; cui propterea sua quaedam iura officiaque esse necesse est, quae minime pendeant a republica.... Velle ut pervadat civile imperium arbitratu suo usque ad intima domorum, magnus ac perniciosus est error. Certe si qua forte familia in summa rerum difficultate consiliique inopia versetur, ut inde se ipsa expedire nullo pacto possit, rectum est subveniri publice rebus extremis: sunt enim familiae singulae pars quaedam civitatis. Ac pari modo sicubi intra domesticos parietes gravis exti-

---

(1) His confirmantur tum ea, quae diximus vol. II. thes. XXIV-XXXI., tum ea quae exposuimus hoc vol. III. thes. LXXXIV.

(2) Nimirum, ea praesertim, quae diximus hoc vol. III. thes. XLIX. et LVI. et LXXXIII.

terit perturbatio iurium mutuorum, suum cuiusque ius potestas publica vindicato: neque enim hoc est ad se rapere iura civium, sed munire atque firmare iusta debitaque tutela. Hic tamen consistant necesse est, qui praesint rebus publicis: hos excedere fines natura non patitur. Patria potestas est eiusmodi, ut nec extingui, neque absorberi a republica possit, quia idem et commune habet cum ipsa hominum vita principium. *Filii sunt aliquid patris,* et velut paternae amplificatio quaedam personae: proprieque loqui si volumus, non ipsi per se, sed per communitatem domesticam, in qua generati sunt, civilem ineunt ac participant societatem. »

II. In altera parte agitur de modo illius certaminis, quod inter dominos et proletarios fervet, componendi. Illud autem in primis affirmatur, « inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita. » (1). Illud insuper statuitur, « ferendam esse conditionem humanam, ima summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem Socialistae: sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis accommodate: indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris. » (2).

---

(1) Haec confirmant id, quod exposuimus hoc vol. III. pag. 368.

(2) Valent haec ad ea illustranda, quae diximus vol. II. thes. XXVIII., et hoc vol. III. pag. 26.

Hac tamen in re princeps civilis praestare multa potest atque etiam debet. « Si quando fiat, ut quippiam turbarum impendeat ob secessionem opificum, aut intermissas ex composito operas: ut naturalia familiae nexa apud proletarios relaxentur: ut religio in opificibus violetur, non satis impertiendo commodi ad officia pietatis: si periculum in officinis integritati morum ingruat a sexu promiscuo aliisve perniciosis invitamentis peccati: aut opificum ordinem herilis ordo iniquis premat oneribus vel alienis a persona ac dignitate humana conditionibus affligat: si valetudini noceatur opere immodico nec ad sexum aetatemve accommodato, his in causis plane adhibenda, certos intra fines, vis et auctoritas legum. Quos fines eadem, quae legum poscit opem, caussa determinat: videlicet, non plura suscipienda legibus, nec ultra progrediendum, quam incommodorum sanatio, vel periculi, depulsio requirat. » (1).

Aliis autem omissis, ea subdam quae *salarii* quaestionem respiciunt (2): « Salarii definitur libero consensu modus: itaque dominus rei, pacta mercede persoluta, liberavisse fidem, nec ultra debere quidquam videatur. Tunc solum fieri iniuste, si vel pretium dominus solidum, vel obligatas artifex operas reddere totas recusaret: his caussis rectum esse potestatem politicam intercedere, ut suum cuique ius incolume sit, sed praeterea nullis. — Cui argumentationi aequus rerum iudex non facile, neque in totum assentiatur, quia non est absoluta omnibus partibus: momentum quoddam rationis abest maximi ponderis. Hoc est enim operari,

(1) Haec iuvant ad ea illustranda, quae diximus hoc vol. III. thes. LXXXV.

(2) Per haec illustrentur ea, quae diximus hoc vol. III. thes. LIII.

exercere se rerum comparandarum caussa, quae sint ad varios vitae usus, potissimumque ad tuitionem sui necessariae, *In sudore vultus tui vesceris pane.* Itaque duas velut notas habet in homine labor natura insitas, nimirum ut *personalis* sit, quia vis agens adhaeret personae, atque eius omnino est propria, a quo exercetur, et cuius est utilitati nata: deinde ut sit *necessarius*, ob hanc caussam, quod fructus laborum est homini opus ad vitam tuendam: vitam autem tueri ipsa rerum, cui maxime parendum, natura iubet. Iamvero si ex ea dumtaxat parte spectetur quod personalis est, non est dubium quin integrum opifici sit pactae mercedis angustius finire modum: quemadmodum enim operas dat ille voluntate, sic et operarum mercede vel tenui vel plane nulla contentus esse voluntate potest. Sed longe aliter iudicandum, si cum ratione *personalitatis* ratio coniungitur *necessitatis*, cogitatione quidem non re ab illa separabilis. Reapse manere in vita, commune singulis officium est, cui scelus est deesse. Hinc ius reperiendarum rerum, quibus vita sustentatur, necessario nascitur: quarum rerum facultatem infimo cuique non nisi quaesita labore merces suppeditat. Esto igitur, ut opifex atque herus libere in idem placitum, ac nominatim in salarii modum consentiant: subest tamen semper aliquid ex iustitia naturali, idque libera paciscentium voluntate maius et antiquius, scilicet alendo opifici, frugi quidem et bene morato, haud imparem esse mercedem oportere. Quod si necessitate opifex coactus, aut mali peioris metu permotus, duriorem conditionem accipiat, quae, etiamsi nolit, accipienda sit, quod a domino vel a redemptore operum imponitur, istud quidem est subire vim, cui iustitia reclamat. — Verumtamen in his similibusque caussis, quales illae sunt in

unoquoque genere artificii quota sit elaborandum hora, quibus praesidiis valetudini maxime in officinis cavendum, ne magistratus inferat sese importunius, praesertim cum adiuncta tam varia sint rerum, temporum, locorum, satius erit eas res iudicio reservare collegiorum, de quibus infra dicturi sumus, aut aliam inire viam, qua rationes mercenariorum, uti par est, salvae sint, accedente, si res postulaverit, tutela praesidioque reipublicae. »

III. In tertia tandem parte de iis agitur institutis seu societatibus, quorum ope et opportune subveniatur indigentibus, et opifices cum dominis propius adiungantur. Brevitas, cui studere debemus, nos cogit, ut pauca tantum e multis, quae afferri deberent, subiiciamus. Illa autem seligimus, quibus plures ex thesibus praecedentibus. praecipue vero thesis sub numero LXXXIII. posita, illustratur maxime atque confirmatur.

« Virium suarum explorata exiguitas impellit hominem atque hortatur, ut opem sibi alienam velit adiungere. Sacrarum litterarum est illa sententia: *melius est duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suae. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Vae soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* (1). Atque illa quoque: *frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (2). Hac homo propensione naturali sicut ad coniunctionem ducitur congregationemque civilem, sic et alias cum civibus inire societates expetit, exiguas illas quidem nec perfectas, sed societates tamen. Inter has et magnam illam societatem ob differentes caussas

(1) Eccl. IV. 9 12.
(2) Prov. XVIII. 19.

proximas interest plurimum. Finis enim societati civili propositus pertinet ad universos, quoniam communi continetur bono: cuius omnes et singulos pro portione compotes esse ius est. Quare appellatur *publica*, quia per eam *homines sibi invicem communicant in una republica constituenda* (1). Contra vero, quae in eius velut sinu iunguntur societates, privatae habentur et sunt, quia videlicet illud, quod proxime spectant, privata utilitas est, ad solos pertinens consociatos. *Privata autem societas est, quae ad aliquod negotium privatum exercendum coniungitur, sicut quod duo vel tres societatem ineunt, ut simul negotientur* (2). Nunc vero quamquam societates privatae existunt in civitate, eiusque sunt velut partes totidem, tamen universe ac per se non est in potestate reipublicae ne existant prohibere. Privatas enim societates inire concessum est homini iure naturae: est autem ad praesidium iuris naturalis instituta civitas, non ad interitum: eaque si civium coetus sociari vetuerit, plane secum pugnantia agat, propterea quod tam ipsa quam coetus privati uno hoc e principio nascuntur, quod homines sunt natura congregabiles. — Incidunt aliquando tempora cum ei generi communitatum rectum sit leges obsistere: scilicet si quidquam ex instituto persequantur, quod cum probitate, cum iustitia, cum republicae salute aperte dissideat. Quibus in caussis iure quidem potestas publica, quo minus illae coalescant, impediet: iure etiam dissolvet coalitas: summam tamen adhibeat cautionem necesse est, ne iura civium migrare videatur, neu quidquam per speciem utilitatis

(1) S. Thom. *Contra impugnantes Dei cultum et religionem*. cap. II.
(2) Ib.

publicae statuat, quod ratio non probet. Eatenus enim obtemperandum legibus, quoad cum recta ratione adeoque cum lege Dei sempiterna consentiant (1). » Hisce autem finem imponimus disputationi de societate civili: de eius origine, materia, fine, forma breviter diximus.

ARTICULUS V.

De iure gentium seu de iure internationali.

215. Multi existunt status, seu societates civiles singulae sui iuris. Neque res haec aliter posset se habere. Etenim, sicut apte animadvertit Suarez (2), « necessarium non est ad conservationem aut bonum naturae, ut omnes homines congregentur in una politica communitate, imo vix erat id possibile, et multo minus erat id expediens. Dixit enim Aristoteles, civitatem nimis copiosam difficile gubernari recte; difficilius ergo regnum, si nimis amplum sit; multo ergo difficilius totum universum, loquendo de civili gubernatione. » — Inquirendum igitur est, quaenam diversi hi status iura habeant ad invicem, quibusnam inter se adstringantur officiis: scilicet, quaestio pertractanda est *de iure gentium* seu *de iure internationali*.

(1) *Lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam, et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis, sed magis violentiae cuiusdam.* » (S. Thom. Summ. Theol. I-II. Quaest. XCIII. a. III).

(2) De leg. l. III. c. 2. n. 5.

§. I. *De varia huius locutionis, ius gentium, acceptione.*

THESIS LXXXVIII.

Cum multiplex sit apud auctores locutionis huius, ius gentium, acceptio; nos hoc loco per ius gentium intelligimus complexum eorum iurium, quibus status pollent, eorumque officiorum, quibus iidem adstringuntur erga alios status.

216. Declaratio. Multiplex est apud auctores locutionis huius, *ius gentium*, acceptio: praecipuas iuverit indicare.

I. Ut pluribus iam locis (1) diximus, veteres Iurisperiti *ius naturale* appellarunt illud, quod respicit actiones communes homini cum brutis: quales e. g. sunt procreatio et educatio prolis. Vocarunt autem *ius gentium* illud, quod commune est omnibus populis, et actiones solius hominis proprias respicit: ut sunt e. g. cultus Dei, obedientia parentibus, amor patriae, divisio rerum, commercium mutuum etc. (2). Ac tandem *ius civile* dixerunt illud, quod unusquisque populus statuit in suam particularem utilitatem, suamque specialem gubernatio-

---

(1) Vide super. pag. 267. adnot. 2. — Quomodo veteres Iurisperiti dixerunt ius naturale esse commune ipsis etiam brutis? Non quidem *formaliter*, sed tantum *materialiter*: non quoad ipsam rationem iuris vel legis, quae nonnisi ad hominem pertinere potest, sed tantum quoad rem quam respicit.

(2) Ea iura, quae ab omnibus populis recognoscuntur ut vera seu legitima, dicuntur pertinere ad *ius gentium* i. e. ad ius admissum ac receptum ab omnibus unanimiter gentibus, tamquam potestatem moralem a naturali lege reapse concessam.

nem. — En eorum verba: ius *naturale* est, quod natura omnia animalia docuit: ius *gentium* est, quo gentes humanae utuntur: ius *civile* est, quod quisque populus ipse sibi constituit.

II. Paulo aliter rem exposuerunt plerique inter veteres Theologos catholicos. Audiantur verba Card. Bellarmini (1): « Tres sunt gradus *naturalium* praeceptorum. - *Primus* est eorum, quae ita perspicue sunt impressa in cordibus hominum, ut solo lumine rationis, sine ulla disciplina vel arte, imo sine novo discursu rationis iudicentur ab omnibus iusta. Talia autem sunt prima quaedam principia, ut bonum esse appetendum, malum fugiendum, conservandam vitam cibo et potu, propagandam et educandam sobolem ad conservandum genus humanum, Deum esse colendum, non esse faciendum alteri quod tibi fieri non vis. Haec *maxime proprie* sunt praecepta iuris naturae. — *Secundus* gradus est eorum praeceptorum, quae deducuntur ex illis primis principiis, tamquam conclusiones proximae, et quasi naturaliter fluentes per facilem, evidentem et necessariam consequentiam, ut non sit opus arte vel disciplina, sed simplici discursu, qualem omnes homines habere possunt. Talia sunt omnia praecepta Decalogi. Nam ex illo principio in corde omnium impresso, Deum esse colendum, sequitur continuo, non esse colenda idola, neque esse peierandum: ex illo altero principio, quod tibi non vis fieri alteri ne feceris, sequitur, non esse occidedum, non esse moechandum, non esse furandum etc. Eiusmodi praecepta *vere* et *proprie* ad ius divinum naturale pertinent. Et certe sicut ea, quae deducuntur per necessariam consequentiam ex articulis fidei, pertinent ad

(1) De Clericis l. 1. c. 29. — Cf. Suarez, de leg. l. II. cap. 17. seqq.

fidem, quia non possunt negari, quin articuli ipsi negentur; ita quae deducuntur per necessariam consequentiam ex primis principiis iuris naturalis, pertinent etiam ad ius naturale, quia non possunt destrui, quin destruatur natura (1). — *Tertius* gradus praeceptorum naturalium est eorum, quae deducuntur quidem ex principiis iuris naturae, sed per consequentiam non absolute necessariam, nec omnino evidentem, et ideo egent humana constitutione: et haec sunt, quae Theologi proprie referunt ad *ius gentium* (2). Et ea distinguunt a iure civili, quod ius civile non deducatur ex iure naturae per modum conclusionis deductae ex principiis, sed per modum determinationis eorum, quae generatim praecipiuntur a iure naturae (3). Ius gentium est aliquo modo naturale et aliquo modo positivum, ac per hoc est medium inter ius naturale purum et ius civile. Ius enim naturale purum est illud, quod nullo modo pendet ex humana constitutione: ius civile autem quod ex sola hominum constitutione pendet, et ideo pure positivum dici potest: ius vero gentium partim est naturale, partim est positivum, quia pendet quidem

(1) Cf. vol. I. thes. XXXVII. pag. 310. Distinximus ibi varios ordines seu classes praeceptorum naturalium.

(2) Cf. super. pag. 231., ubi haec Bellarmini verba attulimus: « Principatus politicus institutus est ab hominibus estque *de iure gentium*: at principatus ecclesiasticus est a solo Deo et de iure divino. » Item cf. super. pag. 244., ubi haec alia attulimus verba Suaresii: « Privata dominia partim *iure gentium*, partim iure civili introducta sunt. » — Ad quae intelligenda, recolatur veterum multorum sententia, quam suis locis exposuimus, circa originem dominii proprietatis et iurisdictionis.

(3) Vide quae diximus super. pag. 266. num. 175.: ibi claram hac de re explicationem attulimus.

ab humana constitutione, id est a consensu omnium gentium. sed non pendet ab auctoritate Principis vel Magistratus particularis. Ex quo sequitur, ut ea, quae sunt de iure gentium. quia sunt aliquo modo naturalia, ideo prohibeantur, quia sunt mala: contra autem, quae sunt de iure civili, quia sunt pure positiva, ideo sint mala, quia prohibentur. Rursus sequitur, ut ea quae sunt de iure gentium, quia sunt aliquo modo naturalia, non possint a Principibus vel Magistratibus abrogari vel immutari; contra autem quae sunt de iure civili, quia sunt pure positiva, sicut a Principe vel Magistratu constituuntur, ita posse a Magistratu vel Principe abrogari. »

III. Nos autem hoc loco per *ius gentium* intelligimus complexum eorum iurium, quibus status pollent, eorumque officiorum, quibus iidem adstringuntur erga alios status. — Liquet igitur, quonam sensu hoc loco a nobis sumantur haec nomina, *gens* seu *natio*. Non sensu *geographico* aut *genetico* illas voces usurpamus, sed sensu *politico* (1). Sensu geographico, *gens* seu *natio* est populus (pars materialis unius aut plurium societatum civilium) in eadem regione intra certos quosdam limites constitutus. Sensu genetico, est hominum progenies, quae ab una aliqua societate communem ducit originem, eademque lingua utitur, licet in diversas regiones distributa sit: sic Hebraei, licet sint per totum orbem dispersi, dicuntur tamen constituere gentem unam aut unam nationem. Sensu politico, est societas quaecumque civilis, quae sui iuris seu independens sit: talis porro societas vocari frequentius solet *status* (2).

(1) Cf. Tongiorgi, eth. num. 508.

(2) Vide super. pag. [illegible] num. [illegible], ubi diximus de *statu*, et de

217. Scholion. Quaeri autem potest, in quo ius *gentium* seu *internationale* et ius naturale *privatum* seu *individuale* differant.

Differunt α) spectato *subiecto*. Iuris enim individualis subiectum est persona physica: iuris vero internationalis subiectum est illa persona moralis, quae natio dicitur vel gens. — Differunt β) spectato *termino*. Iuris enim individualis terminus est, ut plurimum saltem, persona physica: iuris vero internationalis terminus est proprie ipsa gens (1). — Differunt γ) spectata *materia* seu *obiecto*. Quaedam enim materiae, quae sunt obiectum iuris internationalis, nequeunt esse obiectum iuris individualis: ut patet e. g. in dominio maris et in facultate belli gerendi. — Quod autem δ) attinet ad *titulum* seu *fundamentum* iuris, natura quidem est tandem titulus seu fundamentum utriusque iuris: sed pro iure individuali est natura hominis spectati, ut individuum est et persona quaedam singularis, pro iure vero internationali est natura societatis civilis independentis. — Quod si ε) spectetur *immediatus auctor* utriusque iuris, itemque *principium quo utrumque ius nobis innotescit*, discrimen non adest, sed utrumque ius est immediate a Deo naturae auctore, utrumque per naturale rationis lumen nobis manifestatur.

Illud quoque animadverti debet, privatam personam licite atque magna etiam cum virtutis laude posse

---

discrimine inter haec duo, *civitas*, *status*. Civitas latius patet quam status.

(1) Iura haec et officia internationalia inter se *immediate* devinciunt et respiciunt supremos gentium principes, iuridice in se societatem totam civilem, cui praesunt, repraesentantes.

quandoque renuntiare iuri suo, vel ab eius exercitio abstinere, bonum suum quod essentiale non sit alterius bono posthabendo: principem vero civilem per se non posse utilitatem gentis alienae praeferre utilitati gentis propriae, sed huius iura debere tum sedulo tueri tum recte exercere. Agitur enim de potestate principi civili collata, non quidem in bonum personale proprium, sed in bonum communitatis, cuius cura est ei commissa.

§. II. *De mutuis gentium inter se officiis.*

THESIS LXXXIX.

I. *Iura, quae status habent erga alios status, dividuntur in congenita seu primitiva et adventitia seu secundaria: illa sunt in omnibus gentibus aequalia, haec possunt esse in variis gentibus diversa.* II. *Iura nationum congenita revocantur ad ius sui conservandi, sui perficiendi et libere agendi: iura autem secundaria potissimum pendent ex gentium usu ac moribus aut ex dominii acquisitione aut ex pactis ac foederibus.* III. *Hisce iuribus vera respondent in aliis statibus officia eaque iuridica: quorum proinde violatio veram constituit iniuriam seu proprie dictam iniustitiam.*

218. Demonstratio. De tribus, quas thesis haec continet, partibus seorsim dicemus.

I. Si hominem individuum spectemus, invenimus, eum multis esse praeditum iuribus, quorum alia sunt *congenita* seu *innata*, alia vero *acquisita* seu *adventitia*. — Sunt enim quaedam iura, quae quilibet homo habet simpliciter quatenus et quia homo est, ipso eo ipso quod naturam habet humanam: quale est ius tendendi

in ultimum finem, ius ad vitae conservationem, ius ad suiipsius perfectionem, ius independentiae in licito suarum facultatum exercitio, ius defensionis, ius acquirendi sibi stabile dominium proprietatis etc. Haec iura nascuntur cum ipso homine, in eoque necessario reperiuntur ex solo nativitatis facto: hinc merito *congenita* seu *innata* vocantur. — Sunt autem alia iura, quae aliquis homo habet ob specialia facta vel personalia adiuncta seu ob particularem statum vel conditionem, in qua homo ille reperitur: qualia sunt iura, quae licitum propriae activitatis exercitium praesupponunt, vel etiam illa, quae alterius actionem consequuntur, e. g. actuale dominium proprietatis in hunc agrum vel in hanc domum ex facto occupationis vel haereditatis exsurgens. Huiusmodi iura merito *acquisita* seu *adventitia* appellantur. — Illud porro liquet, iura congenita esse in singulis hominibus aequalia, iura vero acquisita esse in variis hominibus diversa (1).

Idem valet de hominum coniunctionibus in societatem civilem independentem seu de statibus.

Sunt quaedam iura, quae lex naturalis cuilibet statui confert, simpliciter quatenus et quia status est, sive eo ipso quod talem habet naturam, eo ipso quod est societas civilis independens. Huiusmodi iura dicuntur *congenita*: dicuntur etiam *absoluta* seu *primitiva*.

Sunt autem alia iura, quae lex naturalis statibus largitur consequenter ad aliquam inter ipsos inductam consuetudinem, aut ad speciale aliquod factum vel adiunctum particulare huius vel illius nationis. Iura huiusmodi vocantur *adventitia* seu *acquisita*: dicuntur etiam *hypo-*

(1) Vide super. vol. II. pag. 35.

thetica seu *secundaria*. Nam praesupponunt iura congenita, iisque superadduntur.

Prioris generis iura sunt in singulis statibus aequalia: consequuntur enim immediate ac necessario ipsam status naturam seu essentiam, quae in gente quavis, sive ea sit magna sive parva, est profecto eadem, est semper aequalis. Non item alterius generis iura: ea nempe possunt esse in diversis statibus diversa: consequuntur enim facta, quae possunt esse pro diversitate statuum varia et contingentia.

II. De hisce iuribus congenitis aut acquisitis, inquiramus oportet, quaenam in particulari ea sint.

α) Quod spectat ad iura congenita, natura vult plures esse status sui iuris seu independentes, i. e. plures esse distinctas societates civiles, quae seorsim ad perfectam proprii finis, nempe tranquillitatis ac prosperitatis, consecutionem libere tendant. Vult eas esse: ergo eis dat ius *sui conservandi*. Vult eas tendere ad perfectam proprii finis consecutionem: ergo eisdem dat ius *sui perficiendi*. Vult eas ad talem consecutionem libere tendere: ergo eis dat ius *libere agendi*.

Itaque status quivis, aeque ac homo quilibet individuus, habet ius *sui conservandi*. Hoc autem ius tria praecipue complectitur. Nimirum, in homine individuo complectitur ius conservandi vitam, integritatem membrorum aliarumque exteriorum rerum quas ut suas habet, sanitatem seu incolumitatem animi et corporis. In statu vero complectitur ius non amittendi independentiam, in qua vita gentis qua talis consistit: ius nullam in membris, quibus status constat, aut in bonis, quibus gaudet, deminutionem subeundi: ius nullam illius, qua fruitur, prosperitatis iacturam faciendi. -- Praeterea, status quivis habet ius *sui perficiendi*, i. e.

se iugiter per idonea et licita media promovendi ad securiorem ac pleniorem consecutionem finis illius, qui meta est atque scopus civilis consortii. — Insuper, status quivis habet ius *libere agendi*, i. e. se dirigendi in finem eo modo, eoque mediorum usu, quem ipse aptiorem sibi esse seu magis sibi expedire iudicaverit, quin hac in re debeat ab aliis statibus legem, quam sequi teneatur, accipere. Haec brevissime dicta sunt: explicabuntur magis in tertia huius thesis parte.

β) Quod autem spectat ad iura hypothetica seu secundaria, haec ex triplici potissimum capite dependent, nimirum ex *gentium usu ac moribus*, ex *dominii acquisitione*, ex *pactis ac foederibus*.

Pendent primo ex gentium usu ac moribus. Nam sicut in una civitate vel in uno statu consuetudo introducit ius, ita inter plures atque etiam inter omnes status potuerunt iura aliqua moribus seu usu introduci. Tale e. g. communiter censetur esse ius, quod legati habent, ut recipiantur sub lege indemnitatis et securitatis. Usus autem seu consuetudo ideo de aliquibus inter omnes gentes viguit semper et viget, quia ea sunt nimis consentanea naturae status (quamvis ab hac non prorsus absolute, sicut iura congenita seu primitiva, neque omnino evidenter exigantur) et a iuribus congenitis sponte ac facile dimanantia (1). Haec vero proprie dicuntur iura gentium, ad mentem Bellarmini, cuius paulo ante verba retulimus, aliorumque veterum Scholasticorum.

Pendent secundo ex dominii acquisitione. Qua in re' iis quae faciliora sunt omissis, de duobus tantummodo dicemus. — Quaeritur, utrum unus status possit in

(1) Cf. Suarez, de leg. l. 2 c. 19., praesertim num. 9.

territorio alterius status bona possidere? Affirmative respondemus, si res *per se* spectetur. Animadvertendum tamen est, ea bona possideri posse, non dominio prorsus independente, sed more potius privatorum, i. e. iure limitato ac dependente, eo fere modo, quo bona possident subditi illius status, in cuius territorio bona illa reperiuntur. — Quaeritur, utrum mare possit legitime occupari? Nulla natio potest dominium *alti* maris sibi vindicare. Etenim dominium proprietatis complectitur ius excludendi alios ab usu et dispositione rei (1). Hoc autem alios excludendi ius non adest, quando (ut in *alto* mari contingit) primo quidem res non redditur utilis per laborem seu industriam personalem, secundo autem res est talis, ut possit omnibus esse aequaliter utilis seu omnibus ex aequo satisfacere vel sufficere, quin ullo umquam usu exhauriatur. Secus dicendum est de iis maris tractibus, qui litora circumdant seu continenti adiecti sunt: hi enim possunt occupari, atque ut occupentur utilitas ac securitas maritimae nationis postulant. Quod idem dicendum est de sinu et de mari interno.

Pauca nunc subiiciemus de foederibus.— Foedera sunt pactiones inter diversas gentes, amicitiae aut mutui auxilii aut commerciorum gratia, a publica auctoritate sancitae. Haec foedera esse apprime utilia, patet: siquidem tum reddunt clariora ac firmiora officia naturalia iustitiae, tum convertunt officia imperfecta seu beneficentiae in officia perfecta seu iustitiae. Sunt autem veri contractus, non quidem individuales, sed *internationales*. Hinc ad foedera applicari omnia illa debent, quae diximus de contractibus in genere, i. e. de eorum parti-

---

(1) Vide vol. II. pag. 277. adnot. 2.[m].

tionibus (1), de obligatione quae ex iis enascitur, de conditionibus ad eorum validitatem requisitis, de modo quo iidem dissolvuntur. Haec, inquam, omnia foederibus, debita quidem cum proportione, applicanda sunt (2).

III. Hisce iuribus, quibus status pollent, respondent in aliis statibus *officia*, eaque *iuridica*: talia profecto sunt, quia officia sunt respondentia seu correlativa vero iuri in altero existenti (3). Nec difficile est colligere ex dictis, quaenam in specie sint iuridica unius status erga alios status officia: mentionem de praecipuis faciemus.

Primo, hoc est cuiuslibet status officium, nulli alii statui propriam, qua gaudet, independentiam adimere. Huiusmodi officium manifeste respondet iuri illi congenito, quod gens quaevis habet ad sui conservationem. Et sane statum aliquem spoliare independentia, idem

---

(1) Foederum alia respiciunt rem iam ad ipsum ius naturae pertinentem, alia superaddunt aliquid iuri naturali. Posteriora haec inducunt obligationem, quae prius non vigebat: dividuntur autem in *aequalia* et *inaequalia*. Sunt aequalia, quando partes contrahentes sibi mutuo paciscuntur res aequales aut saltem aequivalentes. Sunt inaequalia, quando id, quod una pars se praestituram spondet, superexcedit id, quod altera pars se retributuram esse promittit. De aliis foederum divisionibus cf. Liberatore, ius gent. num. 15.

(2) « De *foederum* et *sponsionum* discrimine (ita Grotius, de iure belli et pacis l. II. c. 4.) adiri potest Livius lib. IX., ubi recte nos docet, *foedera* esse, quae fiant iussu summae potestatis (ad hanc enim, ut ex definitione liquet, proprie spectat pangere foedera), et in quibus ipse populus irae divinae obstringitur si minus stetur dictis . . . . ; *sponsio* autem est, ubi hi, qui a potestate summa mandatum eius rei non habent, aliquid promittunt, quod ipsam proprie tangit. »

(3) Vide vol. II. pag. 45.

profecto est ac socialem mortem illi afferre: amissa enim independentia, iam societas civilis non est status, sed pars status alicuius.

Secundo, hoc est cuiusvis status officium, revereri dominia et proprietates aliarum gentium. Id autem efficere debet, non eo dumtaxat modo, quo princeps civilis tenetur dominia civium revereri, sed ea ratione, qua civis debet alterius civis proprietatem revereri. Nam principi in bona civium competit dominium *altum*. Hoc vero altum dominium nulli statui competit in ordine ad alias gentes: omnes enim status, si revera sint tales, sunt sui iuris et ex aequo independentes.

Tertio, unaquaeque gens debet ab iis actibus abstinere, qui alterius gentis tranquillitatem perturbent vel prosperitatem evertant. Tales essent actus confinia alterius gentis ingressu multitudinis armatae violandi: item actus excitandi aut fovendi intestinas in altera gente discordias et rebelliones: necnon actus impediendi, ne altera gens industriis aut commercio det operam, vel alterius gentis amicitia et subsidio perfruatur, vel, ut multa paucis verbis complectamur, ad maius incrementum maioremque perfectionem se licitis mediis promoveat.

Quarto, quilibet status ab iis etiam actibus debet abstinere, qui forent exercitium iurisdictionis in regione non sua. Tales essent actus se immiscendi in politica alterius status administratione, aut impediendi ne princeps alterius status in suorum iurium exercitio sit liber.

Quinto, quilibet status ab aliorum statuum subditis, sive in persona sive in honore sive in rebus, iniuste laedendis debet cavere quam maxime. Sicut enim qui laedit minum, per consequens laedit corpus; ita qui membro status alicuius nocet, per consequens ipsum

statum iniuria afficit. Quod maxime verum est de ipsis summis imperantibus, qui scilicet totum, cui praesunt, statum iuridice in seipsis repraesentant.

Breviter, sicut hominis individui officium est, non nocere alteri homini in bonis ipsius; ita cuiusvis status officium est, non nocere alteri statui in bonis, quae iure possidet ut sua. — « Est triplex, ait s. Thomas (1), hominis bonum, scilicet bonum *animae* et bonum *corporis* et bonum *exteriorum rerum*. Bonum animae, quod est maximum, non potest aliter ab alio tolli, nisi *occasionaliter*, puta per malam persuasionem, quae necessitatem non infert: sed alia duo bona, scilicet corporis et exteriorum rerum (ut sunt divitiae fama etc.), possunt ab alio *violenter* auferri. » — Similiter bona status sunt socialis et publica verae religionis professio, unanimis et indubia omnium civium assensio iis veritatibus quae sunt ordinis socialis fundamentum, generalis seu communis quae in statu vigeat observatio officiorum moralium, ardens qui in subditis sit amor erga legitimos principes et studium constans de bono communi, solers artium scientiarumque cultura: item bona status sunt independentia, integritas tum quoad iura tum quoad membra tum quoad dominia, commercii seu industriae activitas, virtus seu robur exercitus, prosperitas, securitas: item bona status sunt aerarium, divitiae, amicitiae, foedera, honor, fama, gloria. Hoc igitur est cuiusvis gentis erga alias gentes officium, in nullo ex praedictis bonis damnum alteri seu nocumentum afferre. Officia proinde sunt, aliam gentem probri aut dedecoris nota non inurere, eius famae maculas non aspergere, ad errores et vitia nec aperte nec simulate

---

(1) In 2 [illegible] p. [illegible] a. [illegible]

pellicere, multoque magis ab unitate verae religionis non retrahere etc. Scilicet de gente quavis, aeque ac de individuo, valet illud: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

Illud autem liquet, violationes horum officiorum esse non modo offensas, sed etiam iniurias alteri genti illatas, seu veras iniustitias contra alteram gentem perpetratas (1). Non enim de officiis pure moralibus agitur, sed de officiis vere proprieque iuridicis.

THESIS XC.

Non solum officia iuridica, seu iustitiae, sed etiam officia pure moralia, seu humanitatis ac beneficentiae, a naturali lege nationibus, non minus quam individuis, iubentur.

219. Praenotiones. Officia multipliciter dividuntur ac praecipue in *iuridica* et *pure moralia.*

Morale scilicet debitum, quod lex alicui imponit, vel respondet vero ac proprio iuri in altero existenti, vel non. Si respondet, tunc debitum seu officium dicitur iuridicum: si non respondet, appellatur pure morale (2). Ex. gr. debitum restituendi depositum est officium iuridicum: alter enim habet verum ius exigendi

---

(1) Vide super. pag. 15.

(2) Vocabulum *ius* saepe accipitur ut synonimum *iussi* seu *legis.* Hoc sensu posset officium etiam pure morale vocari *iuridicum*, i. e. legitimum seu a lege impositum. — At ius sensu magis proprio accipitur pro potestate legitima aliquid exigendi ut suum. Hoc sensu officium pure morale non dicitur iuridicum. Cf. vol. II. thes. III.

depositum ut suum. At debitum largiendi pauperi eleemosynam est officium pure morale: quamvis enim lex imponat diviti obligationem subveniendi pauperibus, non tamen pauperi confert verum propriumque ius exigendi a divite pecuniam, ut suam.

Iamvero inter officia iuridica et pure moralia hoc discriminis intercedit, quod is, qui prioris generis officia non implet, inferat iniuriam, violet iustitiam: non autem is, qui alterius generis officia non servat. Sic iniustus vocatur, qui tempore debito non restituit depositum: siquidem ita se gerens et offensam domino et iniuriam infert. At dives, qui cum possit stipem dare egeno, eam denegat, *inhumanus* dicitur vel *avarus*, non tamen *iniustus*: pauperem sane *offendit*, non tamen *iniuria* afficit (1): violat quidem legem, non tamen legem iustitiae, sed legem caritatis. Hinc ille, qui officio iuridico adstringitur, potest vi materiali seu physica adigi ad debitum, quo tenetur quodque observare renuat, implendum: ius enim vi pollet coactiva (2). Secus autem dicendum est de eo, qui officio pure morali adstringatur: agitur enim de re *sua* danda, non de re *aliena* reddenda.

Hisce praemissis, inquirendum nobis est, utrum praeter officia iuridica, de quibus iam in praecedente thesi diximus, status habeat etiam officia pure moralia erga alias gentes.

---

(1) Est discrimen inter *iniuriam* et *offensam*. Offensa latius patet quam iniuria. Etenim iniuria est laesio seu violatio iuris. Offensa autem est id, quo aliquis fit rationabiliter alienus et inimicus. Hoc autem contingere potest etiam sine laesione iuris proprie dicti. Si e. g. amico flagitanti commodato equum, quo tu carere facile ad tempus potes, ille vero valde indiget, firmiter denegas; offensam ei infers, non tamen iniuriam, quia nullum eius ius laedis.

(2) Cf. vol. II. thes. VII. de vi iuris coactiva.

220. Demonstratio. Duplici pacto potest thesis haec facile simul atque invicte demonstrari.

I. Quilibet homo debet ex naturae lege amare quemlibet alium hominem, sicut seipsum. Hoc, quod de individuis hominibus verum est; a pari, immo a fortiori verum erit de integris nationibus. His enim homo continetur, magis auctus: non modo ratione multitudinis verum etiam ratione conditionis nobilioris et naturae magis excultae (1).

II. Et sane, quonam in titulo fundatur, seu undenam in homine individuo exsurgit officium amandi alios sicut seipsum? Exsurgit tandem ex aequalitate seu communicatione eiusdem naturae (2). Atqui naturalis unitas seu aequalitas, quemadmodum est in quolibet homine, sic etiam est in quocumque statu. — Omnes status habent eamdem naturam. Hanc ergo, sicut una natio in pretio habet et amat in seipsa, ita in pretio habeat et amet in aliis, in quibus scilicet aeque ac in ipsa inest. — Vult una gens, quod alii status recognoscant ipsius dignitatem, eamque amore prosequantur. Recte quidem. Sed hoc, quod ipsa vult ab aliis statibus, ii quoque volunt ab ipsa. Nec iam id volunt minus rationabiliter, sed aeque rationabiliter ac vult ipsa: siquidem naturae dignitas est tandem in ipsa et in aliis statibus aequalis. Ergo ipsa quoque naturae dignitatem in aliis statibus recognoscat et amet.

Dices: hoc mutui amoris debitum sufficienter impleri, si quaevis gens abstineat a laedendo quovis alio statu in bonis ipsius propriis. — Nego. Nam mutui

(1) Cf. Liberatore, ius internat. num 5.
(2) Cf. vol. II. thes. XXXIV.

amoris praeceptum est hoc: dilige alios, sicut teipsum, i. e. te geras erga alios, sicut exoptas alios se gerere erga te. Atqui quaevis natio iuste ac rationabiliter exoptat, non solum ut aliae gentes eam non laedant in suis bonis, sed etiam ut ei praesto sint in suis aerumnis. Ergo quaevis natio debet non solum non laedere alias gentes in earum bonis, sed etiam alias in earum indigentiis adiuvare. — Quamobrem naturale illud principium, *status quilibet diligat alios sicut seipsum*, duplex continet praeceptum, alterum *negativum* obligans semper et pro semper, alterum *affirmativum* obligans quidem semper, sed non pro semper, verum in debitis adiunctis (1). Primum prohibet, ne ullus status ea mala, quae sibi inferri ab aliis non vult, aliis inferat: « quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias » (2). Secundum praecipit, ut quivis status ea bona, quae sibi afferri ab aliis vult, aliis praebeat: « omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis » (3). Primum exhibet officia *iuridica*, de quibus satis fuse diximus in thesi praecedente. Secundum continet officia *pure moralia*. Quorum alia sunt officia *humanitatis* vel innoxiae utilitatis, « iis utilia qui accipiunt, dandi non molesta (4), » alia sunt officia *beneficentiae*, quae videlicet non sine aliquo incommodo aut molestia aliqua praestari possunt.

Vix opus est ut moneamus, non dici, dilige alios *quantum* teipsum, i. e. eadem affectus intensitate: si enim status quivis est cum ceteris natura aequalis, secum

---

(1) Cf. vol. I. pag. 289. et vol. II. pag. 241.

(2) Tob. IV. 16.

(3) Matth. VII. 12.

(4) Cf. Tullium, de off. I. 16.

ipso est unum idemque. Dicitur, dilige alios *sicut* teipsum, i. e. simili dilectione: idque tum quantum ad finem, tum quantum ad formam, tum quantum ad effectum amoris (1). Haec animadversio tum de individuo tum de statu valet: sed si de statu sermo sit, per se valet adhuc magis, quam si de individuo agatur: ut patet ex iis, quae sub finem thesis LXXXVIII. diximus.

In praxi seu in casibus particularibus. haec sunt praecipue animadvertenda. — α) Haec, de qua agimus, obligatio ex caritate non viget, nisi erga illos status qui sunt *vere* indigentes, qui scilicet nequeunt sibi succurrere. — β) Quum autem aliquis status vere indiget alieno auxilio, seu vere est in necessitate constitutus, tunc alia gens vel potest ei subvenire absque proprio incommodo seu rerum suarum detrimento. vel non. Si 1.^m^ tenetur ei subvenire, ut patet. Si 2.^m^ duo debent perpendi: i. e. ex una parte. qualitas et gravitas incommodi aut detrimenti in alterius favorem subeundi, ex alia vero parte, qualitas et gradus necessitatis, in qua gens altera reperitur. Ex horum aliorumque attenta consideratione casus, de quo agitur. est solvendus: utrum obligatio ex caritate in eo casu urgeat, necne. — γ) Si plures status in aequali versentur necessitate, nec possit una gens omnibus subvenire, *ordo debitus* servandus est. Iis e. g. statibus, a quibus nihil boni acceptum est, praeferri debent amici et benefactores: indignis praeferri debent digni etc. — δ) In casu extremae vel quasi extremae necessitatis, ea valent, proportione servata, quae de hominibus singularibus traduntur in Iure individuali.

---

(1) Cf. vol. II. thes, XXXIV. pag. 356.

Ex his igitur principiis seu criteriis debet solvi casus seu iudicium ferri, utrum et qualis seu quanta obligatio urgeat. Hoc autem ferre iudicium pertinet ad illam ipsam nationem, a qua auxilium postulatur, non autem ad gentem illam, quae ope indiget, aut ad alios status. Etenim iudicare de officiis, quibus aliquis tenetur, (nisi de iustitia evidenter agatur), spectat ad personam, quae illis adstringitur, non autem ad alios, qui nulla in eam praediti sunt auctoritate. Iamvero una natio non pollet auctoritate in aliam nationem: omnes enim status sunt aequales inter se et mutuo independentes (1).

THESIS XCI.

Quando igitur una gens iniuste impetitur ab alia, ius habet ipsa postulandi auxilium, nec potest ulla natio impedire quominus illud auxilium praebeatur.

221. Demonstratio. Hanc thesim addimus, ut impugnemus funestum illud principium, quod vocant *de non-interventu*. Hoc principium opponitur naturali officio, quod nationes inter se adstringit, mutui amoris. Hinc iure ac merito damnatum est pontificio oraculo hisce verbis (2): « Abstinere non possumus, quin, praeter alia, deploremus funestum ac perniciosum principium, quod vocant *de non-interventu*, a quibusdam gu-

(1) Plura alia, quae in thesi mox citata addidimus, pro hac etiam thesi valent. Ea scilicet, quae de officiis inter individuos homines ibi diximus, applicanda sunt cum debita proportione officiis inter diversos status.

(2) Ex allocut. Pii IX. habita die 28 Sept. 1860.

berniis haud ita pridem, ceteris tolerantibus, proclamatum et adhibitum, etiam cum de iniusta alicuius gubernii contra aliud aggressione agatur; ita ut quaedam veluti impunitas ac licentia impetendi ac diripiendi aliena iura, propietates ac ditiones ipsas, contra divinas humanasque leges, sanciri videatur. » Quae damnatio falsi illius ac perniciosi principii postmodum inserta est in Syllabo sub num. LXII.: « Proclamandum est et observandum principium, quod vocant *de non-interventu.* » — Hanc porro thesim duobus argumentis probamus.

I. Unaquaeque natio habet ius sui conservandi; ac proinde ius etiam habet adhibendi media illa omnia, quae ad sui conservationem necessaria sunt vel utilia, dummodo per ea non violentur iura certa ullius gentis. Atqui implorare alterius nationis auxilium ad repellendam iniustam aggressionem, nullius gentis iura certa violat: est autem medium ad propriam conservationem saepe quidem necessarium, semper autem utile. Ergo gens, quae iniuste impetatur ab alia, ius habet implorandi auxilium alterius nationis: haec altera vero ius habet atque officium praebendi, si possit, auxilium. Hoc sane officium non est iuridicum: ad ipsam enim nationem, cuius auxilium petitur, spectat iudicare, num auxilium praestare valeat necne. Sed quamvis non sit iuridicum, est tamen verum officium. Si qua igitur gens impediret, quominus auxilium aut postuletur aut praestetur, iniuriam perpetraret. Laederet enim iura tum nationis petentis auxilium, tum nationis volentis auxilium praestare: prioris quidem, quia eam privat medio utili aut etiam necessario ad sui conservationem; alterius vero, quia ei impedit sui iuris exercitium, suique officii impletionem.

II. Et sane quemadmodum individua, ita etiam

gentes tenentur mutuo amore se prosequi. Ex eo, quod homo alios homines amare debeat sicut seipsum, sequitur naturalis obligatio subveniendi proximo in *gravi*, multoque magis in *extrema* necessitate constituto, etiam cum proprio incommodo: secus enim non intelligeretur, quo rediret naturale illud officium amandi alios, sicut se (1). Eodem igitur pacto, ex eo, quod quaevis gens alias gentes amare debeat sicut seipsam, sequitur obligatio naturalis succurrendi alii nationi in vitae seu conservationis discrimine ob alterius gentis nequitiam constitutae, dummodo auxilium hoc rationabiliter invitis non obtrudatur, neque officiis, quibus natio erga seipsam adstringitur, opponatur. Impedire, ne auxilium hoc praebeatur, foret iniquitas et iniustitia. « Qui, ait s. Ambrosius (2), non repellit iniuriam a socio, cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit: » a fortiori, qui non modo non vult ipse repellere a socio iniuriam, sed etiam non vult alios iniuriam ab eo propulsare, seu impedit ne alii, qui opem ferre possent ac vellent, ei auxilientur.

222. SCHOLION. Circa quaestionem hanc de *interventione*, plura ob oculos haberi debent principia, quorum aliqua tantummodo perpaucis enuntiabimus (3).

I. *Natio, quae auxilium praebet, non habet neque exercet auctoritatem in nationem, cui opitulatur.* — Praedictum enim auxilium non est nisi officium benevolentiae et humanitatis.

II. *Non licet vi et armis intervenire negotiis alterius nationis, nisi legitima illius nationis auctoritas talem in-*

---

(1) Vide vol. II. pag. 350.: cf. etiam pag. 87. eiusdem vol. II.

(2) De off. I. 36. in princ.

(3) De his cf. Iouin, elem. phil. mor., circa fin.

terventionem postulaverit. — Nationes enim sunt ad invicem independentes.

III. *Quando natio aliqua in plenam omnino anarchiam lapsa sit, licet nationibus intervenire ad ordinis restaurationem.* — Etenim licitum est, velle et procurare bonum verum alterius nationis, quod ad eius existentiam necessarium est, et quod sibi ipsa comparare non potest. Attamen natio interveniens non habet ius leges suas imponendi nationi, cui auxilium praebet, multoque minus huius libertatem et independentiam auferendi.

IV. *Quando Reges Catholici armis defendunt fideles, qui in aliis nationibus iniuriam adversus Fidem patiuntur, id fit iure.* — Fit autem iure, non quia Regibus insit ius ferendi *auctoritative* auxilium subditis alterius nationis, qui de malis et oppressione conquerantur (hoc enim ius ipsis non inest); sed quia fideles omnes ubique terrarum sunt membra alterius societatis etiam perfectae et independentis, nempe Ecclesiae Catholicae, quae religio est unice vera ac divina, atque ideo defendi possunt ab aliis Principibus fidelibus atque independentibus (1).

---

(1) Cf. Taparelli, saggio teor. dissert. VII, cap. II, art. 5: « La monarchia cattolica ha il diritto di proteggere i Cristiani anche fra nazioni straniere, quando queste ne vogliono abbattere la fede, ed ha tal diritto, non già solo perchè la Fede Cattolica è ragionevole, ma inoltre perchè tutti i Cristiani sono membri di quella società, a cui appartengono tutte le nazioni Cristiane, e contro cui guerreggia chiunque tenta abbatterne la Fede, principio essenziale di sua esistenza. » Lege integrum articulum, in quo haec quaestio ab Auctore praeclare, ut solet, tractatur.

THESIS XCII.

I. *Gentes naturali adstringuntur officio, mutua inter se commercia exercendi.* II. *Huiusmodi autem officium, per se loquendo, non est iuridicum, sed pure morale.* III. *Si quis tamen status facultatem commercii apud aliquem populum exercendi sibi dumtaxat vindicet, exclusis aliis; is sane, nisi forte speciali gaudeat privilegio ex peculiari cum eo populo contractu perspicue resultante, aliarum gentium iura laedere dicendus est.*

223. Demonstratio. I. Negari nequit id, quod in priori huius theseos parte affirmatur, gentes naturali adstringi officio, mutua inter se commercia exercendi. Id duplici potissimum argumento ostendi potest.

α) Arguere *primo* possumus ex naturali, quo gens quaevis ligatur, officio benefaciendi aliis gentibus. Hoc autem benevolentiae officium, tum aliis modis, tum facile ac naturaliter implebit emendo, vendendo, aut permutando res necessarias vel utiles: in qua mercium permutatione consistunt commercia.

β) Arguere *secundo* possumus ex naturali, qua gens quaevis tenetur, officio sibi suaeque utilitati prospiciendi. Nulla enim est natio, quae omnia, quibus vita indiget, apud se plene habeat. Hinc illud Virgilii (1): « Nec vero terrae ferre omnes omnia possunt. » Artibus etiam aliis aliae gentes excellunt. Hinc rursus idem poeta (2): « Excudent alii spirantia mollius aera etc. »

(1) Georg. II. 109. Lege versus sequentes, qui pulcherrimi sunt.
(2) Aen. VI. 847.

— Ubi illud animadverti debet, commercium non solummodo materialibus incrementis, sed culturae etiam morali favere, saltem indirecte. Ut enim apte disserit Liberatore (1), « valde intellectum amplificat propter varietatem et copiam obiectorum, quae respicit: propter distantium locorum inspectionem, ad quae terra marique homines, mercium permutandarum gratia, adducit: ut nova media excogitentur, quibus mercatura latius exerceatur: propter mutuam communicationem ingeniorum quam inducit, et contactum morum oppositorum, ex quo mutuum temperamentum et maior explicatio virium efflorescit. » — Debitis tamen cum cautelis commercia sunt exercenda, ut vera utilitas, non autem nocumentum seu damnum sequatur (2).

II. Nec minori evidentia fulget id, quod in altera huius theseos parte asseritur, nimirum, hoc, de quo agitur, officium non esse iuridicum, sed pure morale. Est enim officium, quod non respondet vero iuri, quo aliae nationes polleant: siquidem non iam agitur de re *aliena* reddenda, sed de danda aut permutanda re *sua*. Est officium, cuius observatio nequit, vi physica adhibita, exigi: siquidem ad eam ipsam gentem, quae tali officio adstringitur, pertinet iudicare, utrum et quos intra limites, officium urgeat, et quibus cum cautelis sit exsequendum.

Haec valent, per se loquendo. Nam huiusmodi officium, sicut alia etiam similia, potest ex pure morali in iuridicum migrare, vel propter extremam vel quasi extremam alterius necessitatem, vel propter speciales

(1) Ius internat. num. 9.
(2) Cf. Liberatore, loc. nunc cit. num. 11.

contractus aut pacta, quae scilicet nationes, non minus ac individua, severa iustitiae ratione ligant.

III. Illud etiam liquet, quod in tertia huius theseos parte statuitur. Manifestum enim est gentem quamvis habere ius exercendi commercium cum quocumque alio populo, qui suas merces cum ipsa permutare consentiat. Quare si quis status impediret, ne natio aliqua commercium cum alio populo, qui cum illa velit negotiari, exerceat; is esset non solummodo inhumanus, sed vere ac proprie iniustus. Excipi potest: nisi ex speciali concessione seu pacto status ille ius habeat sibi dumtaxat vindicandi commercium cum illo populo, aliis nationibus exclusis.

« Iniquum est, ait Grotius (1), volentes aliquos a volentium populorum commercio secludi, illorum opera, quorum in potestate nec populi isti sunt, nec illud ipsum, qua iter est: nam latrones etiam et piratas non alio magis nomine detestamur, quam quod illi hominum inter se commeatus obsident atque infestant. »

---

(1) Dissert. pr. de mari libero, ab init. Et paulo ante: « Hoc igitur qui tollunt (nempe commercium), illam laudatissimam tollunt humani generis societatem, tollunt mutuas benefaciendi occasiones, naturam denique ipsam violant. Nam et ille, quem Deus terris circumfudit, oceanus, undique et undique versus navigabilis, et ventorum flati aut extraordinarii flatus, non ab eadem semper, et a nulla non aliquando regione spirantes, nonne significant satis concessum a natura cunctis gentibus ad cunctas aditum? Hoc Seneca summum naturae beneficiam putat, quod et vento gentes locis dissipatas miscuit, et sua omnia in regiones ita descripsit, ut necessarium mortalibus esset inter ipsos commercium etc. »

§. III. *De iurium violationibus impediendis aut vindicandis.*

THESIS XCIII.

I. *Bellum, sive defensivum, sive etiam offensivum, non est ex se pravum et illicitum.* II. *Ut autem honeste fiat, plures requiruntur conditiones, praesertim vero auctoritas legitima, causa iusta, finis rectus, modus conveniens.*

224. Praenotiones. *Primo*, distinguatur inter *bellum, rebellionem, seditionem, rixam, duellum* (1). Pugna exterior, quae exteriori paci opponitur, tunc proprie dicitur *bellum*, quando est inter duos principes vel duas respublicas. Quando vero est inter rempublicam et suum principem, vel inter cives et rempublicam, dicitur *rebellio* aut *seditio*: dicitur autem *rixa* vel *duellum*, quando est inter privatas personas.

Secundo, distinguatur inter bellum *defensivum* et bellum *offensivum*. Est *defensivum*, quando vis infertur ad iniuriam, quam inimica vis infert, propulsandam (2).

---

(1) De rebellione diximus super. thes. LXVII. - De duello egimus vol. II. thes. XXIII.

(2) Quando iniuria est *in fieri*, bellum est *defensivum*. « Existimatur autem iniuria esse *in fieri*, quando vel revera ipsa actio iniuriosa est *in fieri*, physice etiam loquendo, ut quando homo non est omnino deiectus a possessionis suae iure, vel deiectus quidem est, tamen in continenti, id est sine notabili mora, procurat se tueri ac restituere. Cuius ratio est, quia quando aliquis est moraliter in actuali resistentia, et conatur, quoad potest, suum ius tueri, non censetur simpliciter passus iniuriam, nec deiectus a sua possessione. » Ita Suarez, de Carit. disp. XIII. sect. 1.

Est *offensivum*, quando vis infertur ad iniuriam iam illatam vindicandam et reparandam (1).

225. Demonstratio. I. Spectemus 1.°) bellum *defensivum*. — Vim vi repellere cunctis etiam privatis concessum est, dummodo fiat cum moderamine inculpatae tutelae. Ergo respublica iure potest vim ab altera republica illatam vi repellere. At hoc nihil est aliud, quam bellum defensivum gerere. Ergo respublica iure potest bellum defensivum gerere contra aliam rempublicam (2).

Immo non solum potest, sed etiam interdum debet. — Nam suprema reipublicae auctoritas, atque ipsa respublica naturali adstringitur officio seipsam conservandi ac tuendi iura civium. Atqui interdum nequit ea praestare alio modo, quam vim ab altera republica illatam vi repellendo, quod est bellum defensivum gerere. Ergo interdum debet bellum defensivum contra aliam rempublicam gerere (3).

Spectemus 2.°) bellum *offensivum*. — Hoc quoque non est per se malum, sed potest esse honestum. Patet inprimis ex communi omnium gentium consensu. Etenim semper et ubique gentes admiserunt, licitum esse

(1) In hoc modo distinctionem hanc explicandi coniungitur sensus *moralis* cum *strategico*. — « Notandum est, ut ibidem ait Suarez, an iniuria sit *in fieri* moraliter, an *facta iam sit*, et per bellum satisfactio intendatur. Quando se habet hoc secundo modo, bellum est *aggressivum*; primo modo habet rationem *defensionis*, dummodo fiat cum moderamine inculpatae tutelae. »

(2) « Ratio est, ut ibid. ait Suarez, quia ius propriae defensionis est naturale et necessarium. »

(3) Ridiculum est, ut notat Suarez loc. cit., quod aiebat Lutherus, non licere resistere castigationi Dei. Etenim Deus non vult has iurium violationes seu iniurias, sed permittit. Unde non prohibet, quin iuste possint propulsari.

reipublicae illatas ab altera republica iniurias armis vindicare.

Et sane ius naturae postulat, ut iniuria, quae supremo principi aut reipublicae illata est ab altero principe aut republica, non minus vindicari et reparari possit, quam iniuria, quae privatae personae illata est ab altera privata persona. Atqui quandoque reparari et vindicari non potest, nisi vi armorum: cum nempe qui iniuriam intulit nec sponte nec rogatus vult satisfactionem dare. Ergo bellum etiam offensivum quandoque est licitum (1). Ubi animadvertas discrimen, quod hac in re intercedit inter privatos eosque omnes, qui superiorem habent, et nationem seu principes supremos. Ut ait Bellarminus (2), « privati homines et qui superiorem habent, si ab aliquo iniurias recipiant, possunt ad superiorem confugere, atque ab eo iudicium petere. At principes, si ab aliis principibus aliquid patiantur, non habent commune aliquod tribunal, ad quod illos accusent, et ideo licet eis bello iniurias publicas propulsare » (3).

---

(1) « Ratio est, inquit Suarez ibid., quia tale bellum saepe est reipublicae necessarium ad propulsandas iniurias et ad coercendos hostes, neque aliter possent respublicae in pace conservari. Est ergo hoc iure naturae licitum, atque adeo etiam lege evangelica, quae in nulla re derogat iuri naturali, neque habet nova praecepta divina, praeterquam fidei et sacramentorum. »

(2) De Laicis l. III. c. 15.

(3) Cf. duo principia, quae de *iniuriae vindicta* statui solent. I. *Vindicta licita est, si poena sit illatae iniuriae proportionata, et ulciscentis animus non malum peccantis, sed bonum, quod per poenam ei illatam obtinetur, tamquam finem intendat.* II. *Magno hominum bono vindictae exercendae potestas in statu civili supremo imperanti reservata est.* De his cf. s. Thomam, 2. 2. q. 107., ubi de *vindicatione* agit. — Cf. super. vol. II. thes. VII., ubi de *vi iuris coactiva* diximus.

II. Licet bellum per se non sit malum, tamen ex iis negotiis est, quae saepe male fiunt. — Videndum igitur est, *quot sint et quae sint iusti belli conditiones.* Enumerantur autem quatuor: *auctoritas legitima, causa iusta, intentio recta, modus conveniens.* Pauca de singulis.

1.°) Auctoritas legitima. Distingue inter bellum *defensivum* et *offensivum.* Nam si de bello *defensivo* sermo sit, defendere se unicuique licet, non solum principi supremo, sed principi quoque subordinato, ipsisque etiam privatis.

At si sermo sit de bello *offensivo*, solus princeps supremus, qui superiorem in temporalibus non habet, gaudet iure indicendi belli offensivi. Principes dependentes se habent hac in re quemadmodum privati, nempe, ad illatam iniuriam vindicandam debent ad superiorem potestatem, a qua dependent, recurrere, et nonnisi ex eius venia seu consensu bellum offensivum gerere. Huc faciunt illa s. Augustini (1) verba: « Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principem sit, exequendi autem iussa bellica ministerium milites debeant paci, salutique communi. »

2.°) Causa iusta. Etenim, non quidem sine ulla causa, aut cum causa dubia vel levi, sed tantummodo ex *causa* tum *certa* tum *magna*, potest a principe supremo bellum *offensivum* (ut de hoc praesertim agamus) indici.

Haec autem causa est, non quodcumque peccatum, quod civitas aliqua commiserit, sed *iniuria,* quam intu-

(1) Lib. 22. contra Faustum cap. 75.

lerit (1). Cuius rei, ut Bellarminus (2) ait, « ratio est, quia princeps non est iudex, nisi hominum sibi subditorum. Ergo non potest quaecumque peccata aliorum hominum punire, sed solum ea, quae cedunt in detrimentum populi sibi subiecti. Nam etsi non est iudex ordinarius aliorum, est tamen defensor suorum, et ratione huius necessitatis efficitur etiam quodammodo iudex eorum, qui suis iniuriam fecerunt; ita ut possit eos gladio punire. » Oportet autem, ut iniuria sit *certa* (3): bellum enim est actus iustitiae punitivae, iniustum vero est punire aliquem causa nondum probata. Insuper oportet, ut iniuria sit *gravis*: ne adsit improportio inter culpam et poenam, atque plus incommodi bellum afferat, quam sit utilitas, quae inde speratur.

3.°) Intentio recta. Ut s. Augustinus (4) ait: « Non pax quaeritur, ut bellum geratur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur. » Bellum itaque suscipi et geri debet,

---

(1) S. Augustinus, quaest. 10. in Iosue, haec habet: « Iusta bella definiri solent, quae ulciscuntur iniurias, si qua gens vel civitas, quae bello petenda est, vel vindicare neglexit, quod a suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est. »

(2) De Laicis l. III. cap. XV.

(3) Quaeri hic potest, utrum quando causa est dubia, possit miles bellare. Hac de re aliquid diximus superius vol. 1. num. 416. seqq. « Vir iustus, ait s. Augustinus l. 22. contra Faustum cap. 75., si forte sub rege sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, civicae pacis ordinem servans, cui quod iubetur vel non esse contra Dei praeceptum, certum est, vel utrum sit, certum non est, ita ut fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. » Adverte, sermonem proprie esse de militibus, qui sunt obligati ad militiam.

(4) In epist. ad Bonifacium comitem, quae est 207., alias 5.ª

non ut nocumentum alteri inferatur, neque ut imperium dilatetur, neque ut fortitudo bellica exerceatur, aliisve huiusmodi de causis, sed propter commune bonum, ut ordo restituatur, ut pax et securitas acquiratur.

Haec autem est differentia inter hanc tertiam conditionem et duas praecedentes, quod illae si desint, bellum erit *iniustum*, haec vero si desit, bellum erit *malum*, sed non proprie *iniustum* (1).

4.°) Modus debitus. Hic, auctore Bellarmino, in eo praecipue consistit, ut nulli innocènti noceatur. Hinc e. g. pueri, senes, mulieres etc. occidi iuste non possunt, nisi casu seu per accidens interficiantur: ut cum miles iaculatur in cuneum hostium, et forte occidit puerum aut mulierem.

Itaque post inchoatum bellum toto tempore ante partam victoriam, iustum est inferre hostibus omnia damna, quae vel ad satisfactionem, vel ad comparandam victoriam necessaria videbuntur, dummodo non contineant innocentum iniuriam intrinsece malam. Post partam vero victoriam licitum est principi ea damna inferre reipublicae victae, quae necessaria sint ad iustam vindictam et satisfactionem, omniumque damnorum reparationem, atque ad securitatem ab iniuriis habendam.

Obiicies contra hanc thesim: Bellum opponitur paci. Sed pax est bona et effectus caritatis. Ergo bellum est

---

(1) Videlicet peccatum erit contra *caritatem*, non proprie contra *iustitiam*. — Simili modo solvi potest quaestio, utrum ille, qui habet iustam causam, teneatur acceptare satisfactionem.« Salvo meliori iudicio, ait Bellarminus, loc. cit., dicendum videtur, quod *ex iustitia* numquam tenetur, qui habet iustam causam, acceptare satisfactionem, nec ante bellum inchoatum, nec postea: tamen *ex caritate* utroque tempore tenetur, nisi per accidens aliud expediat etc. »

malum. — Respondeo: Bellum sic paci opponitur, ut sit etiam medium ad pacem. Hoc autem interest inter bellum *iustum* et *iniustum*, quod bellum iniustum opponitur paci bonae et ducit ad pacem malam, atque ideo tale bellum vitiosum est: at bellum iustum opponitur paci malae et ducit ad pacem bonam, atque idcirco tale bellum bonum est. Simili modo vulnera Chirurgi sunt contraria sanitati malae et imperfectae, quam habent aegroti, sed ad bonam et perfectam sanitatem tamquam ad finem conducunt (1).

Effatum illud, *non posse dari bellum ex utraque parte iustum,* intellige hoc pacto: nisi per accidens ob aliquam ignorantiam invincibilem utrimque iustum putetur. Hoc in militibus, ad quos in dubio proprie non spectat causam definire, saepe contingere potest (2).

226. Scholion I. Ex his, quae dicta sunt, colligimus cum Iouin (3) iniustitiam plurium causarum, ob quas haudraro bella suscipiuntur.

I. Nimium incrementum potentiae alicuius nationis non potest esse belli causa legitima. Etenim unaquaeque natio mediis licitis uti potest, ut in dies magis magisque augeatur tum eius prosperitas, tum numerus civium, tum etiam ipsius ditio. Talia media sunt diligens artium cultura, multiplex commercium, regiae nuptiae prudenter initae, aut victoriae iuste relatae. Quod autem una natio legitime facere potest, altera impedire nequit, quia nationes sunt ad invicem independentes. Praeterea, in-

---

(1) Cf. Bellarminum, de Laic. l. III. c. 14.

(2) Cf. Becanum, de virtut. theol. cap. XXV. q. 7., ubi duo statuit: I. Bellum ex utraque parre potest esse iustum *formaliter tantum*. II. Bellum non potest ex utraque parte esse *materialiter* iustum.

(3) Phil mor., de iure internat. vers. fin.

crementum potentiae nationis, quantumvis magnum et subitum, nulli iniuriam per se importat, neque alterius nationis ordinem socialem perturbat. Ergo bellum susceptum, ut potentia alterius nationis imminuatur, non esset defensio aut instauratio ordinis socialis. Neque timor aut suspicio, quam nationes imbecilliores conciperent, ne a potentioribus opprimerentur, sufficiens est ad bellum cohonestandum. Nam, etsi passim potentiores nationes opprimant imbecilliores, id neque necessario neque semper fit; suntque alia media in promptu, quibus tale periculum praecaveri possit, nempe prudens agendi ratio atque foedera amicitiae cum aliis gentibus inita. Si timor damni futuri atque incerti causa esset belli legitima, nullus bellorum haberetur finis, omnesque iniustitiae cohonestari facili ratione possent. Si vero natio aliqua praepotens vi et armis absque ulla iustitia ditiones suas ampliare niteretur, nullum est dubium, quin aliis nationibus liceret talem nationem reprimere; quia ipsius agendi ratio veram perniciem aliis nationibus minitaretur.

II. Æquilibrii perturbatio inter nationes, in se spectata, non est iusta causa belli. Æquilibrium tunc dicitur subsistere inter nationes, quum earum vires ita sunt divisae, ut altera alterius impetum satis sustinere valeat. Ubi autem nationum aliqua fortior et ditior prae aliis fit, earum aequilibrium turbatur. Haec assertio iisdem rationibus probatur, quibus praecedens confirmata fuit. Dixi *in se spectata*: si enim fiat aequilibrii perturbatio per fraudem, praepotentiam, aut contra pacta cum aliis nationibus inita, clarum est licere nationibus aliis exigere, ut aequilibrium restituatur: et si hoc non fiat, per bellum cogere nationem delinquentem ut iniurias illatas reparet.

III. Ratio status non est causa belli legitima. Nam ea nihil aliud significat nisi, utile esse bellum nationi vel ad agendum commercium, vel ad ditionem ampliandam, etc. Atqui mera utilitas non sufficit, ut bellum iustum sit. Utilitas enim non est iustitiae norma et mensura, sed e converso iustitia norma debet esse utilitatis. Si sola utilitas ut iusta causa belli haberetur, nulla amplius pax inter nationes constare valeret; omniaque latrocinia iustitiae nomine cohonestari possent. Multo minus potest amor gloriae esse iusta causa belli. Nam tale bellum nullo modo ob defensionem ordinis socialis susciperetur.

227. Scholion II. Quaeres tandem, utrum in bello licitum sit uti insidiis. — Cui quaestioni en brevis et clara s. Thomae responsio (1).

Insidiae ordinantur ad fallendum hostes. Dupliciter autem aliquis potest falli ex facto vel dicto alterius. — Uno modo ex eo quod ei dicitur falsum, vel non servatur promissum: et istud est semper illicitum. Et hoc modo nullus debet hostes fallere: sunt enim quaedam iura bellorum et foedera etiam inter ipsos hostes servanda, ut s. Ambrosius dicit (2). — Alio modo aliquis potest falli ex dicto vel facto nostro, quia ei propositum aut intellectum non aperimus. Hoc autem semper facere non tenemur: quia etiam in doctrina sacra multa sunt occultanda, maxime infidelibus, ne irrideant, secundum illud Matth. VII. *nolite sanctum dare canibus*. Unde multo magis ea, quae ad impugnandum inimicos paramus, sunt eis occultanda. Unde inter cetera docu-

(1) In 2. 2. q. 40. a. 3.
(2) De off. I. 29.

menta rei militaris hoc praecipue ponitur, de occultandis consiliis, ne ad hostes perveniant. Nec proprie huiusmodi insidiae vocantur fraudes, nec iustitiae repugnant, nec ordinatae voluntati. Esset enim inordinata voluntas, si quis vellet, nihil sibi ab aliis occultari (1).

Articulus VI.

De habitudine seu relatione Status ad Ecclesiam.

228. Divina institutio Ecclesiae demonstratur in tractatu de vera Religione, qui in scholis tum Theologiae Dogmaticae, tum etiam Philosophiae Religionis traditur. Non eam igitur assumimus demonstrandam, sed ut demonstratam admittimus.

229. Hoc autem inquirimus: quidnam, admissa divina Ecclesiae institutione, de habitudine seu relatione Status ad Ecclesiam ex principiis iuris naturae iudicandum sit. Haec scilicet inquirimus: Status estne inferior Ecclesia, an vero aequalis ei est aut etiam ea superior? Estne ei subordinatus, an vero est ab ea independens? Et si est subordinatus, in quo haec subordinatio seu dependentia consistit? En quaestiones ex principiis iuris naturalis in hoc articulo solvendae.

230. Verum, antequam has quaestiones solvamus, iuverit pauca ex iis, quae de Ecclesia traduntur in tractatu de vera Religione, quaeque a nobis ut diximus tamquam demonstrata admittuntur, recolere.

---

(1) Cf. quae in thesi de mendacio diximus vol. II. pag. 341. seqq.

231. Ac primo, *quid est Ecclesia?* Definitur a Bellarmino (1): coetus hominum eiusdem Christianae fidei professione et eorumdem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac praecipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis. — Ex hac definitione facile colligi potest, qui homines ad Ecclesiam pertineant, qui vero ad eam non pertineant. Tres enim sunt partes huius definitionis: *professio verae fidei, sacramentorum communio, subiectio ad legitimum pastorem Romanum Pontificem.* Ratione primae partis, excluduntur omnes infideles, tam qui numquam fuerunt in Ecclesia, ut Iudaei, Turcae, Pagani, tam qui fuerunt et recesserunt, ut haeretici et apostatae. Ratione secundae, excluduntur catechumeni et excommunicati, quoniam illi non sunt admissi ad sacramentorum communionem, isti sunt dimissi. Ratione tertiae, excluduntur schismatici, qui habent fidem et sacramenta, sed non subduntur legitimo pastori, et ideo foris profitentur fidem et sacramenta percipiunt. Includuntur autem omnes alii, etiamsi reprobi, scelesti et impii sint.

232. Secundo, *quinam est Ecclesiae finis?* Apte huic quaestioni sic respondet Liberatore (2): « Cum religio non sit nisi ligamen quoddam morale inter Deum et homines; natura sua nihil aliud praestitutum habet quam *divinum cultum hominis* et *felicitatem,* non *terrenam,*

---

(1) De Eccl. milit. l. III. c. 2. — In cap. 1., « Ecclesiae nomen, ait, est graecum, deduciturque a verbo ἐκκαλέω, quod est *evoco.* Itaque Ecclesia est *evocatio.* Dicitur autem populus Dei coetus vocatorum, quia nemo ad hunc populum se adiungit per se, et suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniunt, a Dei vocatione praeveniuntur. »

(2) Ius soc., num. 118.

sed *coelestem*. Tota enim quanta est in relationibus versatur quae nos inter et Deum intercedunt; ac si res alias aut cetera vitae huius negotia respicit, id tantum respicit, in quantum ad finem illum aliqua ratione referuntur aut referri a nobis possunt. Is igitur scopus est societatis religiosae, *etiamsi intra naturae cancellos consideretur*. Id etiam scopum constituit religionis *revelatae* in Ecclesia a Christo instituta. Hoc tantum discrimen est, quod in hac finis ad altiorem ordinem nempe *gratiae*, evectus sit, et cultum atque obsequium Deo praestandum respiciat actibus et ritibus a Deo definitis; tum hominem in felicitatem alterius vitae non qualemcumque aut quibusque mediis promoveat, sed in felicitatem *supernaturalem* (1), quae visione intuitiva Dei continetur, ac mediis huic altissimo fini consentaneis. » Paucis, finis, ob quem Christus instituit Ecclesiam, est hic: ut in ea et per eam homines sanctitatem ac salutem i. e. beatitudinem supernaturalem assequantur. Finis hic salutis aeternae obtinendae est finis *proprius* Ecclesiae Christi. Quamvis enim ceterae societates omnes, si honestae sint et legitimae, debeant aliquo modo intendere salutem aeternam: hic tamen finis non est pro ipsis nisi *generalis* et *remotus*, dum pro Ecclesia Christi est *proprius* et *immediatus*. Eae igitur, ut postea melius videbimus, indigent Ecclesia ad illum finem remotum obtinendum, ut recte procedant in prosecutione finis proprii et immediati (2).

(1) Vide quae de felicitati *naturali* et *supernaturali* diximus vol. I. cap. I. art. 2., praesertim pag. 72.

(2) Vide super. thes. LVII. Cf. Card. Mazzella. de Eccl. disp. III. art. V. num. 485.

233. Tertio, *qualis est Ecclesia?* Ex permultis eius attributis aliqua tantummodo enumerabimus: ea seligemus, quae in quaestione, in qua versamur, usui nobis erunt.

α) Ecclesia est *vera societas*. — Etenim, ut ex eius definitione liquet, est coetus hominum, qui sub communi auctoritate communibus legibus communibusque mediis ad communem finem contendunt.

β) Est autem societas *spiritualis* atque *supernaturalis*. — Hoc competere Ecclesiae, patet, si consideretur, quinam sit proprius eius finis, est, ut diximus, sanctitatis et salutis i. e. beatitudinis supernaturalis consecutio.

γ) Neque idcirco societas est invisibilis, sed *visibilis*. — Talis est, ob intrinsecam suam constitutionem. Et sane visibiles sunt homines ex quibus coalescit, visibilia sunt media per quae fideles in finem adducuntur, visibilis est auctoritas a qua gubernantur. Nec refert, requiri in tali societate elementum internum ac per se invisibile: siquidem istud, tamquam signatum cum signo et effectus cum causa, est connexum cum visibili ministerio.

δ) Est insuper societas *monarchica*. — Ex divina enim institutione, forma regiminis in Ecclesia est monarchica: et de iure pariter divino veri nominis Principes sub Primate debent particularibus gregibus praeesse (1).

ε) Est etiam societas *catholica*. — Etenim a Deo habet destinationem, missionem ac virtutem sese ubique propagandi: hinc de facto, omni tempore est per omnes terrae partes diffusa.

---

(1) [illegible] III, pag. [illegible]

5.) Est quoque societas *perennis* atque *indefectibilis*. — Scilicet ex divini sui fundatoris promissione et assistentia, qualis ab Ipso fuit instituta, talis in aevum perdurabit sine ulla substantiali mutatione.

In thesi sequente breviter de aliquibus aliis Ecclesiae attributis dicemus.

THESIS XCIV.

Ecclesia est societas 1.) vere ac proprie divina, 2.) a civili communitate specie distincta, 3.) ethice necessaria, 4.) in se perfecta, 5.) inter ceteras societates suprema.

234. DEMONSTRATIO. Quinque, ut patet, thesis haec complectitur partes: breviter dicemus de singulis.

I. PARS PRIOR. *Ecclesia est societas vere ac proprie divina.* — Quemadmodum lex tunc dicitur divina, quando a Deo tamquam auctore immediate fertur; ita societas aliqua tunc *divina* appellatur, quando a Deo tamquam a conditore immediate instituitur. Tunc vero societas aliqua est immediate a Deo, quando in eius constitutione nulla intercedit institutio humana.

Id autem potest esse dupliciter. Vel enim haec simul duo non dependent ab ulla institutione aut voluntate humana, nimirum et quod societas illa existat et quod in tali determinata forma existat: vel ab humana quidem institutione non pendet quod societas illa existat, sed ab ea pendet quod in tali determinata forma sit. Si primum, societas est immediate a Deo, etiam *in individuo* considerata: sin alterum, societas est immediate a Deo, *in genere* tantum spectata.

Rursus, societas aliqua, sive in universum dum-

taxat sive etiam in particulari inspecta, potest a Deo immediate esse dupliciter, i. e. vel a Deo ut auctore naturae, vel a Deo ut auctore supernaturali. Primum contingit, quando Deus societatem aliquam immediate instituit per ipsam productionem naturae, a qua per se fluit et exigitur talis societas: alterum vero contingit, quando Deus societatem condit per positivam institutionem et in ordine ad finem supernaturalem, ad quem entia rationalia evexit.

Hisce praestitutis, comparemus inter se tres has societates, nimirum, familiam, civitatem, Ecclesiam. Omnes quidem sunt immediate a Deo, non tamen eodem omnes modo, non pari prorsus ratione.

Societas civilis in communi tantum considerata, et societas domestica, non in communi tantum sed etiam in individuo sumpta, sunt immediate a Deo ut auctore naturae (1). Ecclesia autem, in individuo spectata, est a Deo immediate, et ab Ipso est ut auctore supernaturali. Quapropter sola Ecclesia est in individuo iuris divini positivi. Hinc ipsa solummodo vocatur propriissimo sensu divina.

Et sane Christus Deus sua personali actione fundavit Ecclesiam, eamque sua virtute divina propagavit et iugiter conservat. Ecclesia igitur est a Christo immediate tamquam a suo conditore. — Item ipse Christus est, qui decrevit, ut in Ecclesia sua sit forma regiminis monarchica; ut scilicet summam Ecclesiae potestatem Petrus eiusque successores habeant, utque hi regant Ecclesiam per Episcopos, presbyteros, ministros, utque in Ecclesia gubernanda certum teneant modum, certis

(1) Haec patent ex iis, quae de *familia* et de *civitate* diximus.

legibus utantur. Quare forma ipsa, qua Ecclesia gubernatur, et fundamentales insuper leges, quibus eadem regitur, sunt a Christo immediate. — Finis autem, quem Christus suae Ecclesiae praestituit, est supernaturalis, scilicet salus animarum sempiterna, itemque supernaturalia sunt media, quibus Ecclesiam suam instruxit ad excellentis illius finis assecutionem. Hinc Ecclesia est a Deo, ut auctore ordinis supernaturalis.

« Unigenitus Dei filius, verba sunt Leonis XIII in epist. enc. *Immortale Dei*, societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum, divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit quod ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (1). *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* (2). Igitur sicut Iesus Christus in terras venit, ut homines *vitam habeant et abundantius habeant* (3), eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animorum sempiternam: ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae* (4). Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent: unumque omnium principem, et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni caelorum commisit. *Tibi dabo*

---

(1) Ioann. XX. 21.
(2) Matth. XXVIII. 20.
(3) Ioann., X. 10.
(4) Marc., XVI. 15.

claves regni caelorum (1). *Pasce agnos.... pasce oves* (2). *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* (3). »

II. Pars altera. *Ecclesia est societas a civili communitate specie distincta.* — Etenim, ut idem summus Pontifex disserere pergit, « haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili. »

Ratio est clara. Ex fine societates specificantur (4). Atqui alius est finis Ecclesiae, alius vero est finis communitatis civilis: haec enim pro fine habet felicitatem naturalem et temporalem, illa vero supernaturalem et aeternam. Ut autem finis, sic etiam cetera, quae ad utramque societatem pertinent, nempe auctoritas qua societates eae gubernantur, media quibus utuntur, etc. quamvis sint mutuo analoga, tamen sunt longe diversa. Ergo civitas et Ecclesia sunt societates specie inter se distinctae.

III. Pars tertia. *Ecclesia est societas perfecta.* — Ecclesia enim, verba subdimus eiusdem summi Pontificis in eadem epistola, « societas est genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam

---

(1) Matth. XVI. 19.

(2) Ioann. XXI. 16-17.

(3) Luc. XXII. 32.

(4) Finis est id, unde desumitur specifica differentia societatum. Etenim solus finis est id, ex quo accipitur specifica ratio unionis membrorum et actionis eorumdem. Quare quae societates sunt inter se distinctae et tamen eumdem finem adaequate habent, eae sunt totidem repetitiones eiusdem societatis, neque inter se *specie* sed *numero* tantum distinguuntur. Cf. Tarquini op. et l. cit.

necessaria voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. »

Societates dividuntur in *perfectas* et *imperfectas* (1). Societas perfecta est illa, quae media ad suum finem obtinendum sufficientia in semetipsa habet, quaeque proinde non est ex se ordinata ad aliam societatem, in qua suam perfectionem et complementum obtineat. Atqui talis est Ecclesia. Habet pro fine morum sanctitatem et adeptionem vitae aeternae: ad hunc vero finem assequendum a Conditore suo instructa est mediis sufficientissimis. Haec media sunt inprimis potestates seu iura quae a Christo accepit, leges ferendi, iudicandi et exsequendi. Media etiam sunt divini verbi praedicatio, sacramentorum usus, oblatio sacrificii eucharistici, studium orationis, ieiunii, eleemosynae etc.

IV. Pars quarta. *Ecclesia est societas necessaria seu ethice obligatoria.* — Societates dividuntur in *necessarias* et *voluntarias*. Necessariae sunt illae, a quibus se abstinere sine piaculo non licet. Eae vero sunt voluntariae, quibus sese adscribendi obligatio nulla est. Atqui Ecclesia est societas necessaria.

Est societas necessaria, si de individuis sermo sit. Etenim, ut aliis locis iam diximus, homo naturali adstringitur officio amplectendi ex animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis *unam ex omnibus veram esse* constiterit: quae religio non est nisi catholica. Quod si quis infeliciter nondum pervenerit ad veram religionem detegendam, naturali

(1) Vide super. hoc vol. III. pag. 17. Cf. s. Th. 1. 2, q. 90 a. 3, ad 3.m

tenetur officio adhibendi curam ac media omnia ad certam de ea re cognitionem sibi comparandam.

Est societas necessaria, etiam si de civili societate sermo sit. Etenim, ut iam demonstravimus (1), quemadmodum homo individuus, ita etiam Status habet officium amplectendi *veram* religionem, et posteaquam amplexus eam fuerit, habet non solummodo ius, sed etiam officium possessionem eius reddendi suis subditis securam ac tranquillam, praecludendo aditum *falsis* religionibus: idque non imponendo fidem, quae non vi sed praedicatione inducitur, verum prohibendo in ordine *externo*, in quem tantum potestatem habet, professionem *falsorum* cultuum, et impediendo ac vindicando quamlibet contra *veram* Christi religionem i. e. catholicam Ecclesiam iniuriam.

V. Pars quinta. *Ecclesia est societas suprema.* — Post ea verba, quae ex epist. enc. *Immortale Dei* paulo ante adduximus, summus Pontifex sic pergit: « Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita eius potestas est omnium praestantissima neque imperio civili potest haberi inferior aut eidem esse ullo modo obnoxia ».

Ut clarius intelligatur, quinam sit primatus, qui competit Ecclesiae in alias humanas societates, haec subiicimus ex Tarquini (2). Triplici modo concipi potest primatus alicuius societatis prae alia.

1° Ut seiunctus sit ab omni iurisdictione in societatem inferiorem (hic esset *primatus solius dignitatis*), ita ut iniuriam societas inferior faciat societati prae-

(1) Cf. hoc vol. III thes. LXXVIII-LXXXI.

(2) Op. cit. num. [illegible]

damnori, si eam utcumque laedat, sed coerceri ab eadem auctoritate propria non possit. Haec autem primatus ratio in suprema societate, quae aliud tribunal, ad quod confugiat, non habet, aut admitti non potest, aut si admittenda esset, ad *extraordinariam* quamdam Dei providentiam pertineret, qui positive id forte iusserit: *regulariter* et secundum *ordinariam* Dei providentiam nequit admitti, quia, exoriente conflictu, nulla esset via ad finiendam litem.

2.° Ut, hypothesi plane contraria, tanta cum iurisdictione sit coniunctus, ut societas inferior *absolute* et *directe* subsit ei, quae dicitur societas superior (hic est *primatus directae iurisdictionis*): ita ut directe ad societatem superiorem pertineat regere et ordinare inferiorem, in iis quae proprii eius finis sunt et quatenus ad dictum finem referuntur. Haec autem primatus ratio non potest competere societati supremae respectu alterius societatis *perfectae*: quia societas perfecta est essentialiter ad modum totius, non ad modum partis, omnis autem societas, quae directe subest alteri, non est nisi pars illius: hic primatus modus non potest societati superiori convenire, nisi in eas inferiores societates, quae sint *homogeneae* (1).

3.° Ut indirectae iurisdictioni sit coniunctus (hic est *primatus indirectae iurisdictionis*): quatenus societas superior per accidens in societatem inferiorem exercere queat potestatem suam, cum scilicet proprii finis propriaeque conservationis necessitas id exigat.

---

(1) Inferior societas est alteri societati superiori *homogenea*, quando ad eamdem naturam pertinet ac societas superior, eumdemque finem prosequendum habet, etsi minus universaliter. Tales sunt dioeceses vel ordo religiosus in Ecclesia, collegia militum in regno etc.

Iamvero *primatum dignitatis* Ecclesia Christi habet respectu cuiuscumque humanae societatis. Etenim de gradu seu dignitate cuiusvis societatis iudicium ferendum est ex gradu seu dignitate finis: ita ut quae societas curam supremi finis habeat sibi demandatam sine cuiuscumque alterius societatis consortio, ea sine alterius consortio dici debeat suprema. Atqui Ecclesia Christi habet sibi sine cuiuslibet alterius societatis consortio demandatam curam finis supremi, qualis profecto est sanctitas vitae et aeternae felicitatis adeptio. Ergo habet primatum dignitatis.

Quod spectat ad *primatum directae iurisdictionis*, hunc Ecclesia non habet, ut iam diximus, respectu alterius societatis perfectae, qualis est societas civilis: eum habet, ut pariter diximus, in eas societates inferiores, quae sunt *homogeneae*.

In ipsas tamen societates heterogeneas (quae scilicet habent finem sub ordine finis Ecclesiae proprii directe non contentum) habet primatum *indirectae iurisdictionis*: quatenus inferiores eae societates inter varios modos procurandi suum finem, debent illum vel illos eligere, qui sint non solum sine detrimento finis superioris, sed etiam cum eius emolumento: item quatenus media, de quibus disponunt, conferre debent in adiutorium eiusdem, cum id opus sit.

Quae quidem omnia, iam per se clara, clariora etiam fient ex iis, quae dicentur.

223. Scholion. Contra assertionem. *Ecclesia est societas perfecta* multa solent obiici, praecipue vero tria (1).

1 S. Ecclesia esset societas perfecta, deberet habere

(1) De his consuli possunt Card. Mazzella et Card. Tarquini.

proprium territorium. Atqui Ecclesia proprium territorium non habet. Ergo non est societas perfecta.

Hanc difficultatem sic clare et apte solvit Em. Card. Mazzella: *Dist. mai.*: deberet habere proprium territorium, i. e. dominium proprietatis *nego*, i. e. locum in quo ius habeat exercendi suam iurisdictionem *conc.* Porro dominium proprietatis non est necessarium: secus neque Rex posset in toto suo regno potestatem exercere. Locum autem, in quo suam iurisdictionem exerceat, Ecclesia eoipso habet, quod sit societas, uti ostendimus, *legitima* et *necessaria.* Unde idem territorium pertinet simul ad magistratus civiles, ut temporalem curent suae societatis finem, atque ad Ecclesiam, ut finem suum, qui est hominum sanctificatio et salus aeterna per eam obtinenda, persequatur. Iamvero Ecclesiae finis ad omnes homines extenditur, adeoque Ecclesia est societas natura atque institutione sua *catholica.* Totus ergo terrarum orbis est territorium Ecclesiae. Quare s. Bernardus (1) scribens ad Eugenium III Summum Pontificem ait: « Orbe exeundum est ei, qui forte volet explorare, quae non ad tuam pertinent curam. »

II. Si in eodem territorio duplex perfecta societas, ecclesiastica et civilis, suam exerceret iurisdictionem, frequentes orirentur inter utramque conflictus. Atqui huiusmodi ordinatio admitti nequit.

Inprimis, ut recte animadvertit Card. Tarquini, si quid valeret argumentum, valeret ad exspoliandam societatem civilem potestate sua: quia absurdum est rationem magis haberi felicitatis temporalis, quae est finis societatis civilis, quam vitae aeternae, quae est finis

(1) De consid. l. 2. c. 1.

Ecclesiae. — At *dist. mai* . . . orirentur conflictus ex ipsa rei natura *nego*, ex vitio hominum *subd.*, ita ut sit ratio eos componendi conflictus *conc.* non sit *nego.* Modum scilicet subortos componendi conflictus suppeditat subordinatio societatis civilis ad ecclesiasticam.

III. Axioma est, *status in statu repugnat.* Sed haberetur status in statu, si in eodem territorio, Ecclesia et civilis societas, utraque uti perfecta societas, dominarentur.

Respondeo *dist. mai.* Status in statu repugnat circa eumdem finem *conc.* circa finem diversum *subd.* si agatur de finibus oppositis absolute *conc.* si de oppositis per accidens *iter. dist.* si nullo modo sint coordinati *trans.* si sint coordinati *nego.* Finis Ecclesiae est diversus a fine societatis civilis, adeoque in eodem territorio et circa easdem personas diversa ab unaquaque societate exercetur iurisdictio. Hi porro fines non sunt inter se oppositi, sed mutuo sese adiuvant; iidemque sunt inter se coordinati, adeoque ordinari recte potest utriusque potestatis exercitium.

THESIS X[illegible].

Ecclesia est ab omni humana dominatione tum directa tum indirecta in rebus suis libera.

236. Demonstratio. Thesis patet ex iis, quae in thesi praecedente diximus. — α) Ecclesia est societas *perfecta.* Ergo est in rebus suis libera ab omni humana dominatione *directa.* — β) Ecclesia est societas *suprema.* Ergo est in rebus suis libera ab omni etiam *indirecta* dominatione humana.

Et sane, finge spiritualem societatem et potestatem

esse aliquo modo subordinatam temporali societati et potestati. Dicendum profecto foret, inter eas ordinem esse perversum, aut potius nullum esse ordinem: siquidem « non ordo rectus, ut egregie loquitur s. Augustinus (1), aut ordo appellandus est omnino, ubi deterioribus meliora subiiciuntur. » Potestas autem ecclesiastica est excellentior civili in fine, origine, subiecto et aliis proprietatibus (2). Sed dici nequit nullum esse ordinem aut ordinem esse non rectum inter duas has societates et potestates. Eae enim sunt a Deo. Dicit autem Apostolus (3): « Quae sunt a Deo ordinatae sunt.»

237. Scholion. Multa corollaria ex veritate, quam hac in thesi tuemur, consequuntur. De aliquibus mentionem faciemus.

Generales igitur Ecclesiae leges obligant omnes et singulos fideles independenter a sanctione auctoritatis civilis. Et improbanda omnino esset agendi ratio principum civilium, qui sibi arrogarent ius prohibendi, ne ulla lex ecclesiastica promulgetur in eorum ditione, nisi prius ab ipsis praecognita et approbata fuerit. Hinc patet quid dicendum sit de *placito regio*, cuius scilicet natura in hoc sita est, ut neque bullae nec brevia neque actum quodcumque ad Ecclesiae regimen spectans vim ullam habere censeantur, nisi civilis auctoritatis sanctio seu approbatio accesserit (4).

---

(1) De lib. arb. 1. c. 8.

(2) Cf. omnino Suarez. de leg. l. IV. c. 8.

(3) Rom. XIII. 1.

(4) Cf. dissert. de *regio placet*, quae exstat post Tarquini institut. saepe cit.

Thesis xcvi.

I. *Admittenda est societatis civilis ab ecclesiastica potestate dependentia.* II. *Haec autem dependentia seu subiectio consistit, non quidem in eo, quod in rebus temporalibus et sub respectu finis temporalis civilis societas Ecclesiae subsit, sed in hoc, quod primo quidem in rebus, quae directe ad Dei cultum iustitiam mores pertinent, legibus ab Ecclesia latis se conformet, secundo autem in rebus etiam temporalibus, concurrente ratione seu necessitate finis spiritualis, Ecclesiae cedere debeat.*

238. Demonstratio. Duas, ut patet, thesis haec complectitur partes, quas seorsim demonstrabimus.

I. Pars prior. Quod fieri nequeat, ut duae hae potestates, *ecclesiastica* et *civilis*, quae iisdem numero subditis praesunt, sint omnino aequales inter se et absolute independentes absque ulla prorsus unius ad alteram subordinatione, hoc auctores omnes, qui sincere sunt catholici, et plerique etiam ex illis, qui liberales dicuntur, admittunt.

« On ne saurait admettre, ait Dupin (1), deux puissances absolument égales, dont le concours produirait une sorte de manichéisme politique, et n'aboutirait qu'à des luttes périlleuses ou à une négation sans issue. » Neque aliter Portalis (2): « Il faut qu'il y ait une puissance supérieure, qui ait droit... de lever tous les doutes et de franchir toutes les difficultés. Cette puis-

(1) Opusc. cui titulus. *Rapport sur les* [illegible] *inédits de Portalis.*
(2) *Dieu et* [illegible]

sance est celle à qui il est donné de peser tous les intérêts, celle de qui dépend l'ordre public et général, à qui seule il appartient de prendre le nom de puissance dans le sens propre . . . La société religieuse a du reconnaitre dans la société civile, plus ancienne, plus puissante, et dont elle venait faire partie, l'autorité nécessaire pour assurer l'union, et le souverain est demeuré maitre de faire prévaloir l'interêt de l'Etat dans toutes les points de discipline, où il se touve mêlé à la charge d'en répondre à Dieu seul. »

Quamobrem dissensus inter auctores vere catholicos et scriptores liberales, saltem plerosque, in eo consistit, quod cum utrique admittant, duas has societates, ecclesiasticam et civilem, quae iisdem numero hominibus constant, non posse ex aequo esse inter se independentes, priores quidem i. e. catholici asserant, civilem societatem Ecclesiae subesse, alii vero i. e. liberales velint Ecclesiam civili societati esse subordinatam.

Sed hoc aliud, quod scriptores liberales adstruunt, sane nec dici nec cogitari potest secundum rectam rationem. « Utraque potestas, inquit Suarez (1), temporalis et spiritualis, prout in Ecclesia existunt, ita conferri et possideri debuerunt, ut communi bono et saluti Christiani populi proficiant. Ergo necessarium est, ut hae potestates aliquem ordinem inter se observent. Alias non posset pax et unitas in Ecclesia servari. Nam saepe temporalia commoda repugnant spiritualibus, et ideo vel erit bellum iustum inter utramque potestatem, vel necesse est, alteram alteri servire (2). Ergo vel potestas

(1) Def. fid. l. III. c. 22.

(2) « Ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertatio-

spiritualis erit sub temporali, vel e contrario. Primum nec dici nec cogitari potest secundum rectam rationem: quia temporalia omnia ordinari debent ad spiritualem finem. Ergo dicendum e contrario est, temporalem potestatem subiectam esse spirituali, ut a suo fine non deflectat. Nam ita subordinantur potestates, sicut et fines. »

II. Pars altera. Verum, in quo subordinatio haec seu dependentia potestatis civilis ab ecclesiastica consistit?

α) Non consistit in eo, quod in rebus temporalibus et sub respectu finis temporalis civilis societas Ecclesiae subsit. — Id dici nequit, semel ac admittatur, ut admitti debet, civilem communitatem esse societatem *perfectam*. Et sane, ut iam diximus, societas perfecta est illa, quae essentialiter est ad modum totius, non autem ad modum partis. Iamvero si societas civilis in rebus temporalibus et sub respectu finis temporalis Ecclesiae subesset, iam foret pars ipsius. Etenim ab Ecclesia dependeret directe, societas autem quae directe ab altera dependet, iam est eoipso pars illius. Quare civilis communitas non esset societas perfecta. — Sed in hac re demonstranda frustra immoraremur, cum de ea re exstent tot expressae Ecclesiae ipsius declarationes.

β) Civilis potestatis ab ecclesiastica potestate dependentia, consistit in hoc, quod 1.) in rebus, quae di-

---

utriusque causae nascerentur, nec raro sollicitum animi, velut in via ancipiti, haerere homo deberet, dubius quid facto opus esset, contraria iubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. » Ita Sanctissimus Pater Leo XIII. in ep. enc. *Immortale Dei*.

recte spiritualcs sunt seu ad cultum, iustitiam, mores pertinent, civilis potestas omnibus legibus ab Ecclesia latis se conformet ; 2.) in rebus etiam temporalibus, concurrente ratione seu necessitate finis spiritualis, civilis potestas Ecclesiae cedere debeat. — Cuius assertionis primum membrum maiori declaratione non indiget. Alterum vero membrum sic declaratur. Finis temporalis felicitatis subordinatus est fini aeternae beatitudinis, ac proinde procurandus est eo modo qui non impediat, sed e contrario iuvet consecutionem finis illius ultimi. Atqui potestates, quarum curae finis aliquis commissus a Deo est, se habent ut fines, quorum cura est ipsis commissa (1). Ergo potestas civilis, cuius curae est commissus finis felicitatis temporalis, est subordinata potestati ecclesiasticae, cuius curae est demandatus finis beatitudinis aeternae; quatenus scilicet in fine felicitatis temporalis procurando debet eum adhibere modum, qui non sit impedimento, sed contra adiumento sit consecutioni altioris finis i. e. beatitudinis aeternae.

In hisce sane assertionibus supponitur, civilem societatem ex *christianis* hominibus constare: quod enim sint societates civiles ex *infidelibus* coalescentes, id est praeter ordinem, per accidens et extra regularem statum. Ubi cum Suaresio (2) adverte: « Etiam ante baptismum est Princeps infidelis indirecte subditus Petro, qui ius habet cogendi infideles Principes, ne Evangelii praedicationem in suis terris impediant, neve subditos suos ad fidem negandam vel non suscipiendam cogant, aut alio modo religioni christianae infesti sint. »

---

(1) « Ita subordinantur potestates, sicut et fines. » Verba sunt Suaresii paulo ante allata.

(2) Def. fid. l. IV, c. [illegible] n. [illegible].

239. Scholion. Quae diximus, confirmabimus, aliquibus summorum Doctorum adductis testimoniis.

I. Suarez (1) ita disserit: « Distinguitur duplex subiectio, *directa* scilicet et *indirecta*. — Directa vocatur quae est intra finem et terminos eiusdem potestatis: indirecta quae solum nascitur ex directione ad finem altiorem et ad superiorem et excellentiorem potestatem pertinentem. Propria enim potestas civilis de se solum directe ordinatur ad convenientem statum et temporalem felicitatem humanae reipublicae pro tempore vitae praesentis, et ideo etiam potestas ipsa temporalis appellatur. Quamobrem tunc civilis potestas dicitur in

---

(1) Def. fid. l. III. c. 5. num. 2. — Haec subdam ex Liberatore. *la Chiesa e lo Stato* ab init.: « Non vale il ricorrere alla diversità degli ordini, *temporale* e *spirituale*. Cotesta diversità non può importare altro per parte dello Stato, che un' indipendenza *relativa*, ma in niun modo un' indipendenza *assoluta*. Essa può far solamente, che nelle cose di per sè e direttamente riferibili al solo benessere della vita presente (come la finanza, l'esercito, il commercio, la pace tra i cittadini, le relazioni con altri popoli) lo Stato operi di moto proprio e da potere supremo. Ma in niuna guisa la detta diversità può fare, che nelle cose risguardanti pietà, giustizia, costumi, lo Stato non debba conformarsi alle norme dettate dalla Chiesa; e che in quelle cose altresì, le quali dianzi dicemmo di sua mera pertinenza, non abbia l'obbligo negativo di nulla fare, che nuoca alla moralità dei sudditi ed all'ossequio dovuto a Dio. Donde se avvenisse il contrario, egli è chiaro aver la Chiesa il dritto di correggere ed annullare quanto ingiustamente e immoralmente si fosse disposto nell' ordine eziandio temporale: essendo ciò assolutamente richiesto, acciocchè i due ordini armonizzino tra loro nel muovere l' uno ed identico corpo morale, l' una ed identica società, sottoposta ad entrambi. » De hoc agitur, de duabus societatibus specie distinctis et perfectis, quae iisdem constant membris, de duplici potestate ecclesiastica et civili, quae iisdem praesunt subditis.

suo ordine suprema, quando in eodem et respectu sui finis ad illam fit ultima resolutio in sua sphaera seu in tota communitate, quae illi subest: ita ut a tali principe supremo omnes inferiores magistratus, qui in tali communitate vel in parte eius potestatem habent, pendeant, ipse vero princeps summus nulli superiori in ordine ad eumdem finem civilis gubernationis subordinetur. Quia vero felicitas temporalis et civilis ad spiritualem et aeternam referenda est, ideo fieri potest, ut materia ipsa potestatis civilis aliter dirigenda et gubernanda sit in ordine ad spirituale bonum, quam sola civilis ratio postulare videatur. Et tunc quamvis temporalis princeps eiusque potestas in suis actibus directe non pendeat ab alia potestate eiusdem ordinis, et quae eumdem finem tantum respiciat, nihilominus fieri potest, ut necesse sit, ipsum dirigi, adiuvari vel corrigi in sua materia superiori potestate gubernante homines in ordine ad excellentiorem finem et aeternum: et tunc illa dependentia vocatur indirecta, quia illa superior potestas non circa temporalia per se aut propter se, sed quasi indirecte et propter aliud interdum versatur. »

II. Bellarminus (1) rem explicat, hac adducta similitudine: « Ut se habent in homine spiritus et caro, ita se habent in Ecclesia duae illae potestates. Nam caro et spiritus sunt quasi duae Respublicae, quae et separatae et coniunctae inveniri possunt. Habet caro sensum et appetitum, quibus respondent actus et obiecta proportionata, et quorum omnium finis immediatus est sanitas et bona constitutio corporis: habet spiritus intellectum et voluntatem, et actus atque obiecta proportionata, et pro fine animae sanitatem et perfectionem:

(1) De Rom. Pont. l. V. c. 6.

invenitur caro sine spiritu in brutis, invenitur spiritus sine carne in Angelis. Ex quo apparet, neutrum esse praecise propter alterum. Invenitur etiam caro adiuncta spiritui in homine, ubi quia unam personam faciunt, necessario habent subordinationem et connexionem. Caro enim subest, spiritus praeest, et licet spiritus non se misceat actionibus carnis, sed sinat eam exercere omnes suas actiones, ut in brutis exercet; tamen quando eae officiunt fini ipsius spiritus, spiritus carni imperat, eamque castigat, et si opus est, indicit ieiunia, aliasque afflictiones, etiam cum detrimento aliquo et debilitatione ipsius corporis, et cogit linguam ne loquatur, oculos ne videant etc. Pari ratione si ad finem spiritus obtinendum necessaria sit aliqua carnis operatio et ipsa etiam mors, spiritus imperare potest carni, ut se ac sua exponat, ut in Martyribus videmus. Ita prorsus politica potestas habet suos principes, leges, iudicia etc.: et similiter ecclesiastica suos episcopos, canones, iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem, ista salutem aeternam. Inveniuntur quandoque separatae, ut olim tempore Apostolorum, quandoque coniunctae, ut nunc: quando autem sunt coniunctae, unum corpus efficiunt, ideoque debent esse connexae, et inferior superiori subiecta et subordinata. Itaque spiritualis non se miscet temporalibus negotiis, sed sinit omnia procedere, sicut antequam essent coniunctae, dummodo non obsint fini spirituali, aut non sint necessaria ad eum consequendum. Si autem tale quid accidat, spiritualis potestas potest et debet coercere temporalem omni ratione ac via, quae ad id necessaria esse videbitur. »

III. S. Thomas (1) praeclare sic disserit: « Sicut ad

---

(1) De regim. princ. l. 1. c. 15.

vitam, quam in caelo speramus, beatam, ordinatur sicut ad finem vita, qua hic homines bene vivunt; ita ad bonum multitudinis ordinantur sicut ad finem quaecumque particularia bona per hominem procurantur, sive divitiae, sive lucra, sive sanitas, sive facundia vel eruditio. Si igitur qui de ultimo fine curam habet, praeesse debet his, qui curam habent de ordinatis ad finem, et eos dirigere suo imperio : manifestum ex dictis fit, quod rex sicut dominio et regimini, quod administratur per sacerdotis officium, subdi debet, ita praeesse debet omnibus humanis officiis, et ea imperio sui regiminis ordinare. Cuicumque autem incumbit aliquid perficere, quod ordinatur in aliud sicut in finem, hoc debet attendere, ut suum opus congruat fini : sicut faber facit gladium ut pugnae conveniat, et aedificator sic debet domum disponere, ut ad habitandum sit apta. Quia igitur vitae, qua in praesenti bene vivimus, finis est beatitudo caelestis : ad regis officium pertinet ea ratione vitam multitudinis bonam procurare secundum quod congruit ad caelestem beatitudinem consequendam : ut scilicet ea praecipiat, quae ad caelestem beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum quod fuerit possibile, interdicat. »

IV. Omnia demum confirmabo, proferendo sapientissima Leonis XIII verba, ex epist. enc. *Immortale Dei*: « Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima : habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cuiusque naturâ caussâque proxime definitos ; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cuiusque actio iure proprio versetur. Sed quia utriusque impe-

rium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque ius iudiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. *Quae autem sunt a Deo ordinatae sunt* (1). Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur; nec raro sollicitus animi, velut in via ancipiti, haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria iubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent. — Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter iudicari non potest, nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendaque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri caelestia ac sempiterna bona comparare. — Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelli-

(1) Rom. XIII, 1.

gatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subiecta, cum Iesus Christus iusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo. — Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest. — Eiusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur. »

THESIS XCVII.

Ex dictis consequitur, principes civiles maximis erga Ecclesiam adstringi officiis, negativis aliis, aliis vero positivis.

240. Demonstratio. Officia, quibus principes civiles erga Ecclesiam adstringuntur, sunt duplicis rationis: alia sunt *negativa*, alia vero *affirmativa*.

I. Ac primo, *negativo* tenentur officio, non praepediendi legislatione sua *existentiam* et *actionem* Ecclesiae. Ad id tenentur ergo alios Status, qui tamen sunt societates aequales Statui illi cui praesunt, et a quorum dominatione sunt penitus exempti. Quanto igitur ma-

gis ad id tenentur erga Ecclesiam, quae societas est strictiori sensu divina, quae perfecta est ac suprema, et ad quam habent eam, de qua diximus, subordinationem seu dependentiam.

Iamvero praepedirent existentiam Ecclesiae, si huic denegarent facultatem instituendi Episcopos, fundandi Ecclesias particulares, possidendi etc. Praepedirent autem actionem Ecclesiae, si huic denegarent expeditam potestatem exercendi cultum, plebes fideles atque etiam infideles docendi, matrimonium aliaque sacramenta administrandi, iuventutem instituendi, ac generatim ea omnia iura exercendi, quae Ecclesia tamquam propria sibi vindicat (1).

II. At insuper, *affirmative* tenentur officio cedendi, ut dictum est, Ecclesiae, quando ratio seu necessitas finis spiritualis id exigat, atque afferendi auxilium Ecclesiae, cum hoc sit necessarium et potestas ecclesiastica exposcat. Id autem efficient multis modis, ac praecipue, rei civilis administrationem necessitati et emolumento Ecclesiae attemperando, publicos Ecclesiae hostes perturbatoresque puniendo etc.

Porro inter officium negativum non nocendi per iniuriam et officium affirmativum iuvandi per auxilium discrimen hoc intercedit, quod negativum illud obliget semper et pro semper, hoc autem affirmativum obliget quidem semper, non tamen pro semper, sed ratione habita tum necessitatis et opportunitatis, tum expostulationis Ecclesiae.

Horum custodiam officiorum Christiani principes,

---

(1) Quot modis negativum hoc officium violari possit ac soleat, apparet ex Pii IX. epist. enc. *Quanta cura*, et ex Syllabi propos. XIX—XXXV.

cum regni habenas susciperent, solemni iureiurando spondebant olim ac pollicebantur. Carolus Magnus, cum a Leone Papa coronam acciperet, hac formula usus est: *In nomine Christi spondeo atque polliceor ego Carolus imperator coram Deo et B. Petro Apostolo, me protectorem ac defensorem fore huius sanctae Romanae Ecclesiae in omnibus, quantum divino fultus fuero adiutorio, prout sciero poteroque* (1).

241. Scholion. Mentionem fecimus de iure Ecclesiae possidendi res materiales seu temporales. — Hoc ius reapse competere Ecclesiae, patet. Quaevis enim societas legitime instituta iure gaudet acquirendi dominium illarum rerum, sine quibus non potest ad proprium finem tendere. At Ecclesia sine rebus materialibus non potest tendere ad proprium finem. Ergo iure gaudet acquirendi dominium rerum materialium. Hoc iure gaudent familiae, quae societates sunt imperfectae et subordinatae. Multo igitur magis hoc iure pollebit Ecclesia, quae societas est perfecta et suprema.

Quod autem Ecclesia rebus istis materialibus indigeat, ut in proprium tendat finem, manifestum est. — Nequit enim in proprium finem tendere nisi per cultum a Christo institutum. Sed hic cultus postulat templa, aras, vasa etc.: haec autem sine bonis temporalibus comparari et conservari non possunt. Item postulat sacros ministros, qui rebus sacris vacent et operam suam in Ecclesiae obsequium et fidelium utilitatem ponant. Hos sane ministros religiosa societas sustentare debet: nequit autem sustentare absque bonis temporalibus.

Cum dominium habeat rerum temporalium, Eccle-

(1) Cf. Sigonium, l. 4, de regno Italiae.

sia potest sua illa bona administrare. Si non posset, id proveniret vel ex eo quod dependens est a civili auctoritate, vel ex eo quod administrationis est incapax propter defectum cognitionis. Atqui neutra sane valet ratio.

Ecclesia igitur ius habet possidendi bona temporalia, itemque bona legitime possessa libere administrandi.

CONCLUSIO OPERIS

Ad morum scientiam quod attinet, tres sunt praecipui huius nostrae aetatis errores.

Primus error est, negare omnem Dei legem, seu adstruere absolutam hominis ab omni divina lege independentiam. Hic sane est error manifestus et omnium pessimus. « Imperium summi Dei funditus recusare, atque omnem obedientiam prorsus exuere in publicis, vel etiam in privatis domesticisque rebus, sicut maxima libertatis perversitas, ita primum *Liberalismi* est genus.»

Alter error est, admittere quidem legem Dei naturalem itemque obligationem obtemperandi voluntati Dei naturali modo, ope scilicet rationis, manifestatae, simul vero negare possibilitatem vel convenientiam revelationis divinae, et consequenter etiam legis Dei positivae, illius praesertim quae veritates superrationales recipiendas praescribat. Qui est error priori illi, de quo diximus, proximus. « Proxima est eorum disciplina, qui utique consentiunt, subesse mundi opifici ac principi Deo oportere, quippe cuius ex numine tota est apta natura: sed iidem leges fidei et morum, quas natura non capiat, ipsa Dei auctoritate traditas, audacter repudiant.»

Tertius error est, admittere existentiam legis divi-

nae tum naturalistum positivae, atque in ipsam Christi Ecclesiam credere, at negare Ecclesiam esse societatem perfectam ac supremam, immo contendere eam esse a Statu dependentem. « Alii, quominus Ecclesia sit non repugnant, neque enim possent: ei tamen naturam iuraque propria societatis perfectae eripiunt, nec eius esse contendunt, facere leges, iudicare, ulcisci, sed cohortari dumtaxat, suadere, regere sua sponte et voluntate subiectos. Itaque divinae huiusce societatis naturam opinione adulterant, auctoritatem, magisterium, omnem eius efficientiam extenuant et coangustant, vim simul potestatemque civilis principatus usque eo exaggerantes, ut sicut unam quamvis e consociationibus civium voluntariis, ita Ecclesiam Dei sub imperium ditionemque reipublicae subiungant (1).»

Iamvero tres hos errores refellere, scopus fuit, seu propositum, quod in hoc conscribendo qualicumque opere habuimus.

Ad primum quidem errorem refutandum, ea maxime valent, quae in primo volumine diximus de lege Dei aeterna ac de prima eius in rationali creatura participatione, quae est lex divina naturalis.

Alterum vero errorem funditus evertunt ea, quae de revelationis divinae, etiam illius quae pro obiecto habeat mysteria, necnon de debito divinam amplectendi revelationem ac religioni revelatae adhaerendi, in volumine secundo exposuimus.

Tertium demum addidimus volumen, ad naturam societatis tum domesticae tum civilis tum ecclesiasticae

---

(1) Verba haec, sicut et praecedentia, desumpta sunt ex ep. enc. Leonis XIII. *Libertas.*

ostendendam, et fundamentalem hanc vindicandam veritatem. Ecclesiam esse societatem divinam, necessariam, perfectam, supremam, quae scilicet non solum ab omni dominatione humana est prorsus libera, sed etiam ceteras humanas societates habet sibi subordinatas.

Utinam normas, quas Ecclesia tradit, sequerentur omnes, non solum homines individui, sed familiae quoque, atque ipsi etiam Status! Utinam hi rectissimis eius legibus se submitterent, ac rei civilis administrationem Ecclesiae necessitati et emolumento attemperarent! Quam bene, quam iucunde, quam ordinate, quam prospere in his etiam terris vitam homines viverent! « *Chose admirable!* exclamat Montesquieu (1). *La Réligion Chrétienne, qui ne semble avoir d'objet, que la félicité de l'autre vie, fait encore notre bonheur dans celle-ci.* »

---

(1) *De l'esprit des lois*, l. XXIV, ch. 3.

INDEX

RERUM SYNOPTICUS

CAPUT III.

De iuribus officiisque socialibus.

ARTICULUS I.

De humana societate generatim.

ARTICULUS II.

De naturali hominis sociabilitate.

ARTICULUS III.

De societate domestica.

. 1. De unione coniugali.

§. I. De origine societatis civilis.

§. II. De materia seu subiecto societatis civilis.

§. III. De fine societatis civilis.

§. IV. De principio veluti formali corporis politici.

a) De origine politici principatus.

§. III. De iurium violationibus impediendis aut vindicandis.

ARTICULUS VI.

De habitudine seu relatione Status ad Ecclesiam.

CONCLUSIO OPERIS.